TRACTATUS
DE OCTAVIS FESTORUM
QUÆ IN ECCLESIA UNIVERSALI CELEBRANTUR,
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUS,

AUCTORE

JO: BAPTISTA PITTONO

SACERDOTE VENETO.

TOMUS PRIMUS

DE OCTAVIS PRIVILEGIATIS



EXCUDEBAT VENETIIS
Leonardus Pittonus Auctoris Pater.
ANNO MDCCXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Ex legato D. Joan. Imparati

Digitized by Google

Digitized by Google

AUCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

FAteor, me quidem non modò vidiſſe, verùm & eà, qua par erat, diligentia & attentione legiſſe, ſi non omnes, ſanè plures, & eos procuIdubio primarios Auctores de Sacris Ritibus alioquin egregiè differentes, antiquos ſcilicèt & recentiores, ut ex proximè ſequenti eorum Indice clarè patet. Nullum tamen inter illos profectò inveni, qui ex profeſſo agat de Octavis Eccleſiaſticis, licèt ritè de unaquaque ex eis & rectè aliqua doceant, omneſque ſub uno dumtaxat plerumque capite comprehendant & amplectantur. Cùm autem Feſta omnia Octavas habentia adſcribantur inter ſolemniora, hinc eſt, quòd de illis multa occurrunt dicenda, multa ſeparatim notanda, multa denique ſcitu digna, quæ in

Octavarum celebratione neceſſariò obſervanda ſunt ſimul & ſervanda.

Itaque viſis attentè Rubricis omnibus tum Breviarii tum etiam Miſſalis Romani, nec non plurimis Sacræ Rituum Congregationis Decretis & Declarationibus ad hanc rem hactenùs emanatis, ſpecialem ſtatui elucubrare Tractatum, in quo quidquid ad Octavas Univerſalis Eccleſiæ quomodolibet ſpectant, omninò & fusè contineretur: non tamen omiſſis ſanioribus in Arte peritorum ſententiis. Nonnullas etiam Dubietates, quæ in harum celebratione Octavarum occurrere quandoque poſſunt, inveni, quas eà, qua potui, claritate cum ratione reſolvo, ne quid deſit, ſi fieri poteſt, ad Operis complementum. His denique non ſine magno labore in unum collectis, & ad utilitatem, ut reor, utriuſque Cleri dilucidatis, en tibi, Lector benevole, Opus meum, qualecunque ſit, ex animo trado, quod utinam proſit, prout profuturum mihi ſperare videtur, ut finem, qui primus fuit in intentione, ultimum conſequar in executione: nam ideò plures excogitavi caſus, qui hoc vel illo anno contingere poſſunt, ut in eorum

occur-

occurrentia reſolutionem accipias.

Quia verò ea fuit intentio noſtra, ut de omnibus & ſolis Octavis Univerſalibus diſſeratur, cùm illæ idcircò in duas claſſes diſtinguantur, nos Opus hoc in duos Tomos diſtribuimus, in quorum primo de quinque Octavis Privilegiatis, in altero verò ſermo erit de octo Communibus ſeu non Privilegiatis, quæ tamen omnes in Eccleſia Univerſali celebrantur. Cenſuimus etiam ad Lectoris eruditionem aliqua eruere ex veteribus Eccleſiæ Ritibus, quæ ſuis locis opportunè appoſita, erunt forſitan Eccleſiaſticis venerandæ Antiquitatis ſtudioſis jucunda & pergrata. Ut autem res undique clarior fieret, exemplis plerumque illuſtravimus Kalendariſticis, quæ ex variis Eccleſiarum, Diœceſum, & Religionum Directoriis deſumpſimus, prout ratio Concurrentiæ, vel Occurrentiæ, aut etiam Tranſlationis Feſtorum poſtulabit.

Sequimur tamen ordinem Divini Officii, ita ut ſemper primò pro unaquaque Octava tractetur de primis Veſperis, deinde de Matutino cum Laudibus, de Horis Diurnis, de Miſſa tum privata tum e-

tiam ſolemni, & denique de Secundis Veſperis. Unamquamque Octavam, ſive Privilegiatam ſive Communem, ab aliis cæteroquin diſtinctam, & ideò ſub uno ſeparato Capite comprehenſam, in plures dividimus Paragraphos; nam ſemper agimus de Vigilia, ſi habeat, deinde de Feſto primario, poſtmodùm de Diebus infra Octavam, mox de Dominica infra eandem Octavam incidente, & denique de ipſa Die Octava. Cæterùm ſi aliqua ex meis Opinionibus non ſit ritè & rectè fundata, eam, omnemque aliam, totumque meum Opuſculum humillimè ſubmitto judicio & cenſuræ Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, quæ unica eſt & ſola Sacrorum Rituum & Cæremoniarum Magiſtra, à Spiritu Sancto edocta, cujus me fateor & profiteor obedientiſſimum Filium.

AUCTO-

AUCTORES

QUIBUS USI SUMUS

IN HOC TRACTATU

DE OCTAVIS.

A

ALphonſi Ciaconii de VitisPontificum Romanorum Tomi quatuor, cum Additionibus Andreæ Victorelli, &c. Romæ 1677.

Andreæ Piſcaræ Caſtaldi Praxis Cæremoniarum, ſeu Sacrorum Romanæ Eccleſiæ Rituum accurata Tractatio. Venetiis 1681.

ejuſdem Sacrarum Cæremoniarum, juxta Romanum Ritum, ex uſu Clericorum Regularium, accurata Diſtributio. Neapoli 1613.

Angeli à Lantuſca Theatrum Regularium, cum noviſſimis Additionibus J. B. P. S. V. Romæ 1717.

Antonii Baldaſſari Scriptoris Itali *La Roſa d'Oro Pontificia*. Venetiis 1709.

Aſcanii Tamburini de Jure Abbatum Tomi tres. Auguſtæ Vindelicorum, & Coloniæ Agrippinæ 1691.

Auguſtini Barboſæ Summa Apoſtolicarum Deciſionum. Venetiis 1711.

Auguſtini Matthæucci Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ. Venetiis 1723.

B

BArtholomæi Gavanti Theſaurus Sacrorum Rituum. in duos Tomos diſtributus, Venetiis 1726.

ejuſdem Manuale Epiſcoporum. Ibidem, eodem Anno.

Bartholomæi Corſetti noviſſima ad inſtar Cæremonialis Epiſcoporum Praxis. Venetiis 1667.

Bernardi Biſſi Hierurgia, in duos Tomos diſtincta. Genuæ 1686.

A U C T O R E S.

C

CÆremoniale Epiſcoporum Clementis VIII. primùm, dein Innocentii X. poſtmodum Benedicti XIII. Auctoritate recognitum. Romæ 1729.

Cæſaris S.R.E. Cardinalis Baronii Notationes ad Martyrologium Romanum. Venetiis 1611.

Cajetani Mariæ Merati, Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris Additiones ad Gavantum, Tomus primus, Pars prima. Romæ 1736. Tomus primus, Pars ſecunda. Ibidem 1737. Alii duo Tomi deſiderantur, ſed ſunt ſub prælo.

Caroli Guyeti Heortologia, ſive de Feſtis propriis Locorum & Eccleſiarum. Lutetiæ Pariſiorum 1657. deinde Venetiis 1729.

Claudii Arnaud Theſauri Sacrorum Rituum Epithome. Venetiis 1674.

Claudii La Croix Theologia Moralis in duos Tomos diſtincta. Venetiis 1738.

Clementis XI. Pontificis Maximi Bullarium. Romæ 1723.

Collectio Bullarum, Conſtitutionum, & Ordinationum, ab Innocentio XII. Pontifice Maximo editarum. Romæ 1697.

Cornelii Margarini Bullarium Caſinenſe, in duos Tomos diviſum, quorum primus Venetiis 1650. ſecundus verò Tuderti 1709.

D

DOminici Georgii Rhodigini de Liturgia Romani Pontificis in ſolemni celebratione Miſſarum Libri duo. Romæ 1731.

Dominici Macri Hierolexicon, ſive, Sacrum Dictionarium. Venetiis 1712.

Dominici Urſayæ in Urbe Advocati Diſceptationes Eccleſiaſticæ, in quinque Tomos diſtinctæ. Romæ 1716. 1717. & 1719. deinde additis aliis quatuor Tomis, Venetiis 1724. & 1736.

F

FOElicis Gabrielli Animadverſio ſuper Rubricam *Si non eſt Dies Obitus*, appoſitam in Hymno *Iſte Confeſſor*. Patavii, 1713.

Franciſci Mariæ Pittonii in Urbe Advocati, deinde Benedicti XIII. Auditoris Diſceptationes Eccleſiaſticæ, in tres Partes diviſæ. Romæ 1704. deinde Venetiis.

Franciſci Pagi Breviarium de illuſtrioribus Pontificum Romanorum Geſtis, in qua-

tuor

tuor Tomos diſtributum. Venetiis 1730.

Franciſci Monacelli Formularium Legale Practicum, in quatuor Partes diſtinctum. Venetiis 1707. 1710. & 1715.

G

GEorgii Polachi Scriptoris Itali *Aforiſmi ſopra le Cerimonie Sacre, uſate dalla Santa Chieſa Romana nel Sagriſizio della Meſſa*. Venetiis 1665.

Georgii Gobati Operum Moralium Tomi tres. Venetiis 1716.

S. Gregorii Papæ I. cognomento Magni Operum Tomus tertius; ubi Liber Sacramentorum. Pariſiis 1705.

Gulielmi Durandi Rationale Divinorum Officiorum, cum Additionibus Joannis Belethi. Venetiis 1609.

H

HEnrici Piſart Cæremoniæ Eccleſiæ, certis quibuſdam Diebus obſervandæ. Coloniæ Agrippinæ 1722.

ejuſdem Expoſitio Rubricarum Miſſalis Romani. Ibidem 1727.

Hieronymi Baruffaldi Commentaria in Rituale Romanum. Venetiis 1731.

Hieronymi Tonellii Sacrum Enchiridium, ea, quæ ad Sacrificium Miſſæ ſpectant, ob oculos ponens. Venetiis 1695.

Hieronymi Carelli Scriptoris Itali *Dottrina de' Sacri Riti, ovvero, Eſpoſizione Dialogica ſopra le Rubriche del Breviario Romano*. Venetiis 1668.

Hieronymi Nicolii Lucubrationes utriuſque Juris. Romæ Anno Jubilæi 1700.

ejuſdem Floſculi ex utroque Jure libati. Venetiis 1706.

Hippolyti à Portu de Cultu Dei & Hominum: Opus Liturgico-Morale. Venetiis 1705. deinde ibidem 1738.

Horatii Chriſtiani Praxis Pontificalis pro majori Hebdomada. Bononiæ 1680.

I

JAcobi Evellon de Proceſſionibus Eccleſiaſticis Liber. Pariſiis 1651.

Joannis Cardinalis de Lugo Diſputationum Scholaſticarum & Moralium Tomus quintus. Venetiis 1719.

Joannis Mabillon de Liturgia Gallicana Libri tres. Pariſiis 1729.

Joannis Grancolas Commentarius Hiſtoricus in Romanum Breviarium. Venetiis 1734.

Joan-

Joannis Clericati Opus de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Venetiis 1718.

Joannis Jacobi Scarſantoni Animadverſiones ad Elucubrationes Canonicas Franciſci Ceccoperii, in duas Partes diſtinctæ. Lucæ 1723. quibus additum eſt Parergon recentiſſimis Deciſionibus exornatum. Venetiis 1737.

Joannis Baptiſtæ Braſchii Promptuarium Synodale. Romæ 1727.

Joannis Baptiſtæ Halden Ephemerologium Eccleſiaſtico-Rubriciſticum novum, continens ſingularia Dominicarum, ac Feriarum, nec non Feſtorum, ac Pro-Feſtorum, ſeu Vigiliarum, &c. Brixinæ 1715.

Joannis Mariæ Turrini Directorium Sacrificantium, cum Diſſertatiuncula Joannis de Comitibus de Litaniis Majoribus & Minoribus. Venetiis 1732.

L

Laertii Cherubini Magnum Bullarium Romanum, in quinque Volumina diſtributum. Lugduni 1692. & 1697. Additis tribus ultimis Tomis noviſſimè impreſſis Luxemburgi 1727.

Laurentii de Peyrinis Privilegia Regularium, præſertim Minimorum. Venetiis 1619.

Ludovici Thomaſſini de Dierum Feſtorum celebratione Commentarius Hiſtoricus & Dogmaticus, Gallicè conſcriptus, deindè Latinè editus. Venetiis 1729.

M

Marci Antonii Marſilii Columnæ Hydragiologia, ſive de Aqua benedicta. Romæ 1586.

Marci Antonii Fagioli Scriptoris Itali *Calendario Perpetuo Razionale*, Bononiæ 1705.

Martyrologium Romanum, Gregorii XIII. juſſu editum, & Clementis X. auctoritate recognitum, cum noviſſimis Sanctorum Elogiis. Venetiis 1732.

Michaelis Bauldry Manuale Sacrarum Cæremoniarum, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Venetiis 1726.

Michaelis Timothei in Divinum Officium trecentum Quæſtiones. Venetiis 1581.

Miſſale Ambroſianum, Mediolani editum anno 1618.

N

Nicolai Angeli Caferrii Synthema Vetuſtatis. Romæ 1667.

O

OCtavarium Romanum, ſive, Octavæ Feſtorum, Lectiones ſcilicet ſecundi & tertii Nocturni infra Octavas Sanctorum recitandæ. Venetiis 1720.

Officia propria Sanctorum Monaſtici Ordinis S P. Benedicti, pro uſu Sanctimonialium ejuſdem Ordinis, cum pluribus S.R.C. Decretis per extenſum poſitis. Patavii 1715.

Officia propria Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium, cum pluribus Sacræ Rituum Congregationis Decretis per extenſum poſitis. Romæ.

P

PAridis Craſſi de Cæremoniis Cardinalium & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus Libri duo. Romæ 1580.

Pauli Mariæ Quarti Rubricæ Miſſalis Romani Commentariis illuſtratę. Venetiis 1727.

ejuſdem Duplex Sacer Tractatus, de Proceſſionibus ſcilicet Eccleſiaſticis & de Litaniis Sanctorum, ac de Sacris Benedictionibus. Ibidem, eodem Anno.

Pompeii Sarnelli Scriptoris Itali *Lettere Eccleſiaſticiche diviſe in dieci Tomi*. Venetiis 1716. & 1718.

ejuſdem *Commentarj intorno al Rito della Santa Meſſa*, Venetiis 1725.

Pontificale Romanum, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum, Romæ 1726.

R

RItuale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi juſſu editum. Venetiis 1725.

Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Ceremoniarum SS. Romanę Eccleſię Libri tres, Colonię Agrippinę 1557.

Ruperti Abbatis Monaſterii Tuitienſis, Ordinis S. Benedicti, de Divinis Officiis Libri duodecim. Antuerpię 1594.

S

SImonis Buongiovanni Sacrarum Ceremoniarum Sylva. Brixię 1724.

Stephani Quaranta Summa Bullarii, & Conſtitutionum. Venetiis 1642.

Synodicon S. Beneventanenſis Eccleſię, continens Conciiia XXI. collecta curà, labore, & ſtudio Fr. Vincentii Cardinalis Urſini Ar-

chie-

chiepiſcopi, poſtea Benedicti XIII. Pontificis Maximi. Romę 1724.

T

THeodoſii Rubei Horarium Univerſale Perpetuum Eccleſiaſticum. Romę 1652.

Thomę Paſcucci Compendium ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli, in duas Partes diſtinctum. Romę 1699. deinde Venetiis 1716.

Tobię Lohner Inſtructio Practica de SS. Miſſę Sacrificio juxta Ritum Romanę Eccleſię offerendo. Dilingę 1707. deinde Venetiis 1734.

V

VIncentii Ampliſſimi S.R.E.Cardinalis Petrę Commentaria ad Conſtitutione. Apoſtolicas in quinque Toms hactenus redacta. Romę 1705 1706. 1708. & 1726. deinde Venetiis 1729.

Z

ZAccarię Paſqualigo de Sacrificio novę Legis Queſtiones Theologicæ Morales Juridicę, in duos Tomos diſtinctę. Venetiis 1707.

CA-

CATALOGUS.

Capitum, & Paragraphorum

TOMI PRIMI.

CAPUT PRIMUM.

De Octava Privilegiata Nativitatis Domini, cæteriſque Octavis infra eam occurrentibus.

De Officio in Vigilia Nativitatis Domini. Pagina 3.

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia Nativitatis Domini.* 5.

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Noctem Nativitatis Domini,* 13

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Nativitatis Domini,* 32

§. IV. *De tribus Miſſis privatis, & de Veſperis in Die Nativitatis Domini,* 43.

§. V. *De quibuſdam Notandis in Die Nativitatis Domini.* 55.

§. VI. *De Feſto Sancti Stephani Protomartyris,* 58.

§. VII. *De Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.* 72.

§. VIII. *De Feſto SS. Innocentium Martyrum,* 80.

§. IX. *De Feſto S. Thomæ Epiſcopi, & Martyris.* 92.

§. X. *De Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.* 100.

§. XI. *De Feſto S. Silveſtri Papæ, & Confeſſoris,* 115.

§. XII. *De Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis.* 122.

§. XIII. *De tribus Diebus Octavis S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ac SS. Innocentium Martyrum.* 128.

CAPUT SECUNDUM.

De Octava Privilegiata Epiphaniæ Domini.

De tribus Miraculis eodem Die ſecutis, ſed non eodem anno. Pagina 141.

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad officium in Vigilia Epiphaniæ Domini.* 144.

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſ-*

tiam ſolemni, & denique de Secundis Veſperis. Unamquamque Octavam, ſive Privilegiatam ſive Communem, ab aliis cæteroquin diſtinctam, & ideò ſub uno ſeparato Capite comprehenſam, in plures dividimus Paragraphos; nam ſemper agimus de Vigilia, ſi habeat, deinde de Feſto primario, poſtmodùm de Diebus infra Octavam, mox de Dominica infra eandem Octavam incidente, & denique de ipſa Die Octava. Cæterùm ſi aliqua ex meis Opinionibus non ſit ritè & rectè fundata, eam, omnemque aliam, totumque meum Opuſculum, humillimè ſubmitto judicio & cenſuræ Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, quæ unica eſt & ſola Sacrorum Rituum & Cæremoniarum Magiſtra, à Spiritu Sancto edocta, cujus me fateor & profiteor obedientiſſimum Filium.

AUCTO-

AUCTORES
QUIBUS USI SUMUS
IN HOC TRACTATU
DE OCTAVIS.

A

ALphonſi Ciaconii de VitisPontificum Romanorum Tomi quatuor, cum Additionibus Andreæ Victorelli, &c. Romæ 1677.

Andreæ Piſcaræ Caſtaldi Praxis Cæremoniarum, ſeu Sacrorum Romanæ Eccleſiæ Rituum accurata Tractatio. Venetiis 1681.

ejuſdem Sacrarum Cæremoniarum, juxta Romanum Ritum, ex uſu Clericorum Regularium, accurata Diſtributio. Neapoli 1613.

Angeli à Lantuſca Theatrum Regularium, cum noviſſimis Additionibus J. B. P. S. V. Romæ 1717.

Antonii Baldaſſari Scriptoris Itali *La Roſa d'Oro Pontificia*. Venetiis 1709.

☞ Aſcanii Tamburini de Jure Abbatum Tomi tres. Auguſtæ Vindelicorum, & Coloniæ Agrippinæ 1691.

Auguſtini Barboſæ Summa Apoſtolicarum Deciſionum. Venetiis 1711.

Auguſtini Matthæucci Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ. Venetiis 1723.

B

BArtholomæi Gavanti Theſaurus Sacrorum Rituum. in duos Tomos diſtributus, Venetiis 1726.

ejuſdem Manuale Epiſcoporum. Ibidem, eodem Anno.

Bartholomæi Corſetti noviſſima ad inſtar Cæremonialis Epiſcoporum Praxis. Venetiis 1667.

Bernardi Biſſi Hierurgia, in duos Tomos diſtincta. Genuæ 1686.

Digitized by Google

AUCTORES.

C

CÆremoniale Epiſcoporum Clementis VIII. primùm, dein Innocentii X. poſtmodum Benedicti XIII. Auctoritate recognitum. Romæ 1729.

Cæſaris S.R.E. Cardinalis Baronii Notationes ad Martyrologium Romanum. Venetiis 1611.

Cajetani Mariæ Merati, Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris Additiones ad Gavantum, Tomus primus, Pars prima. Romæ 1736. Tomus primus, Pars ſecunda. Ibidem 1737. Alii duo Tomi deſiderantur, ſed ſunt ib ſub prælo.

Caroli Guyeti Heortologia, ſive de Feſtis propriis Locorum & Eccleſiarum. Lutetiæ Pariſiorum 1657. deinde Venetiis 1729.

Claudii Arnaud Theſauri Sacrorum Rituum Epithome. Venetiis 1674.

Claudii La Croix Theologia Moralis in duos Tomos diſtincta. Venetiis 1738.

Clementis XI. Pontificis Maximi Bullarium. Romæ 1723.

Collectio Bullarum, Conſtitutionum, & Ordinationum, ab Innocentio XII. Pontifice Maximo editarum. Romæ 1697.

Cornelii Margarini Bullarium Caſinenſe, in duos Tomos diviſum, quorum primus Venetiis 1650. ſecundus verò Tuderti 1709.

D

DOminici Georgii Rhodigini de Liturgia Romani Pontificis in ſolemni celebratione Miſſarum Libri duo. Romæ 1731.

Dominici Macri Hierolexicon, ſive, Sacrum Dictionarium. Venetiis 1712.

Dominici Urſayæ in Urbe Advocati Diſceptationes Eccleſiaſticæ, in quinque Tomos diſtinctæ. Romæ 1716. 1717. & 1719. deinde additis aliis quatuor Tomis, Venetiis 1724. & 1736.

F

FOElicis Gabrielli Animadverſio ſuper Rubricam *Si non eſt Dies Obitus*, appoſitam in Hymno *Iſte Confeſſor*. Patavii. 1713.

Franciſci Mariæ Pittonii in Urbe Advocati, deinde Benedicti XIII. Auditoris Diſceptationes Eccleſiaſticæ, in tres Partes diviſæ. Romæ 1704. deinde Venetiis.

Franciſci Pagi Breviarium de illuſtrioribus Pontificum Romanorum Geſtis, in quatuor

tuor Tomos diſtributum. Venetiis 1730.

Franciſci Monacelli Formularium Legale Practicum, in quatuor Partes diſtinctum. Venetiis 1707. 1710. & 1715.

G

GEorgii Polachi Scriptoris Itali *Aforiſmi ſopra le Cerimonie Sacre, uſate dalla Santa Chieſa Romana nel Sagrifizio della Meſſa*. Venetiis 1665.

Georgii Gobati Operum Moralium Tomi tres. Venetiis 1716.

S. Gregorii Papæ I. cognomento Magni Operum Tomus tertius; ubi Liber Sacramentorum. Pariſiis 1705.

Gulielmi Durandi Rationale Divinorum Officiorum, cum Additionibus Joannis Belethi. Venetiis 1609.

H

HEnrici Piſart Cæremoniæ Eccleſiæ, certis quibuſdam Diebus obſervandæ. Coloniæ Agrippinæ 1722.

ejuſdem Expoſitio Rubricarum Miſſalis Romani. Ibidem 1727.

Hieronymi Baruffaldi Commentaria in Rituale Romanum. Venetiis 1731.

Hieronymi Tonellii Sacrum Enchiridium, ea, quæ ad Sacrificium Miſſæ ſpectant, ob oculos ponens. Venetiis 1695.

Hieronymi Carelli Scriptoris Itali *Dottrina de' Sacri Riti, ovvero, Eſpoſizione Dialogica ſopra le Rubriche del Breviario Romano*. Venetiis 1668.

Hieronymi Nicolii Lucubrationes utriuſque Juris. Romæ Anno Jubilæi 1700.

ejuſdem Floſculi ex utroque Jure libati. Venetiis 1706.

Hippolyti à Portu de Cultu Dei & Hominum: Opus Liturgico-Morale. Venetiis 1705. deinde ibidem 1738.

Horatii Chriſtiani Praxis Pontificalis pro majori Hebdomada. Bononiæ 1680.

I

JAcobi Eveillon de Proceſſionibus Eccleſiaſticis Liber. Pariſiis 1651.

Joannis Cardinalis de Lugo Diſputationum Scholaſticarum & Moralium Tomus quintus. Venetiis 1719.

Joannis Mabillon de Liturgia Gallicana Libri tres. Pariſiis 1729.

Joannis Grancolas Commentarius Hiſtoricus in Romanum Breviarium. Venetiis 1734.

Joan-

Joannis Clericati Opus de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Venetiis 1718.

Joannis Jacobi Scarſantoni Animadverſiones ad Elucubrationes Canonicas Franciſci Ceccoperii, in duas Partes diſtinctæ. Lucæ 1723. quibus additum eſt Parergon recentiſſimis Deciſionibus exornatum. Venetiis 1737.

Joannis Baptiſtæ Braſchii Promptuarium Synodale. Romæ 1727.

Joannis Baptiſtæ Halden Ephemerologium Eccleſiaſtico-Rubriciſticum novum, continens ſingularia Dominicarum, ac Feriarum, nec non Feſtorum, ac Pro-Feſtorum, ſeu Vigiliarum, &c. Brixinæ 1715.

Joannis Mariæ Turrini Directorium Sacrificantium, cum Diſſertatiuncula Joannis de Comitibus de Litaniis Majoribus & Minoribus. Venetiis 1732.

L

LAertii Cherubini Magnum Bullarium Romanum, in quinque Volumina diſtributum. Lugduni 1692. & 1697. Additis tribus ultimis Tomis noviſſimè impreſſis Luxemburgi 1727.

Laurentii de Peyrinis Privilegia Regularium, præſertim Minimorum. Venetiis 1649.

Ludovici Thomaſſini de Dierum Feſtorum celebratione Commentarius Hiſtoricus & Dogmaticus, Gallicè conſcriptus, deindè Latinè editus. Venetiis 1729.

M

MArci Antonii Marſilii Columnæ Hydragiologia, ſive de Aqua benedicta. Romæ 1586.

Marci Antonii Fagioli Scriptoris Itali *Calendario Perpetuo Razionale*, Bononiæ 1705.

Martyrologium Romanum, Gregorii XIII. juſſu editum, & Clementis X. auctoritate recognitum, cum noviſſimis Sanctorum Elogiis. Venetiis 1732.

Michaelis Bauldry Manuale Sacrarum Cæremoniarum, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Venetiis 1726.

Michaelis Timothei in Divinum Officium trecentum Quæſtiones. Venetiis 1581.

Miſſale Ambroſianum, Mediolani editum anno 1618.

N

NIcolai Angeli Caferrii Synthema Vetuſtatis. Romæ 1667.

Octa-

O

OCtavarium Romanum, ſive, Octavæ Feſtorum, Lectiones ſcilicet ſecundi & tertii Nocturni infra Octavas Sanctorum recitandæ. Venetiis 1720.

Officia propria Sanctorum Monaſtici Ordinis S P. Benedicti, pro uſu Sanctimonialium ejuſdem Ordinis, cum pluribus S.R.C. Decretis per extenſum poſitis. Patavii 1715.

Officia propria Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium, cum pluribus Sacræ Rituum Congregationis Decretis per extenſum poſitis. Romæ.

P

PAridis Craſſi de Cæremoniis Cardinalium & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus Libri duo. Romæ 1580.

Pauli Mariæ Quarti Rubricæ Miſſalis Romani Commentariis illuſtratę. Venetiis 1727.

ejuſdem Duplex Sacer Tractatus, de Proceſſionibus ſcilicet Eccleſiaſticis & de Litaniis Sanctorum, ac de Sacris Benedictionibus. Ibidem, eodem Anno.

Pompeii Sarnelli Scriptoris Itali *Lettere Eccleſiaſticiche diviſe in dieci Tomi*. Venetiis 1716. & 1718.

ejuſdem *Commentarj intorno al Rito della Santa Meſſa*, Venetiis 1725.

Pontificale Romanum, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum, Romæ 1726.

R

RItuale Romanum Pauli V. Pontificis Maximi juſſu editum. Venetiis 1725.

Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Ceremoniarum SS. Romanę Eccleſię Libri tres, Colonię Agrippinę 1557.

Ruperti Abbatis Monaſterii Tuitienſis, Ordinis S. Benedicti, de Divinis Officiis Libri duodecim. Antuerpię 1594.

S

SImonis Buongiovanni Sacrarum Cęremoniarum Sylva. Brixię 1724.

Stephani Quaranta Summa Bullarii, & Conſtitutionum. Venetiis 1642.

Synodicon S. Beneventanenſis Eccleſię, continens Conciiia XXI. collecta curà, labore, & ſtudio Fr. Vincentii Cardinalis Urſini Ar.

chie-

chiepiſcopi, poſteà Benedicti XIII. Pontificis Maximi. Romę 1724.

T

THeodoſii Rubei Horarium Univerſale Perpetuum Eccleſiaſticum. Romę 1652.

Thomę Paſcucci Compendium ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli, in duas Partes diſtinctum. Romę 1699. deinde Venetiis 1716.

Tobię Lohner Inſtructio Practica de SS. Miſſę Sacrificio juxta Ritum Romanę Eccleſię offerendo. Dilingę 1707. deinde Venetiis 1734.

V

VIncentii Ampliſſimi S.R.E. Cardinalis Petrę Commentaria ad Conſtitutione. Apoſtolicas in quinque Toms hactenus redacta. Romę 1705 1706. 1708. & 1726. deio5 Venetiis 1729. nde.

Z

ZAccarię Paſqualigo de Sacrificio novę Legis Queſtiones Theologicæ Morales Juridicę, in duos Tomos diſtinctę. Venetiis 1707.

CATALOGUS.

Capitum, & Paragraphorum

TOMI PRIMI.

CAPUT PRIMUM.

De Octava Privilegiata Nativitatis Domini; cæteriſque Octavis infra eam occurrentibus.

De Officio in Vigilia Nativitatis Domini. Pagina 3.

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia Nativitatis Domini.* 5.

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Noctem Nativitatis Domini*, 13

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Nativitatis Domini*, 32

§. IV. *De tribus Miſſis privatis, & de Veſperis in Die Nativitatis Domini*, 43.

§. V. *De quibuſdam Notandis in Die Nativitatis Domini.* 55.

§. VI. *De Feſto Sancti Stephani Protomartyris*, 58.

§. VII. *De Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.* 72.

§. VIII. *De Feſto SS. Innocentium Martyrum*, 80.

§. IX. *De Feſto S. Thomæ Epiſcopi, & Martyris.* 92.

§. X. *De Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.* 100.

§. XI. *De Feſto S. Silveſtri Papæ, & Confeſſoris.* 115.

§. XII. *De Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis.* 122.

§. XIII. *De tribus Diebus Octavis S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ac SS. Innocentium Martyrum.* 128.

CAPUT SECUNDUM.

De Octava Privilegiata Epiphaniæ Domini.

De tribus Miraculis eodem Die ſecutis, ſed non eodem anno. Pagina 141.

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad officium in Vigilia Epiphaniæ Domini.* 144.

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſ-*

Miſſam, & Veſperas in Vigilia Epiphaniæ Domini. 149.
§. III. *De iis, quæ ſpectant ad Officium in ipſo Feſto Epiphaniæ Domini.* 154.
§. IV. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto Epiphaniæ Domini.* 158.
§. V. *De Officio in Diebus infra Octavam Epiphaniæ Domini occurrentibus.* 169.
§. VI. *De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Epiphaniæ.* 175.
§. VII. *De Officio in Dominica infra Octavam Epiphaniæ.* 188.
§. VIII. *De Miſſa, & Veſperis in Dominica infra Octavam Epiphaniæ.* 192.
§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Epiphaniæ Domini.* 199.
§. X. *De Miſſa, & Veſperis in Die Octava Epiphaniæ Domini.* 204.

CAPUT TERTIUM.

De Octava Privilegiata Paſchæ Domini.

Quam ſolemne Feſtum ſit Paſcha Domini. 214.
§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum Sanctum.* 217.
§. II. *De Propheticis, & Fontis Benedictione, ac Litaniis in Sabbato Sancto.* 227.
§. III. *De Miſſa ſolemniter celebranda in Sabbato Sancto.* 236.
§. IV. *De quibuſdam ſcitu dignis, ad Sabbatum Sanctum ſpectantibus, extra tamen Functiones Diei.* 254.
§. V. *De Die Sancto Paſchæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* 261.
§. VI. *De Miſſa in Die Sancto Paſchæ celebranda, ac etiam de Veſperis.* 266.
§. VII. *De quibuſdam aliis ſcitu dignis, ad Diem Sanctum Paſchæ ſpectantibus.* 280.
§. VIII. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam infra Octavam Paſchæ.* 285.
§. IX. *De modo dicendi Litanias Majores, ſive occurrant in Feria ſecunda Paſchæ, ſive in alia Die infra hanc Octavam.* 292.
§. X. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam infra Octavam Paſchæ.* 305.
§. XI. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam quartam infra Octavam Paſchæ.* 309.
§. XII. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam quintam infra Octavam Paſchæ.* 322.
§. XIII. *De iis, quæ ſpectant ad*

ad Feriam ſextam infra Octavam Paſchæ. 326.
§. XIV. De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum in Albis. 330.
§. XV. De iis, quæ ſpectant ad Dominicam in Albis, & in Octava Paſchæ. 336.

CAPUT QUARTUM.

De Octava Privilegiata Pentecoſtes.

Nonnulla de Adventu Spiritus Sancti. 345.
§. I. De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes. 347.
§. II. De iis, quæ ſpectant ad Dominicam in Feſto Pentecoſtes. 357.
§. III. De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam infra Octavam Pentecoſtes. 365.
§. IV. De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam infra Octavam Pentecoſtes. 369.
§. V. De iis, quæ ſpectant ad Feriam quartam Temporum infra Octavam Pentecoſtes. 371.
§. VI. De iis, quæ ſpectant ad Feriam quintam infra Octavam Pentecoſtes. 378.
§. VII. De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſextam Temporum infra Octavam Pentecoſtes. 381.
§. VIII. De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum quatuor Temporum infra Octavam Pentecoſtes. 384.
§. IX. Pauca de Feſto SS. Trinitatis, in cujus primis Veſperis deſinit tempus Paſchale. 387.

CAPUT QUINTUM.

De Octava Privilegiata Sacratiſſimi Corporis Chriſti

Dilucidantur aliqua Verba Evangelica de SS. Corpore, & Sanguine Chriſti. 391.
§. I. De Inſtitutione celeberrima Solemnitatis SS. Corporis Chriſti. 393.
§. II. De Feria Quarta Feſtum SS. Corporis Chriſti immediatè præcedente. 396.
§. III. De iis, quæ ſpectant ad ipſum Diem Feſtum in Solemnitate SS. Corporis Chriſti 404.
§. IV. De Diebus infra Octavam SS. Corporis Chriſti occurrentibus. 412.
§. V. De Feſtis, ſeu Officiis Sanctorum, quæ celebrari poſſunt infra Octavam SS. Corporis Chriſti. 423
§. VI. An aliquod Feſtum

duplex translatum celebrari poſſit infra Octavam SS. Corporis Chriſti. 430.

§. VII. *Quomodo intelligenda ſit illa Rubrica Breviarii de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ veniente in Feſto SS. Corporis Chriſti.* 435.

§. VIII. *De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam SS. Corporis Chriſti.* 444.

§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti.* 448.

§. X. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam SS. Corporis Chriſti.* 457.

§. XI. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava SS. Corporis Chriſti.* 464.

CAPUT SEXTUM.

De Proceſſione ſolemni in Feſto SS. Corporis Chriſti.

D*E Inſtitutione celeberrimæ Proceſſionis in Die Feſto SS. Corporis Chriſti.* 474.

§. I. *De Præcedentia generaliter in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 478.

§. II. *De Præcedentia Confraternitatum inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 481.

§. III. *De Præcedentia Regularium inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 484.

§. IV. *De Præcedentia Ordinum Monaſticorum in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 493.

§. V. *De Præcedentia Cleri Sæcularis ſupra Regulares in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 496.

§. VI. *De Præcedentia Cleri Sæcularis inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.* 500.

§. VII. *De egreſſu, & ingreſſu Proceſſionis in Feſto SS. Corporis Chriſti.* 510.

§. VIII. *De reditu Proceſſionis ad Eccleſiam in Feſto SS. Corporis Chriſti.* 530.

§. IX. *De Proceſſione infra Octavam SS. Corporis Chriſti, & præſertim in Dominica infra eandem Octavam.* 538.

CATALOGUS.

Capitum, & Paragraphorum

TOMI SECUNDI.

CAPUT PRIMUM.

De Octava Communi Aſcenſionis Domini.

Declarantur nonnulla de Aſcenſione Domini. Pagina 3

§. I. *De Litaniis minoribus, ſeu Rogationibus, in triduo ante Aſcenſionem Domini recitandis.* 8

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam Rogationum.* 14

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam Rogationum.* 25

§. IV. *De Feria quarta Rogationum, & præſertim de Vigilia Aſcenſionis Domini.* 34

§. V. *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Diem Aſcenſionis Domini.* 42

§. VI. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto Aſcenſionis Domini.* 47

§. VII. *De Diebus infra Octavam Aſcenſionis Dominica occurrentibus.* 55

§. VIII. *De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Aſcenſionis Dominica occurrentibus.* 65

§. IX. *De Dominica infra Octavam Aſcenſionis Domini.* 77

§. X. *De Miſſa, & Veſperis in Dominica infra Octavam Aſcenſionis.* 83

§. XI. *De Feſto ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam Aſcenſionis.* 89

§. XII. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Aſcenſionis Dominicæ.* 96

§. XIII. *De duobus Diebus, Feria ſcilicet ſexta, & Sabbato, ſucceſſivè poſt Diem Octavam Aſcenſionis occurrentibus.* 101

b CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Octava Communi Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.

ENarrantur præclara Geſta S. Joannis Baptiſtæ. *Pag.* 116

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ.* 133

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ.* 138

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.* 145

§. IV. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto S. Joannis Baptiſtæ.* 149

§. V. *De Diebus infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ occurrentibus.* 157

§. VI. *De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.* 163

§. VII. *De Dominica infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ occurrente.* 169

§. VIII. *De Die Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.* 177

CAPUT TERTIUM.

De Octava Communi SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

GEſta, & Laudationes SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. *Pag.* 188

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 204

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 209

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad Veſperas in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 215

§. IV. *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 221

§. V. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 228

§. VI. *De iis, quæ ſpectant ad primum triduum infra*

infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. 240

§. VII. *De iis, quæ ſpectant ad ſecundum triduum infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 251

§. VIII. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 264

§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 278

§. X. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 286

§. XI. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 294

§. XII. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.* 301

CAPUT QUARTUM.

De Octava Communi S. Laurentii Levitæ & Martyris.

Tria conſiderantur in S. Laurentio, Pietas in Eleemoſynis; ſtabilitas in Fidei confeſſione, & Martyrium ſpeciale. Pag. 311

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 318

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 323

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 332

§. IV. *De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 346

§. V. *De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 355

§. VI. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam S. Laurentii Levitæ & Martyris.* 361

CAPUT QUINTUM.

De Octava Communi Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Nonnulla conſiderantur in Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis. Pagina 369

§. I. De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 377

§. II. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 384

§. III. De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 393

§. IV. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 400

§. V. De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 409

§. VI. De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 418

§. VII. De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 428

CAPUT SEXTUM.

De Octava Communi Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

De ſingularitate Nativitatis B. M. V. Pagina 639

§. I. De iis, quæ dici poſſunt circa Profeſtum Nativitatis B. M. V. 444

§. II. De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Nativitatis B. M. V. 450

§. III. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto Nativitatis Beatæ M. V. 454

§. IV. De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis. 462

§. V. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam Nativitatis B. M. V. 469

§. VI. De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Nativitatis B. M. Virgi-

Virginis. 477

§. VII. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominicam infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis.* 485

§. VIII. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Nativitatis B. M. V.* 489

§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.* 495

CAPUT SEPTIMUM.

De Octava Communi omnium Sanctorum.

DUæ nobis repræſentantur Sanctorum Solemnitates: nobiſque oſtenditur Paradiſus ordine hierarchico diſpoſitus. Pag. 501

§. I. *De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam omnium Sanctorum.* 506

§. II. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Vigilia omnium Sanctorum.* 514

§. III. *De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum omnium Sanctorum.* 522

§. IV. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto omnium Sanctorum.* 526

§. V. *De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam omnium Sanctorum.* 533

§. VI. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam omnium Sanctorum.* 538

§. VII. *De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam omnium Sanctorum.* 544

§. VIII. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam omnium Sanctorum.* 549

§. IX. *De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam omnium Sanctorum.* 557

§. X. *De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava omnium Sanctorum.* 562

CAPUT OCTAVUM.

De Octava Communi Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Oſtenditur Privilegium Mariæ in ejus Conceptione. Pag. 566
§. I. De iis, quæ ſpectant ad inſtitutionem Feſti Conceptionis B. M. V. 571
§. II. De iis, quæ ſpectant ad Profeſtum Conceptionis B. M. V. 576
§. III. De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Conceptionis B. M. V. 582
§. IV. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in ipſo Feſto Conceptionis B. M. Virginis. 587
§. V. De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam Conceptionis B. M. V. 598
§. VI. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Diebus infra Octavam Conceptionis B. M. V. 604
§. VII. De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam Conceptionis B. Mariæ Virginis. 616
§. VIII. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam Conceptionis B. M. V. 621
§. IX. De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Conceptionis B. M. V. 630
§. X. De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava Conceptionis B. M. V. 638

DE COMMEMORATIONE.

Omnium Fidelium Defunctorum.

Ratio diſſerendi de hac Commemoratione extra Octavam omnium Sanctorum. Pag. 3
§. I. De inſtitutione hujus Commemorationis, deque ratione inſtituendi. Ibidem.
§. II. De iis, quæ ſpectant ad Diem, in quo revera celebranda eſt hac Commemoratio. 8
§. III. De iis, quæ ſpectant ad Veſperas, & Matutinum cum Laudibus Defunctorum pro hac Commemoratione. 14
§. IV. De iis, quæ ſpectant ad Miſſas Defunctorum in hac generali eorum Commemoratione. 21
§. V. An celebrari poſſint alia

aliæ Miſsa, diverſa à prima in Die hujus Dommemorationis? 27

§. VI. De iis, quæ ſpectant ad Dies infra Octavam omnium Defunctorum. 36

§. VII. De Altaribus Privilegiatis, præſertim in Die hujus Commemorationis, & infra Octavam, ac de Indulgentiis conceſſis pro Defunctis. 42

OCTAVÆ LOCORUM

ALPHABETICO DIŒCESUM ORDINE DISTRIBUTÆ,

Quibus utimur in utroque Tomo ad exemplum ſimultaneæ Occurrentiæ infra Octavas Univerſales.

A

A*Bulen.* Die 2. Maii, Feſtum S. Secundi Epiſcopi & Martyris Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Abulen. Die 6. Auguſti, Transfiguratio Domini, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Abulen. Die 8. Septembris, Nativitas B. M. V. dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Abulen. Die 8. Decembris, Conceptio B. M. V. dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Adrien. Die 22. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 29. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Anconitana, Die 4. Maii, Feſtum S. Cyriaci Epiſcopi & Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Anconitana, Die 27. Maii, Feſtum S. Liberii Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 3. Junii, Dies Octava.

Ariminen. Die 31. Decembris, Feſtum S. Columbæ Virginis & Martyris, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis, ſine Octava.

Aſturien. Die 25. Maii, Feſtum S. Genadii Epiſcopi Confeſſoris Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 1. Junii, Dies Octava.

Aſtu-

Aſturien. Die 2. Julii, Viſitatio B. M. V. dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Auguſtana Taurinorum, Die 4. Maii, Feſtum SS. Syndonis, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Auguſtana Taurinorum, Die 24. Junii, Nativitas S. Jo: Baptiſtæ, Titularis Eccleſiæ Metropolitanæ, dupl. 1. claſſis. Die 1. Julii, Dies Octava.

Auguſtana Taurinorum, Die 25. Junii, Feſtum S. Maximi Epiſcopi & Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 2. Julii, Dies Octava.

Auguſtana Taurinorum, Die 2. Julii, Viſitatio B. M. V. dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Auguſtana Vindelicorum, Die 4. Julii, Feſtum S. Udalrici Epiſcopi & Confeſſoris Urbiſque Patroni, duplex 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

B

Barcinonen. Die 23. Aprilis, Feſtum S. Georgii Martyris, duplex 1. claſſis. Die 30. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Barcinonen. Die 3. Maii, Inventio S. Crucis, dupl. 1. claſſis. Die 10. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Barcinonen. Die 14. Septembris, Exaltatio S. Crucis, dupl. 1. claſſis. Die 21. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Barcinonen. Die 29. Octobris, Feſtum S. Narciſi Epiſcopi & Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 5. Novembris, Dies Octava.

Barcinonen. Die 6. Novembris, Feſtum S. Severi Epiſcopi & Martyris, duplex 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Bergomen. Die 8. Januarii, Feſtum S. Laurentii Juſtiniani, primi Venetiarum Patriarchæ & Confeſſoris, dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Bracharen. Die 26. Aprilis, Feſtum S. Petri Martyris, primi ejuſdem Civitatis Epiſcopi, duplex 1. claſſis. Die 3. Maii, Dies Octava.

Bracharen. Die 5. Decembris, Feſtum S. Geraldi Epiſcopi & Confeſſoris, dupl. 1. claſſis. Die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Brixinen. Die 13. Auguſti, Feſtum S. Caſſiani Epi-

pi,

piſcopi Martyris Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis, ſed ſine Octava, quia Patroni præcipui ſunt ibi SS. Ingenuinus & Alboinus, Epiſcopi & Confeſſores, occurrentes die 5. Februarii, quorum ſacra Corpora ſemel atque iterum ibidem veneratus ſum.

C

CÆſenaten. Die 24. Junii, Nativitas S. Jo: Baptiſtæ, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 1. Julii, Dies Octava.

Camerinen. Die 18. Maii, Feſtum S. Venantii Martyris Urbiſque Patroni, duplex 1. claſſis. Die 25. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Caurien. Die 20. Aprilis, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 27. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Clodien. Die 27. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 3. Junii, Dies Octava.

Clodien. Die 11. Junii, Feſtum SS. Felicis & Fortunati Martyrum Urbiſque Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 18. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Comaclen. Die 13. Auguſti, Feſtum S. Caſſiani Epiſcopi & Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 20. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Compoſtellana. Die 29. Decembris, Feſtum S. Thomæ Epiſcopi & Martyris, dupl. min.

Compoſtellana. Die 30. Decembris, Translatio S. Jacobi Apoſtoli, dupl. 2. claſſis.

Concordien. Die 3. Auguſti, Inventio S. Stephani Protomartyris, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, duplex 1. claſs. Die 10. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Concordien. Die 4. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Conimbricen. Die 31. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 7. Septembris, Dies Octava.

Cracovien. Die 23. Aprilis, Feſtum S. Adalberti Epiſcopi & Martyris, duplex 1. claſſis. Die 30. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Cracovien. Die 4. Maii, Feſtum S. Floriani Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Cracovien. Die 8. Maii, Fe-

Feſtum S. Stanislai Epiſcopi & Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Cracovien. Die 22. Augusti, Feſtum S. Hyacinthi Confeſſoris, dupl. 1. claſſis.

Cremonen. Die 2. Junii, Feſtum SS. Marcellini & Petri Martyrum, Urbis Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Cremonen. Die 15. Augusti, Aſſumptio B. M. V. Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Curien. Die 6. Junii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

E

EBoren. die 22. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 29. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Eugubina. die 16. Maii, Feſtum S. Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 23. ejuſdem Menſis, dies Octava.

F

FAventina, die 7. Decembris, Feſtum S. Savini Epiſcopi & Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 14. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Feltren. die 10. Januarii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 17. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Feltren. die 14. Maii, Feſtum SS. Victoris & Coronæ Martyrum, Urbiſque Patronorum, dupl. 1. claſſis. die 21. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Feltren. die 7. Novembris, Feſtum S. Proſdocimi Epiſcopi & Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 14. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Ferrarien. die 24. (non verò 23.) Aprilis, S. Georgii Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 1. Maii, dies Octava.

Ferrarien. die 7. Maii, Feſtum S. Maurelii Epiſcopi & Martyris, dupl. 2. claſſis. die 14. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Feſulana. die 6. Julii, Feſtum S. Romuli Epiſcopi & Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 13. ejuſdem Menſis, dies

dies Octava.

Florentina; die 25. Maii, Feſtum S. Zenobii Epiſcopi, & Confeſſoris, dupl. 1. claſſis. die 1. Junii, dies Octava.

Friſingen. die 2. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 9. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Friſingen. die 8. Septembris, Nativitas B. M. V. dupl. 1. claſſis. die 15. ejuſdem Menſis, dies Octava. Hæc Civitas habet Monachium in Diœceſi, & utramque Urbem vidi in perluſtratione Germaniæ.

G

GEnuen. ſeu *Jannen.* die 24. (non verò 23.) Aprilis, Feſtum S. Georgii Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 1. Maii, dies Octava.

Genuen. die 24. Junii Feſtum Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ Patroni, dupl. 1. claſſis. die 1. Julii, dies Octava.

Genuen. die 7. Julii, Feſtum S. Syri Epiſcopi & Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 14. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Genuen. die 20. Auguſti, Feſtum S. Bernardi Abbatis, Urbis Patroni, dupl. 1. claſſis. die 27. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Gneſnen. die 23. Aprilis, Feſtum S. Adalberti Epiſcopi, & Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 30. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Gneſnen. die 8. Maii, Feſtum S. Stanislai Epiſcopi & Martyris, ac Patroni, dupl. 1. claſſis. die 15. ejuſdem Menſis, dies Octava.

I

JAdren. Die 9. Junii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 16. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Imolen. die 13. Auguſti, Feſtum S. Caſſiani Epiſcopi & Martyris, dupl. 1. claſſis. die 20. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Juſtinopolitana. die 19. Junii, Feſtum S. Nazarii Epiſcopi Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 26. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Juſtinopolitana, *Inſulis*, die 10. Auguſti, Dedicatio illius Eccleſiæ dupl. 1. claſſis. die 17. ejuſdem Menſis, dies Octava.

L

Lauretana. Die 2. Julii, Viſitatio B. M. V. dupl. 1. claſſis. die 9. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Lauretana, die 8. Septembris, Nativitas B. M. V. dupl. 1. claſſis. die 15. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Lauretana, die 8. Decembris, Conceptio B. M. V. dupl. 1. claſſis. die 15. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Legionen. die 2. Septembris, Feſtum S. Antonini Martyris, dupl. 2. claſſis. die 9. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Lucana, die 1. Septembris, Feſtum S. Reguli Epiſcopi Martyris, dupl. 2. claſſis. die 8. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Lucana, die 14. Septembris, Exaltatio S. Crucis, dupl. 1. claſſis. Die 21. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Lycien. Die 5. Maii, Feſtum S. Irenes Virginis Martyris, Urbiſque Patronæ, dupl. 1. claſſis. Die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Lycien. Die 2. Julii, Viſitatio B. M. V. dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Lycien. Die 15. Auguſti, Aſſumptio B. M. V. Titularis Eccleſiæ Cathedralis, duplex 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

M

Maceraten. Die 15. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Maceraten. in Collegiata, Die 6. Auguſti, Transfiguratio Domini, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Malacitana, Die 15. Maii, Feſtum S. Iſidori Agricolæ Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Malacitana, Die 18. Junii, Feſtum SS. Cyriaci & Paulæ Martyrum, Urbiſque Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 25. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Malacitana, Die 19. Auguſti, Feſtum S. Ludovicii Epiſcopi Confeſſoris, dupl. 2. claſſis.

Malacitana, *per Diœceſim*, Dedicatio Eccleſiarum Diœceſis, dupl. 1. claſſis. Die 8. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Malacitana, Die 16. Septem-

ptembris, Feſtum. S. Euphemiæ Virginis & Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 23. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Malacitana, Die 8. Decembris, Conceptio B. V. M. dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis; Dies Octava.

Mantuana, Die 6. Aprilis; Feſtum S. Cœleſtini Papæ Confeſſoris; Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis; Dies Octava.

Mazarien. Die 15. Junii, Feſtum SS. Viti & Sociorum Martyrum; Urbis Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Mazarien. Die 6. Augusti, Transfiguratio Domini, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Meſſanen. Die 3. Junii, Feſtum Deiparæ à Sacris Litteris nuncupatæ, Urbis Patronæ; dupl. 1. claſſis. Die 10. ejuſdem Menſis Dies Octava.

Mutinen. Die 30. Aprilis, Translatio Corporis S. Geminiani Epiſcopi Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Dies 7. Maii, Dies Octava.

N

Neapolitana, Die 7. Julii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 14. ejuſdem Menſis; Dies Octava.

Neapolitana; Die 4. Auguſti, Feſtum S. Dominici Confeſſoris, & Patroni; dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Neapolitana, Die 15. Auguſti, Aſſumptio B. M. V. Titularis Eccleſiæ Cathedralis; dupl. 1. claſſis; Die 22. ejuſdem Menſis; Dies Octava.

O

Œttingen. Die 1. Maii, Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi; dupl. 1. claſſis. Die 8. ejuſdem Menſis, Dies Octava. Œttingæ in Bavaria reverenter aſſervatur parva Statua Beatæ Mariæ Virginis, Miraculis claræ, ad cujus Aram celebravi in meo itinere per Germaniam.

Oveten. Die 6. Auguſti, Transfiguratio Domini, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Digitized by Google

Ovaten. Die 7. Septembris, Translatio S. Eulaliæ Virginis Martyris dupl. 2. claſsis: Die 14. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Ovetan. Die 14. Septembris, Exaltatio S. Crucis, dupl. 1. claſſis. Die 21. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Oveten. Die 12. Decembris, Feſtum S. Eulaliæ Virginis, Martyris, Urbiſque Patronæ, cum Octava uſque ad Nonam diem decimę ſextæ.

Oxomen. Die 2. Auguſti, Feſtum S. Petri Epiſcopi Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Oxomen. Die 4. Auguſti, Feſtum S. Dominici Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Oxomen. Die 9. Auguſti, Feſtum SS. Juſti & Paſtoris Fratrum Martyrum, dupl. 2. claſſis.

P

P*Acen.* Die 24. Junii, Nativitas S. Jo: Baptiſtæ, Urbis Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 1. Julii, Dies Octava.

Pampilonen. die 7. Julii, Feſtum S. Firmini Epiſcopi Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 14. ejuſdem Menſis dies Octava.

Parentina. Die 8. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis, Die 15. ejuſdem Menſis dies Octava.

Paramen. die 14. Januarii, Feſtum S. Hilarii Epiſcopi Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 2. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Paſſavien. die 3. Auguſti, Inventio S. Stephani Protomartyris, dupl. 1. claſſis. die 10. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Paſſavien. die 4. Auguſti, Translatio S. Valentini Epiſcopi Confeſſoris, dupl. 1. claſſis. die 11. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Paſſavien. die 5. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Patavina. die 3. Januarii, Inventio S. Danielis Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 10. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Patavina. die 24. Aprilis, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die

die 1. Maii, Dies Octava.

Patavina, Die 13. Junii, Feſtum S. Antonii de Padova Confeſsoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 20. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Patavina, die 7. Novembris, Feſtum S. Proſdocimi Epiſcopi Confeſsoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 14. ejuſdem Menſis. Dies Octava.

Peruſina, die 5. Aprilis, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Peruſina, die 10 Auguſti, Feſtum S. Laurentii Levitæ Martyris, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 17. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Piſana, die 17. Junii, Feſtum S. Raynerii Confeſſoriis, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. die 24. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Piſana, die 2. Julii, Viſitatio B. M. V. dupl. 2. claſſis. die 9. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Piſana, die 15. Auguſti, Aſſumptio B. M. V. Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 22. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Piſauren. die 15. Auguſti Aſſumptio B. M. V. Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 22. ejuſdem Menſis, dies Octava.

Portulegnen. die 14. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 21. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Portucalen. die 9. Septembris, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. die 16. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Pragen. die 23. Aprilis, Feſtum S. Adalberti Epiſcopi Maryris, & Patroni, dupl. 1. claſſis. die 30. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Pragen. die 2. Maii, Feſtum S. Sigiſmundi Martyris, & Patroni, dupl. 1. claſſis, die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Pragen. die 15. Junii, Feſtum S. Viti Martyris, & Patroni, dupl. 1. claſſis. die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Pragen. die 16. Septembris, Feſtum S. Ludmillæ Viduæ Martyris, & Patronæ, dupl. 1. claſſis.

Pragen. die 8. Decembris, Conceptio B. M. V. dupl. 1. claſſis. die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

R

R*Avennaten.* Die 13. Aprilis, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 20. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Ravenaten. Die 28. Aprilis, Feſtum S. Vitalis Martyris, dupl. 2. claſſis. Die 5. Maii, Dies Octava.

Recineten. Die 15. Junii, Feſtum SS. Viti, & Sociorum Maryrum, Urbis Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Recineten. Die 2. Julii, Viſitatio Beatæ Mariæ V. dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Regien. Die 25. Junii, Feſtum S. Proſperi Epiſcopi Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 2. Julii, Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis ſub ritu duplici majori, & Dies Octava S. Proſperi, de qua fit ſola commemoratio, ex Privilegio Apoſtolico, ut dicemus ſuo loco infra Octavam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Regien. Die 13. Septembris, Feſtum S. Venerii Confeſſoris, dupl. 2. claſſis.

Regien. Die 25. Octobris, Feſtum SS. Chryſanthi & Dariæ Martyrum, Urbis Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 1. Novembris, Dies Octava.

S

S*Aliſburgen.* Die 27. Martii, Feſtum S. Ruperti Confeſſoris Pontificis, Urbiſque Patroni, dupl. 2. claſſis. Eſt Dies Obitus, nam die 24. Septembris celebratur cum Octava ejus Translatio, quo die ingreſſus ſum illam pulcherrimam Civitatem.

Sarzanen. Die 12. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 19. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Sarzanen. Die 25. Au-

guſti, Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Segnien. Die 23. Aprilis, Feſtum S. Georgii Martyris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 30. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Segnien. Die 23. Aprilis, Feſtum S. Adalberti Epiſcopi Martyris, dupl. 1. claſſis. Die 30. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Segnien. Dominica quarta poſt Pentecoſten, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis. Dominica ſequenti, Dies Octava.

Segnien. Die 15. Auguſti Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Segnien. Die 20. Auguſti, Feſtum S. Stephani Confeſſoris, & Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 27. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Segnien. Dominica infra Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis Feſtum SS. Nominis ejuſdem Beatæ Virginis Mariæ dupl. 2. claſſis.

Seguntina, Die 19. Junii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 26. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Senogallien. Die 4. Maii Feſtum S. Paulini Epiſcopi Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Senogallien. Die 29. Junii, Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Titularium Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 6. Julii, Dies Octava.

Senogallien. Die 2. Julii, Viſitatio Beatæ Mariæ V. dupl. 2. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Spalaten. Die 7. Maii, Feſtum S. Domnii Martyris, Urbis Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 14. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Spalaten. Die 4. Auguſti,

ſti, Feſtum S. Raynerii Martyris, dupl. 2. claſſis. Die 11. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

T

T*Arviſina*, Die 27. Aprilis, Feſtum S. Liberalis Confeſſoris, Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 4. Maii, Dies Octava.

Tergeſtina, Die 2. Novembris, Feſtum S. Juſti Martyris. Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Tergeſtina, Die 5. Novembris, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Toletana, Die 15. Maii, Feſtum S. Iſidori Agricolæ, Urbis Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Toletana, Die 9. Decembris, Feſtum S. Leocadiæ Virginis Martyris, Urbiſque Patronæ, dupl. 1. claſſis. Die 16. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Torcellana, Die 8. Januarii, Feſtum S. Laurentii Juſtiniani, primi Venetiarum Patriarchæ, Confeſſoris, & Patroni, dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Torcellana, Die 15. Aprilis, Feſtum S. Marci Evangeliſtæ, dupl. 1. claſſis. Die 2. Maii, Dies Octava.

Torcellana, Die 3. Julii, Feſtum S. Heliodori Epiſcopi Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 10. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Torcellana, Die 15. Auguſti, Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Torcellana, Die 16. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 23. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Tridentina, Die 26. Ju-

nii ; Feſtum S. Vigilii. Epiſcopi Martyris , Urbiſque Patroni, dupl. 1. claſſis . Die 3. Julii , Dies Octava . Ejus Vitam conſcripſi in itinere per Germaniam : ejus verò Corpus veneratus ſum in Proceſſione ſolemni , quæ fit in ejus Feſto.

Tuden. Die 1. Decembris , Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis , dupl. 1. claſſis . Die 8. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Tyraſonen. 23. Aprilis , Feſtum S. Georgii Martyris , & Patroni , dupl. 2. claſſis . Die 30. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Tyraſonen. Die 22. Maii, Feſtum S. Martialis Epiſcopi & Martyris , dupl. 1. claſſis . Die 29. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

V

V*Eneta* , Dies 8. Januarii , Feſtum S. Laurentii Juſtiniani , primi Urbis Patriarchæ , Confeſſoris , Urbiſque Patroni , dupl. 1. claſſis , Die 15. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Veneta , Die 25. Aprilis , Feſtum S. Marci Evangeliſtæ , Patroni principalis , dupl. 1. claſſis . Die 2. Maii , Dies Octava.

Veneta , Die 29. Junii ; Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli , Titularium Eccleſiæ Patriarchalis , dupl. 1. claſſis . Die 6. Julii , Dies Octava.

Veneta , Die 2. Septembris , Dedicatio Eccleſiæ Patriarchalis, dupl. 1. claſſis . Die 9. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Veronen. Die 12. Aprilis , Feſtum S. Zenonis Epiſcopi Martyris , Urbiſque Patroni , dupl. 1. claſſis . Die 19. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Veronen. Die 13. Septembris , Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 20. ejuſdem Menſis , Dies Octava.

Vicentina , Die 7. Auguſti , Feſtum S. Cajetani Confeſſoris , Urbiſque Compatroni , dupl. 1. claſſis . Die 14. ejuſdem Menſis , Dies

Dies Octava.

Vicentina, Die 31. Auguſti, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 7. Septembris, Dies Octava.

Viennen. Dominica infra Octavam Nativitatis Beatę Mariæ Virginis Feſtum SS. Nominis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis dupl. 2. claſſis.

Viennen. Die 8. Decembris, Conceptio B. Mariæ Virginis dupl. 1. claſſis. Die 15. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Viennen. die 26. Decembris, Feſtum S. Stephani Protomartyris, Titularis Eccleſiæ Cathedralis (in qua ſatis nota pluribus diebus celebravi in meo itinere per Germaniam) dupl. 1. claſſis. Die 2. Januarii, Dies Octava.

Ulyſſiponen. Die 16. Aprilis, Feſtum S. Encratidis Virginis Martyris, dupl. 2. claſſis. Die 23. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Ulyſſiponen. Die 13. Junii, Feſtum S. Antonii de Padua Confeſſoris, dupl. 2. claſſis. Die 20. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Ulyſſiponen. Die 15. Septembris, Translatio S. Vincentii Martyris, dup. 2. claſſis.

Volaterrana, Die 20. Maii, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 27. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Volaterrana; Die 5. Junii, Feſtum SS. Juſti & Clementis, Urbis Patronorum, dupl. 1. claſſis. Die 12. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Utinen. Die 15. Auguſti, Aſſumptio B. V. M. Titularis Eccleſiæ majoris, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis; Dies Octava.

Z

Zamoren. Die 2. Julii, Viſitatio B. M. Virginis dupl. 1. claſſis. Die 9. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Zamoren. Die 6. Auguſti, Transfiguratio Domini,

ni, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 13. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Zamoren. Die 15. Septembris, Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, dupl. 1. claſſis. Die 22. ejuſdem Menſis, Dies Octava.

Præter nonnullas alias Octavas Eccleſiarum Regularium, occurrentes infra Octavas Univerſales.

NOI REFORMATORI

Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore nel Libro intitolato: *Tractatus de Octavis Feſtorum, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, in duos Tomos diſtributus: Auctore Jo: Baptiſta Pittono Sacerdote Veneto: Tomus Primus de Octavis Privilegiatis*: non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concediamo Licenza à *Leonardo Pittoni Stampatore*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 31. Luglio 1738.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.
(Pietro Grimani Kavalier. Rif.
(

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1738. 2. Agoſto.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segretario.

NOI REFORMATORI
Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore nel Libro intitolato: *Tractatus de Octavis Feſtorum, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, in duos Tomos diſtributus: Auctore Jo: Baptiſta Pittono Sacerdote Veneto; Tomus Secundus de Octavis Communibus*: non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concediamo Licenza à *Leonardo Pittoni Stampatore*, che poſſa eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 5. Marzo 1739.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.
(Gio: Pietro Paſqualigo Riformator.
(

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1739. 7. Marzo.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segretario.

Digitized by Google

DE
OCTAVA PRIVILEGIATA
NATIVITATIS DOMINI
Cæteriſque Octavis infra eam occurrentibus.

CAPUT PRIMUM.

INter quinque Octavas Privilegiatas, quæ ab Eccleſia Univerſali celebrantur, principem locum obtinet illa, quæ eſt Principis Pacis, Salvatoris ſcilicet Noſtri Jeſu Chriſti Regis Pacifici, à qua exordium ſumit Annus Eccleſiaſticus. Creator enim Temporis, naſci voluit in Tempore, novam daturus Tempori legem, ut quod à Mundi conſtitutione olim habuerat initium, haberet poſtmodum ab hac ſingulari Nativitate, a qua idcircò ſuum nacta eſt exordium Æra Chriſtiana. Et meritò quidem enumerantur Anni ab hoc Principio, nam & ab illo reverà provenit noſtra Salus, unde ipſi Anni benè inſcribuntur *noſtra Salutis*, vel *ab Orbe redempto*, aut *à Partu Virginis* de qua natus eſt Chriſtus Salvator. 1

Antequàm autem deveniamus ad ipſum Feſtum Nativitatis Domini, de laudabili Novendio, quod in quamplurimis Orbis Eccleſiis devotiſſimè celebratur, & à quo omnia alia Sanctorum Novendia ortum habuere, opportunum cenſemus aliquid vel breviter dicere. Hiſce etenim diebus præparantur corda noſtra Deo, ut ipſe poſtveniens, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Siquidem dum per mentis erectionem, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito piè meditamur, quòd per novem- 2

menſium ſpatium beata viſcera Mariæ Virginis portaverunt æterni Patris Filium, poſtquam in ipſo puriſſimo ejuſdem Virginis Matris utero Verbum caro factum eſt, gratias agimus tantæ Virgini inter tot mille ad hoc præelectæ, quæ nobis dedit Salvatorem Mundi. Ipſi quoque Salvatori gratum animum humillimè oſtendimus, quia de Virgine naſci dignatus eſt, eumque læti ſuſcipientes, cum Eccleſia Catholica devotè canimus: *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. Ut igitur frequentior & devotior concurrat Populus fidelis ad hanc piam Eccleſiarum conſuetudinem, Sacra Rituum Congregatio *in Angren. anno* 1658. *ſub die* 28. *Septembris* ſequens dedit Decretum, videlicet: *In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſſa Votiva ſolemnis Beatæ Mariæ Virginis, quamvis in ipſis occurrat Feſtum S. Thomæ Apoſtoli, & Dominica tertia vel quarta Adventus, non omiſſa tamen Conventuali, ſtatuta hora decantanda*, ut refert Reverendiſſimus Pater Cajetanus Maria Merati, ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultor *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 719. Miſſa autem erit Votiva illius Temporis, nempè, *Rorate Cœli deſuper*: ſed ſi ubi adeſt dicta antiquiſſima conſuetudo, celebratur die decimaoctava Decembris Feſtum Expectationis Beatæ Mariæ Virginis, ſufficiet ibi eo die Miſſa de illo Feſto, cùm ſit eadem, ac Votiva de Tempore.

Hoc etiam notandum eſt, quòd ſicuti duæ Proceſſiones non permittuntur de eodem Feſto, eàdem die, in eodem Loco, & ſub eàdem hora, quia una turbaret aliam: ſic neque duo hujuſmodi Novendia, quorum unum præſertim noviter inſtitutum impediret veteri Eccleſiæ ſuum vigore conſuetudinis acquiſitum concurſum. Ideoque Sacra Epiſcoporum & Regularium Congregatio *anno* 1657. *ſub die* 17. *Auguſti in una Miſeniarum* ſic reſcripſit Vicario Capitulari Brunduſino, videlicèt: *Si ſono doluti i Frati Domenicani di Miſagna di coteſta Dioceſi, che ſtando eſſi in poſſeſſo di tempo immemorabile di celebrare la No-* 3

vena

vena nella loro Chieſa in quei giorni, che precedono la Feſtività del SS. Natale dopo l' ora di Veſpro, da qualche tempo in quà abbiano i Frati Minori Conventuali ancora preteſo d' introdurre la medeſima Funzione nella loro Chieſa, contro i Decreti altre volte ſopra di ciò uſciti dalla Sacra Congregazione, ed in pregiudizio degli Oratori. Onde queſti &c. mi hanno commeſſo di ſcriver a Voi, che quando l' eſpoſto ſia vero, inerendo all' antico ſolito, ordiniate alli detti Conventuali, che ſe ne aſtengano omnimamente, ovvero preſcriviate ad eſſi altra ora, che non impediſca il Concorſo alla detta Chieſa de' Domenicani. Eſeguitete, dandone avviſo: e ſtate ſano: Ita refert Hieronymus Nicolius *in Lucubrat. utriuſq. Juris, Canon. lib. 1. tit. 31. ſub num. 14. amplia* 3. *pag.* 51. Hoc tamen videtur intelligendum de Locis parvis, qualis eſt iſte Miſeniarum, in quibus vicinitas unius Eccleſiæ poteſt alteri præjudicare quoad Populi concurſum: nam in Civitatibus diſtantia Eccleſiarum, Populique numeroſitas nullum affert præjudicium, cùm in utraque Eccleſia ſuum poſſit habere concurſum diſtinctum: aliter poteſt hora mutari.

At quia Nativitas Domini, quæ caput eſt hujus 4
Octavæ, habet præcedentem Vigiliam, ideo aliquid prius de iſta debemus jure merito differere; nos enim excitare debet, ut vigilanter advertamus, quæ in Officio hujus Diei congeſta ſunt, ut ait Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 3. cap. 13. pag. mihi* 135. Primum autem omnium dicendorum occurrit Jejunium præceptivum, quo benè hodie ſervato, cum ſcientia, *quia veniet Dominus*, præparabimus nos ad dignè adoranda Chriſti incunabula, & ad ſuſcipiendam illam Pacem, quam Angeli cecinère Hominibus bonæ voluntatis: & ſic *die craſtina*, optimè parati, *videbimus Majeſtatem Dei in nobis*. De hujus namque Vigiliæ Jejunio malè cuſtodito aliqua refert Presbyterorum exempla hodie Baronius *in Notat. ad Martyrolog. Roman.* ubi citatis gravibus Auctoribus illa deſcribentibus, ſic ibidem remiſſivè concludit: *ea legant, attendantque, qui ſacratiſſima illâ Nocte ad iniquitates & peccata vigilant.*

His paucis de Jejunio hujus Vigiliæ præmiſſis, nonnulla dicenda ſunt de ejus Officio taliter privilegiato, ut nullum admittat Feſtum in eo alicubi forſan occurrens, licèt ſit duplex primæ claſſis, ut præſcribit Rubrica Breviarii X. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 1. & clariùs *in Notando* 1. *poſt Tabellam occurrentiæ*. Itaque Invitatorium hujus Officii eſt proprium ſuo loco *Hodie ſcietis*, *&c.* ſed Hymnus eſt adhuc de Adventu *Verbum ſupernum*, *&c.* Antiphonæ verò, & Pſalmi ſumuntur ex illa Feria, in quam incidit hæc Vigilia: deinde recurrendum eſt ad proprium quoad Verſiculum, Reſponſorium, & Lectiones. Ad Laudes tamen, Officium fit duplex, & ideo non dicitur Officium parvum Beatæ Mariæ, ut patet ex Rubrica *in calce Breviarii*: imò & ex eàdem ratione omittitur ad Matutinum Antiphona cum Pſalmo *Jubilate*, ſi hæc Vigilia venerit in Sabbato, quia ſcilicèt dicendus eſt in Laudibus, ſed ejus loco recitatur Antiphona cum Pſalmo *Bonum eſt confiteri*, ex Rubrica Sabbati *in Pſalterio*: & cùm militet eadem ratio, neque dicendum eſt Officium Defunctorum, ſi hodie occurrat Feria ſecunda, nam verum quidem eſt, quod dicitur in qualibet ex Feriis ſecundis Adventus, ſed illa Feria non debet eſſe impedita, ex vigore Rubricæ *in fine Breviarii*; eſt autem impedita in caſu noſtro, quia Laudes ſunt duplices, in quarum fine eſſet dicendum Matutinum Defunctorum; & conſequenter neque poſt Veſperas pridianas dicentur eorum Veſperæ, ſed utrumque omittendum & ita probando tenet Gavantus *in Theſaur. Sacr. Rit. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. quidquid dicat Piſcara *in Cæremon. ſua Relig. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. contra quem inſurgit ad favorem pro Gavanto Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 7. Tandem ipſæ Preces feriales non habent hodie locum, licèt jejunetur, ob ſæpè dictam rationem, quia Laudes dicuntur ſub ritu duplici. 5

6 Prima dicitur ſicut in duplicibus, & ad abſolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonæ. Martyrologicus autem Lector annunciat ſolemniter Nativitatem Salvatoris, & ideo cùm pervenerit ad illa

verba,

verba: *In Bethlehem Juda, &c.* omnibus de Choro genua flectentibus, ipſe ſtans elevet vocem: cùm verò dixerit, *Nativitas Domini, &c.* dicat altiori voce, & proferat in tono Paſſionis; ſurgentibus poſtmodum omnibus, reliqua pronunciet in tono conſueto, ut hodie docet Martyrologium Romanum. Gavantus tamen *in Theſaur. Sacr. Rit. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. ait, quod circa hodiernam Lectionem Martyrologicam quiſque abundat in ritu ſuo: quapropter in inſigniotibus Eccleſiis cantatur hæc Lectio cum majori ſolemnitate, de qua Piſcara *in Prax. Carem. lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. *& ſeqq. pag. mihi* 361. & ex eo Bauldryus *in Man. Sacrar. Carem. par.* 4. *cap.* 2. *à n.* 5. *pag.* 203. Quia verò à Capite Chriſto incipit Annus Eccleſiaſticus, etiam ab eo incipiunt Elogia Martyrum, ex quibus nomen accipit *Martyrologium*, quaſi *Martyrum Elogium*. Unde data occaſione, illud S. Gregorii *homil.* 27. addendum adjudicamus, quòd ſcilicèt non recenſentur ſingula Nomina, nam cùm apud illum tantùm, qui numerat multitudinem Stellarum & omnibus eis Nomina vocat, ſint numeranda, nobis Sancti Martyres ſuper arenam multiplicati ſunt. Ad Tertiam denique, Sextam, & Nonam, omnia dicuntur ut in Feſtis, & in proprio de hac Vigilia, nihilque invenio notandum quoad haſce tres Horas.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam & Veſperas in Vigilia Nativitatis Domini.

Miſſa de Vigilia Nativitatis Domini eſt propria, 7
& quidem in Colore Violaceo celebranda: in qua, ſi fuerit ſolemnis, Miniſtri utuntur Dalmatica & Tunicella, Rubr, Gener. Miſſal, *tit,* 19. *num.* 6, *de*

6. *de qualitas Paramentor.* Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. lib.* 2, *cap.* 13, *num.* 11, *pag.* 367. & *cap.* 14. *num.* 1. & cantari debet poſt Nonam, Rubric. Miſſal. *tit.* 15. *de Hor. celebr. Miſſ. num.* 2. In hac Miſſa non dicitur *Gloria in excelſis*, neque conſequenter *Ite Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus Domino*. Oratio eſt unica, & poſt Epiſtolam dicitur Graduale, omiſſis *Alleluja*, & Verſiculo ſequenti. Præfatio verò eſt communis, quam tamen fuiſſe olim propriam teſtatur Liber Sacramentorum S. Gregorii, pagina quinta, ubi habetur per extenſum, & erat ſequens, ſcilicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Cujus hodie faciem in confeſſione prævenimus, & voce ſupplici exoramus; ut ſuperventura noctis Officiis nos ita pervigiles reddat, ut ſinceris mentibus percipere mereamur Natale venturum; in quo inviſibilis ex ſubſtantia tua, viſibilis per carnem apparuit in noſtra; tecumque unus, non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit in tempore natus: Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Eamdem numero Præfationem, quæ priſcis Eccleſiæ temporibus dicebatur in Miſſa hujus Vigiliæ, recitant modò Ambroſiani, ut patet ex eorum Miſſali: Eccleſia verò Gallicana utebatur antiquitùs longiori Præfatione propria, quæ vocabatur modò *Conteſtatio Miſſæ*, modò etiam *Immolatio Miſſæ*. Hanc igitur Præfationem, quæ tamen incluſam integrè continet Gregorianam ſuperiùs extenſam, ex Liturgia Gallicana Joannis Mabillon *lib.* 3. *pag.* 188. deſumptam hìc habes, ſequentibus præciſis verbis conceptam, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, amanda Pietas, tremenda Virtus, veneranda Majeſtas. Qui hanc Noctem venturam, toto Orbe venerandam, Cœlorum gratulatione, & Terrarum remuneratione, Angelica exultatione ditaſti: Ut naſcente in carne Domino Noſtro Jeſu Chriſto Filio tuo, ſuperiora pariter & inferiora gauderent. Aſpice nunc familiam tibi ſupplicem: conſerva populum tuis laudibus perſonantem;* 8

*tem: & ſuperventuræ Noctis ſolemnitati ita pervigiles
redde, ut ſinceris mentibus, Domini Noſtri percipere
mereamur Natale venturum. In quo inviſibilis ex ſub-
ſtantia tua, viſibilis in carne apparuit in noſtra: te-
cumque unus, non tempore genitus; non natura infe-
rior, ad nos venit in tempore natus. Per cujus Nati-
vitatem indulgentia criminum conceditur, & indulgen-
tia non negatur. Meritò itaque omnis terra adorat te,
& confitetur tibi. Sed & Cæli Cælorum, & Angelicæ
Poteſtates non ceſſant laudare, dicentes: Sanctus, &c.*

Dictam tamen Præfationem in Miſſa; aliaſque in
hac mea opella ſparſim propriis locis extenſas po-
ſuit Mabillon in dicta Liturgia ad oſtendendum Le-
ctori Eccleſiaſtico antiquum Ritum Eccleſiæ Galli-
canæ: cæteroquin in ſua præfatione ad dictam Li-
turgiam, §. 3. fatetur à tempore Caroli Calvi, Ma-
gni nepotis, qui Ritum Romanum tamquam ſibi
præ cæteris gratum comprobavit, utque ad hanc
diem, nemini de reſtituenda Liturgia Gallicana,
Romanàve dimittenda quidquam tentare veniſſe in
animo. Et ut res clarior fiat, addit verba dicti Ca-
roli Calvi de electione facta Romani Ritus, deſum-
8 pta ex ejuſdem Caroli Epiſtola ad Clerum Raven-
natem, ſcilicet: *Celebrata etiam ſunt coram nobis
Miſſarum ſolemnia, more Jeroſolymitano, auctore Jacobo
Apoſtolo: & more Conſtantinopolitano, auctore Baſilio:
ſed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in
Miſſarum celebratione.*

Quòd ſi hæc Vigilia venerit in Dominica quarta 9
Adventus, non erit anticipatè celebranda in Sab-
bato præcedenti, ut in hujuſmodi caſibus fit de
cæteris Vigiliis, quia hæc excipitur à Rubrica tum
Breviarii *titul.* 6. *ſub numer.* 2. tum etiam Miſſa-
lis *titul.* 3. *ſub num. itid.* 3. Translato igitur in
Sabbatum præcedens Jejunio, & unà cum illo qua-
tuor Temporum ſervato, Officium Vigiliæ etiam
in Dominica celebratur ſub ritu ſemiduplici, hoc
modo, videlicet: Ad Matutinum dicitur Invitato-
rium proprium Vigiliæ *Hodie ſcietis*, *&c.* Hymnus
verò *Verbum ſupernum*, ut in Adventu: Antiphonæ
tamen, Pſalmi, Verſiculi, Lectiones, & Reſpon-

ſoria pro primo & ſecundo Nocturno ſumuntur ex Dominica quarta tunc occurrente: Attamen in tertio Nocturno dicuntur quidem Antiphonæ, & Pſalmi de Dominica, ſed Verſiculus erit de Vigilia: Tres Lectiones itidem recitabuntur de Homilia ejuſdem Vigiliæ cum ſuis Reſponſoriis, ſine nona Lectione Dominicæ, de qua tamen fiet commemoratio in Laudibus dicendis ſimiliter de Vigilia, ſed ſub ritu duplici. Neſcio tamen, cur dictam Dominicæ commemorationem excludat in Laudibus Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 23. *verſ. Invecta*, *pag.* 210. ut clare contra Rubricam. Ad Tertiam denique, Sextam, & Nonam incluſivè celebratur ſimiliter Officium de eadem Vigilia, *ex Rubrica Breviarii hoc loco*.

Quoad verò Miſſam hujus Vigiliæ in Dominica occurrentis, eſt pariter dicenda in colore violaceo, ſine *Gloria*, & cum commemoratione Dominicæ, inconſideratè excluſa à Grancolas *loco proximè citato*, cùm ſit immediatè contra expreſſam Rubricæ legem ante Miſſam hujus Vigiliæ. Poſt Graduale dicitur *Alleluja*, & Verſiculus ſequens, lectoque Evangelio, recitatur *Credo* ratione Dominicæ, de qua tamen non legitur Evangelium in fine, ſed illud S. Joannis, ut præſcribit *Rubrica Miſſalis ante hanc Miſſam*. In Miſſa verò ſolemni, Miniſtri adhibent Dalmaticam & Tunicellam, Rubrica Miſſalis *titul.* 19. *ſub numer.* 6. & clariùs Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 14. §. 1. *pag.* 290. *juxta editionem Romanam de Anno* 1729. *ſub Benedicto XIII. cujus auctoritate fuit denuò recognitum*. Ratione autem Dominicæ cantatur hæc Miſſa poſt Tertiam, ut patet ex Rubrica Miſſalis *titul.* 15. *ſub numer.* 2. quia ſcilicet non jejunatur, ut explicat Gavantus *tom.* 1. *titul.* 3. *ſub numer.* 1. ubi etiam ait, quòd debet præcedere aſperſio Aquæ benedictæ, quæ fieri ſolet in Dominicis, ut in dicto Cæremoniali *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. *pag.* 397. *&* §. 4. *pag.* 398. At quia ibi dicitur, quod Canonici, Beneficiati, & Clerici ex utraque parte Chori ſunt aſpergendi, & nihil habetur de modo tenendo, ideo 10

dictam aſperſionem faciendam eſſe ſingillatim quibuſcumque Dignitatibus & Canonicis , incipiendo ab iis, qui in dextro cornu exiſtunt , non verò unico ictu in circulum, declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 20. *Decembris* 1601. ut citatis Auctoribus dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numero marginali* 134. De effectibus aſperſionis Aquæ benedictæ , vide Marſilium Columnam *de Hydrogiologia*, ubi, *cap.* 6. *ſub num.* 37. refert in ſignum dilectionis erga Ordinem Dominicanum Beatiſſimam Virginem Mariam aſperſiſſe Cellas Fratrum, ipſo cernente S. Dominico; & innumera recitat Miracula ex Aquæ aſperſione patrata.

Hæc Vigilia Nativitatis Domini in quamcumque 11
incidat Feriam , omnes & ſingulas excludit Miſſas Votivas (privatas) & de *Requiem*, quas prohibuit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 28. *Auguſti* 1627. ut refert Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. *lit.* O. & Clericatus *de Sacrific. Miſs. initio Operis*, *Decreto* 27. quod quidem Decretum volui habere integrum, in forma authentica , cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione illuſtriſſimi Domini Secretarii N. M. Tedeſchi Archiepiſcopi Apameni , & eſt ſequens, videlicet: *An in diebus, quibus prohibitum eſt fieri de Feſto duplici, poſſint dici Miſſæ Votivæ, vel Defunctorum, quæ in duplicibus non dicuntur? Et Sacra Rituum Congregatio ad tertium Dubium cenſuit, Votivas non poſſe dici, juxta Rubricas.* Gavantus autem *loco citato* enumerat dies, in quibus vigore hujus Decreti prohibentur dictæ Miſſæ , & inter eos ponit Vigiliam Nativitatis Domini, quæ reverà excludit , ut ſupra diximus , quodcumque duplex. At Decretum intelligitur de Miſſis privatis, juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 4. *de Miſſ. Vot. ſub numer.* 3. & in fine ejuſdem Miſſalis *poſt Miſſam Dedicationis Anniverſariæ* , in quibus Rubricis apertè habetur, quod Miſſæ Votivæ privatæ dicuntur quocumque die Officium non eſt duplex: ſed Decretum prohibitivum adhæret his Rubricis: ergo intelligitur de Votivis privatis: & ſic intelligit omnium noviſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 2. *par.*

4. *tit.* 3. *ſub numer.* 1. *pag.* 843. *juxta primam edit. Roman. de Anno* 1737.

Ex quo miror, cur Halden *in. Ephemerolog. Eccleſ. par.* 2. *tit.* 12. *die* 24. *Decembr. pag.* 447. *col.* 2. teneat, quod in hac Vigilia Nativitatis Domini, neque cantari poſſit Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, præſente Corpore in Eccleſia; nam ſi res gravis exigat, cenſeo, cantari etiam poſſe (ſalvo meliori judicio) quamcumque Miſſam Votivam, nam ſi Decretum hodie prohibet privatas, ergo concedit ſolemnes pro re gravi, neque excluſio Feſti duplicis hac die præſcripta, facit proſcribere Votivas cantatas; alioquin quia infra Octavas Paſchatis & Pentecoſtes non fit de Feſto duplici, poſt primum utriuſque triduum non poſſent cantari Votivæ, quod mihi non probatur: ergo ab excluſione Feſti duplicis non infertur ad excluſionem Votivarum ſolemnium; & multo minus ad excluſionem Miſſæ cantatæ in die Obitus, de qua Halden ſuperiùs citatus. Præterquàm quod Rubrica 6. *de translat. Feſtor.* non excipit hanc Vigiliam; ſed exceptio firmat regulam in non exceptis: ergo ſi in hac ipſa Vigilia alicubi occurrit Feſtum transferendum, poteſt cantari Miſſa de eo. Imò, ſi in aliqua Eccleſia hodie fiat expoſitio SS. Sacramenti, poteſt & debet cantari Miſſa Votiva de eodem, cùm hæc dies non ſit inter exceptas à Clemente Undecimo *in ejus particulari Bullario Roma impreſſo, par.* 2. *Conſtit.* 8. §. 10. Sed & Congregationi Valliſoletanæ Ordinis S. Benedicti Sacra Rituum Congregatio confirmavit anno 1633. 19. Novembris immemorabilem conſuetudinem canendi ſingulis diebus Miſſam Votivam de Beata Virgine, quibuſdam diebus exceptis in Decreto Confirmationis enumeratis: ſed inter eos dies exceptos non reperitur Vigilia Nativitatis Domini, ut clarè patet legenti Paſuccium *in Compend. ad Conſult. Canon. Jac. Pignatel. par.* 2. *tit. de Miſſâ Sacrificio, pag.* 31. *juxta editionem Venetam*. & habet etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 273. niſi tamen in hanc Vigiliam 11

incidat

incidat Dominica quarta Adventus, quia in ea non cantantur Votivæ, licèt pro re gravi, ergo poteſt ibi cantari hodie dicta Votiva. Verum tamen eſt, quod in Cathedralibus & Collegiatis cantari debent in hujuſmodi caſu duæ Miſſæ. 12

Veſperæ ſunt integræ de Nativitate Domini, quæ incipiunt per Antiphonam *Rex pacificus*, cum reliquis, ut in Breviario. Sicuti autem ab his Veſperis incipit Solemnitas Natalitia, ſic in earum fine ad *Alma Redemptoris*, omiſſis Verſu & Reſponſorio ac Oratione de Adventu, dicitur eorum loco Verſus *Poſt Partum*, *&c.* & Reſponſorium *Dei Genitrix*, *&c.* cum Oratione *Deus qui ſalutis*, *&c.* Et notandum, quod ſi hæc Vigilia incidat in Dominicam, in qua non jejunatur, & conſequenter ſit Cœna, poterit incipi Benedictio Menſæ (ubi fieri ſolet) à Verſu *Verbum caro factum eſt*, *alleluja*, cum reliquis, ut in calce Breviarii, cujus Rubrica licèt ibi revera dicat *In Nativitate Domini*, *&c.* ita ut à Nativitate videatur rigorosè incipiendum, attamen dicta Rubrica venit intelligenda, etiam de hoc caſu, in quo certè ſit Cœna: quod obſervat Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 20. *quæſt.* 8. *pag.* 302. 13

14 In Cathedrali verò Eccleſia Pontificales Epiſcopus peragit Veſperas, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 184. *in ultima editione Romana de Anno* 1729. ibi: *Si Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus*, *Veſperæ ſolemnius peraguntur*, *quàm ſi non eſſet celebraturus*: *quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet*, *videlicet*, *Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, *&c.* Ideoque debent Canonici omnes in eorum Eccleſiaſtico & Canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere, & ex ea Aula, ſeu Cubiculo quod ad hoc deſtinaverit, ad Eccleſiam progredientem bini comitari, & deducere, ut verbis utar ejuſdem Cæremonialis *lib.* 1. *cap.* 15. §. 1. *pag.* 94. Licèt autem dictum Cæremoniale nominet tantùm Canonicos, tenentur tamen etiam Dignitates aſſociare Epiſcopum ex debito, prout declaravit *Sacra Rituum*

Con-

Congregatio ſub die 10. *Januarii* 1609. *in Jacen.* apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Canonicor. mun. erga Epiſc. ſub numer.* 21. *in addit.* & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice* , *ſub num.* 94. *pag.* 1363. Non tamen debet Epiſcopus Canonicos cogere ad ſe aſſociandum ſub pœna Excommunicationis, ut decrevit *Sacra Epiſcoporum Congregatio* 28. *Maji* 1584. referente Baulòrio *in Man. Sacrar. Cæremoniar. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 2. *pag.* 23. Dum autem omnes ſunt in Choro, Pſalmi decantari debent ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo, in tono & cantu Gregoriano, cum gravitate & decore , ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur , ut habet Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 187. Dum verò Epiſcopus repetit Hymnum *Jeſu Redemptor omnium* , *&c.* ſibi præintonatum, elevat, & jungit manus, caput versùs Altare inclinans, ob reverentiam Divinæ invocationis, ita dictum Cæremoniale *d. lib.* 2. *cap.* 14. §. 5. *pag.* 291. Celebratis ſolemniter Veſperis, Epiſcopus dat in earum fine Benedictionem per conſueta verba, *Sit Nomen Domini benedictum*, *&c.* ſine tamen Indulgentiarum publicatione, quæ numquam publicantur in Veſperis, ex Cærem. Epiſcopor. *lib.* 1. *cap.* 25. §. 8. *pag.* 152. & iterum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 19. *pag.* 192. Quod ſi in Cathedrali ſolemnes cantat Veſperas Epiſcopus, conſequens videtur, ut in Collegiata cantet Prior, in Monaſteriali Abbas, in Conventuali Eccleſia Superior Localis, ut de Prælato Conventus habet Piſcara , *in Caremon. ſua Relig. lib.* 3. *cap.* 3. *ſub num.* 9. *pag. mihi* 146. Ad Completorium denique, & ad omnes Horas terminantur Hymni ejuſdem metri cum clauſula *Jeſu tibi ſit gloria* , *qui natus es de Virgine* , *&c.* uſque ad primas Veſperas Epiphaniæ excluſivè.

De

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Noctem Nativitatis Domini.

QUÆ hactenus diximus, ſufficiat dixiſſe de Die: nunc verò ad Noctem deveniamus: & primò quidem de Privilegiatis ante Medinoctium celebrantibus ſermo ſit: deinde ſucceſſivis nocturnis horis, eà, qua poterimus, claritate, de illis, qui de jure celebrant poſt Medinoctium, loquemur. Et ut incipiamus à Privilegiatis, Francolinus *de temp. Horar. Canonicar. cap.* 40. *num.* 2. quem ſequitur Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *num.* 5. monet, quod qui ex privilegio, vel ex legitima conſuetudine celebraturus eſt ante Medinoctium, non eſt verè diſpenſatus in jejunio neceſſario ad Miſſam: quapropter debet eſſe jejunus à Medinoctio anteriori, ita ut in Miſſa Vigiliæ teneatur purificationem omittere: & ita ſentit etiam Quarti *in Commen. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 15. *ſub num.* 4. *pag.* 91. *juxta editionem Venetam de Anno* 1727. imo idipſum ſuggerit Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *pag.* 362. ubi infert hanc jejunii præcedentis neceſſitatem ex eo, quòd illa Miſſa, quæ ante mediam noctem celebratur, non quidem ad Diem natalis Domini, quæ à media nocte incipit, ſed potiùs ad præcedentem Diem ſpectare videtur. 15

Attamen quoad hoc, Auctor novæ opinionis, ſic benè ratiocinatur Cardinalis de Lugo *Diſputat. Scholaſtic. & Moral. tom.* 5. *tract. de Euchar. diſput.* 15. *ſect.* 2. *ſub num.* 56. *&* 57. *pag. mihi* 303. ibi: In „ Nocte Natalis Domini, Cardinalis, qui celebrat „ coram Pontifice antè Medinoctium, non diſpen- „ ſatur à Papa in jejunio naturali, ſed Papa vult „ pro illo Loco, & pro illa Nocte anticipari ali- 16

„ quan-

„ quantulùm initium Diei ſequentis, quia jejunium
„ ſolùm debet eſſe intra illam Diem. Quando au-
„ tem incipiet Dies, pendet ab Hominum placito:
„ Aliqui enim incipiunt ab ortu Solis: Alii ab oc-
„ caſu: Alii ab alio termino: Eccleſia verò com-
„ putat à media Nocte: Poteſt ergo eadem Eccleſia
„ ſemper, vel aliquando computare Diem ab aliqua
„ alia Hora: & ſic de facto poteſt Pontifex juſtis
„ de cauſis anticipare per unam vel duas horas in-
„ tium illius Diei in illo Loco, ſicuti etiam quoad
„ celebritatem Officii in Sabbato Sancto Eccleſia
„ anticipat initium Noctis per aliquas horas. Por-
„ rò mentem Pontificis hoc pacto potiùs intelligi
„ debere, quàm quòd velit diſpenſare in jejunio
„ naturali ad Miſſam prærequiſito, probant plura
„ inconvenientia, quæ ex illo alio modo diſpenſan-
„ di ſequerentur, nempè

Primò, quia ſi illa Miſſa cenſetur eſſe intra Diem 17
„ Vigiliæ, & non intra Diem Natalis, non ſatis-
„ facerent præcepto audiendi Miſſam in Die Na-
„ talis qui illam Miſſam audirent: quod tamen vi-
„ detur eſſe contra mentem Pontificis, qui illam
„ Miſſam celebrare facit pro feſtivitate Natalis.
„ *Secundò*, ſi Vigilia ſit in Dominica, poſſet aliquis
„ nolle audire aliam Miſſam in ipſa Dominica,
„ ſed expectare ut nocte ſequenti ſatisfaceret præ-
„ cepto Dominicæ, audiendo illam Miſſam ante
„ mediam noctem. *Tertiò*, Celebrans non poſſet
„ facere Sacrum ipſa Dominica manè, ne celebra-
„ ret bis intra eamdem Dominicam, quod privile-
„ gium ſolùm habetur pro Die Natalis. *Quartò*,
„ poſſet Die ſequenti Natalis alias tres Miſſas ce-
„ lebrare, quia de jure conceditur omnibus ter ce-
„ lebrare illa Die: ipſe autem non fecit primum
„ Sacrum intra, ſed ante Diem illam. *Quintò*,
„ poſſet poſt primam illam Miſſam cœnare, maxi-
„ mè ſi Vigilia ſit in Dominica: cœnare, inquam,
„ ante Medinoctium, & poſtea die ſequenti cele-
„ brare ſecundam & tertiam Miſſam, quia verè
„ eſſet jejunus intra illam Diem. *Sextò*, poſſet con-
„ ſequenter, & deberet in prima Miſſa ablutionem
„ acci-

,, accipere poſt Communionem, hæc enim non im-
,, pediret jejunium ad celebrandum die ſequenti ;
,, quod tamen eſt contra Rubricam illius Miſſæ ,
,, & contra praxim , ſi Cardinalis vult celebrare
,, ſecundam & tertiam Miſſam,

Dicta autem omnia inconvenientia ceſſant, ſi di- 18
,, catur mentem Pontificis non eſſe diſpenſare in
,, jejunio ſed anticipare aliquantulùm initium Diei
,, ſequentis pro illo Loco: ita ut illa Miſſa perin-
,, dè ſe habeat, ac ſi jam eſſet tranſactum medium
,, noctis: & ita ſe gerere debeat Celebrans , ac ſi
,, verè incæpta ſit ſequens Dies natalis , qui mo-
,, dus facilior , & ſuavior eſt , & magis connatu-
,, ralis; qui enim anticipat Miſſam , videtur velle
,, quantum poteſt, anticipare tempus illius Miſſæ.
Hucuſque Cardinalis de Lugo , *quem ſequuntur* Aver-
ſa *de Euchar. quæſt.* 8. *ſect.* 8. Diana *par.* 7. *tract.*
12. *reſolut.* 12. & iterum *par.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 89.
cum aliis.

Huic tamen Cardinalis de Lugo opinioni ſe op- 19
ponit Paſqualigus *deciſ. moral.* 311. *per tot.* ubi pro-
poſito Dubio, an in Nocte Natalis Domini , Car-
dinalis celebrans primam Miſſam poſt Matutinum
coram Pontifice, celebret abſque jejunio, ex diſpen-
ſatione: & data dubitandi ratione , quia ſcilicet
Miſſa completur ante mediam noctem Diei, in qua
Celebrans non eſt jejunus, ita proſequitur: Adhuc
,, tamen celebrare , & aſſumere jejunium conten-
,, dit Joannes de Lugo *diſput.* 15. *de Sacram. Eu-*
,, *char. ſect.* 2. *num.* 56. Sed licèt hoc acutiſſimè
,, excogitatum ſit, non eſt tamen verum , ſed con-
,, tra praxim ; quia Pontifex quotannis diſpenſet
,, cum Cardinale celebraturo , ut poſſit non jeju-
,, nus celebrare, expediens ſuper hoc ſpeciale Bre-
,, ve: Et proinde ſupponitur , quod ſit celebratu-
,, rus intra diem præcedentem Diem Nativitatis .
,, Neque talis anticipatio Diei præcedentis habet
,, aliquod fundamentum; quia quòd celebretur Miſ-
,, ſa ante mediam noctem non magis facit quòd
,, anticipetur Dies, quàm quòd Pontifex cenſeatur
,, tacitè diſpenſare cum Celebrante: imò hoc po-
tiùs

„ tiùs colligitur ; quia diſpenſatio cadere poteſt
„ ſuper ſpecialem Perſonam, & ſpecialem Locum,
„ & eſſe ex ſpeciali occaſione; quia eſt privile-
„ gium, quod reſpicit privatam Perſonam : & an-
„ ticipatio Diei ex natura ſua eſt univerſalis, quia
„ debet eſſe ſecundùm naturam temporis , quod
„ eſt omnibus commune. Et proinde ſi admittere-
„ tur tacita diſpenſatio in caſu , in quo non eſſet
„ expreſſa , eſſet juxta naturam diſpenſationis : Si
„ autem admittatur anticipatio Diei , eſſet con-
„ tra naturam temporis: & ideo non poſſet admit-
„ ti, niſi de hoc apertè conſtaret. Deinde ſi adeſ-
„ ſet anticipatio Diei pro illo Loco , poſset ali-
„ quis alius in eadem Loco celebrare ante mediam
„ noctem, quia jam incæptus eſset Dies; quod ta-
„ men non cenſetur licitum.

Ad primum inconveniens (de quo Cardinalis de 20
„ Lugo) reſpondetur, concedendo non ſatisfacere
„ præcepto audiendi Miſſam in Die Nativitatis
„ Domini, qui illam audiret ; quia licèt ſit Miſſa
„ Diei, non eſt tamen in Die; neque præceptum
„ obligat ad audiendam Miſſam Diei, ſed Miſſam
„ in Die. Unde ſi i Die Feſto celebraretur Miſſa,
„ quæ non eſſet Miſſa Diei (ut contingere poteſt,
„ ſi celebraretur Miſſa ſolemnis Votiva) qui illam
„ audiret, ſatisfaceret præcepto. Neque hoc eſt
„ contra intentionem Pontificis ; quia aliud eſt,
„ quod velit celebrari illam Miſſam pro feſtivitate
„ Nativitatis: & aliud, quod velit celebrari in or-
„ dine ad ſatisfaciendum præcepto: non enim hoc
„ intendit, ſed primum.

Ad ſecundum inconveniens reſpondetur, quod qui 21
„ expectaret illam Miſſam, verè audiret Miſſam in
„ Die Dominica, in qua urget præceptum: atque
„ adeo ſatisfaceret præcepto, dummodo præceptum
„ non obliget ad audiendam Miſſam infra illud tem-
„ pus Diei, intra quod conceditur de jure commu-
„ ni poſſe celebrari. Quia autem audire Miſſam
„ ſubordinatur celebrationi, ideo etiam præceptum
„ audiendi Miſſam videtur ſubordinatum præcepto
„ non celebrandi, tranſactà tali hora Diei : atque

,, adeò videtur obligare ad audiendam Miſſam intra ,, illud tempus, intra quod de jure communi poteſt celebrari, atque adeo niſi audiatur, non ſatisfit præcepto.

Ad tertium inconveniens, negatur, non poſſe Celebrantem eo die mane celebrare, quia nocte ſe- 22
,, quenti celebrat ex ſpeciali conceſſione: ſpecialis ,, autem conceſſio non tollit, quæ jus commune ,, concedit. Quod autem non poſſit quis bis in die ,, celebrare, procedit ſecundùm jus commune: at ,, ex ſpeciali conceſſione poteſt. Hæc autem ſpecialis conceſſio habetur, dum Pontifex diſpenſat, ,, ut poſſit Celebrans anticipare Miſſam Diei ſequentis, & celebrare non jejunus.

Ad quartum inconveniens, negatur ſequela, quia 23
,, jus non concedit ſimpliciter ter celebrare, ſed celebrare ter ſecundùm præſcriptum Miſſalis: unde ,, cùm Celebrans die antecedenti ſemel celebraverit, ſecundum præſcriptum Miſsalis poteſt tantùm bis celebrare juxta alias duas Miſſas, quæ ,, præſcribuntur. Hinc quando Pontifex diſpenſat, ut poſſit anticipari à non jejuno Miſſa Diei ,, ſequentis, transfert in diem antecedentem parum ,, de eo, quod jus comune concedit pro die ſequenti: & ideo ratione hujus translationis non remanet conceſſum pro die ſequenti, quod eſt translatum in diem antecedentem: Unde ſpecialis ,, conceſſio non tollit quod eſt conceſſum juxta jus ,, commune, ſed dat anticipato modo.

Ad quintum inconveniens, conceditur ſequela, quia 24
,, pro celebratione Diei ſequentis requiritur tantùm jejunium ſequentis diei: & ideo poſt celebratam Miſſam poteſt Celebrans comedere, non ,, ſecus ac ſi non celebraſſet, aut eſſet celebraturus. Et hoc eſſet ſecundùm praxim Venetiarum, ,, ubi Primicerius Ducalis Baſilicæ Sancti Marci, ,, qui in Vigilia Nativitatis perſeverat jejunus quoadusque prima nocte celebraverit, poſtea cœnat, ,, & die ſequenti alias duas Miſſas celebrat.

Ad ſextum inconveniens, reſpondetur, non eſſe 25
,, contra Rubricam Miſſalis ablutionem accipere

,, poſt primam Miſſam, quia Miſſale dicit, quòd
,, non accipiatur, quia ſupponit quòd celebretur
,, poſt mediam noctem: unde etiam dicit quòd pri-
,, ma Miſſa celebretur poſt mediam noctem: Quòd
,, ſi ſupponeret non celebrari poſt mediam noctem,
,, hoc non præciperet. *Hactenus Paſqualigus, cujus ſententiæ ſubſcribit* Dicaſtillo *de Sacram. tom. 1. tract. 4. diſputat. 9. dub. 17. quaſt. 7. num.* 404. & dicit æquè probabilem Diana *par. 10. tract. 14. reſolut.* 35. Martinon. *tom. 3. diſputat. 35. num.* 64. cum aliis.

Probata dictus Paſqualigus ſua opinione quoad celebrantem primam Miſſam ante mediam noctem, voluit etiam quoad audientem diffusè oſtendere non adimpleri præceptum pro Die Nativitatis Domini per auditionem illius Miſſæ anticipatè ex privilegio celebratæ: ideoque in ſuis Quæſtionibus Theologicis Moralibus Juridicis *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 26
,, 2. *quaſt.* 1262. ſic argumentatur. Eſt certum,
,, quod præceptum affixum tempori non impletur,
,, niſi exhibeatur, quod injungit, intra tempus,
,, cui eſt affixum. Rurſus certum eſt etiam, quod
,, præceptum audiendi Miſsam affixum eſt tempo-
,, ri, nempe, Diei, in quo incidit Feſtum: & pro
,, hac affixione computatur Dies naturalis, non au-
,, tem Eccleſiaſticus: Ergo cùm audiens illam Miſ-
,, ſam, non exhibeat opus præceptum intra illud
,, tempus, in quo obligat præceptum, non extin-
,, guetur obligatio præcepti: ſed quando ſuperve-
,, niet, exiget extingui nova auditione Miſsæ: in
,, his enim præceptis non habet locum anticipata
,, ſolutio.

Confirmatur: Vel obligatio audiendi Miſsam pro 27
,, Die Nativitatis Domini anticipatur, ita ut tunc
,, ſuperveniat, quando celebratur illa Miſsa: vel
,, non anticipatur, ſed remanet fixa conſueto mo-
,, do. Si primum, requiritur aliqua cauſa, quæ in-
,, ducat hanc anticipationem, quæ non poteſt eſse
,, alia, quàm poteſtas Summi Pontificis, à qua ſo-
,, la dependet obligatio audiendi Miſsam pro illo
,, die quoad ſui variationem: unde oporteret pro-

„ ducere aliquem actum hujus poteſtatis, per quem
„ inferretur obligationis anticipatio: & quouſque
„ non producetur, non poteſt admitti aliqua va-
„ riatio. Si ſecundum, ergo audiens Miſsam non
„ ſatisfacit obligationi, quia nondum advenit obli-
„ gatio: & antequàm adveniat, tanquàm adfixa
„ tempori, non poteſt impleri, quia non exigit
„ præcisè præceptum opus, ſed pro tali tempore.

Confirmatur ſecundò: Auditio Miſsæ præcipitur 28
„ ab Eccleſia pro ſatisfaciendo Diei Feſtivo, nam
„ eſt præcipuus actus ſatisfactionis, cùm magis ſan-
„ ctificetur per aſſiſtentiam Sacrificio, quàm per
„ ceſſationem ab operibus ſervilibus: ergo non ha-
„ bet locum auditio Miſſæ, tanquàm adimpletiva
„ præcepti, niſi quando locum habet ſanctificatio
„ exigita à præceptò. Præceptum autem ſanctifi-
„ candi Diem Natalis Domini non exigit ſanctifi-
„ cationem pro illo tempore, in quo celebratur
„ Miſſa illa, ſed tantùm à media nocte: nam
„ quando exigit ſanctificationem, exigit etiam ceſ-
„ ſationem ab operibus ſervilibus, quam tamen non
„ exigit, niſi à media nocte.

Licèt igitur illa Miſſa computetur pro Die Na- 29
tivitatis, non tamen celebratur in Die Nativita-
„ tis: & ideo auditio ipſius non ſufficit pro præ-
„ cepto affixo Diei. Computatur enim tantùm in
„ ordine ad Officia Eccleſiaſtica, non autem in or-
„ dine ad ſanctificandum Diem: quia illa anticipa-
„ tio non anticipat ſanctificationem Diei, ut con-
„ ſtat in ceſſatione ab operibus ſervilibus: & ideo
„ talis computatio non intrat pro adimplendo præ-
„ cepto de audienda Miſſa. Et licèt celebratio il-
„ lius Miſſæ ſit intra Diem Eccleſiaſticum, non eſt
„ tamen intra Diem naturalem: obligatio autem
„ audiendi Miſſam eſt coarctata ad Diem natura-
„ lem, quia provenit ex præcepto affixo Diei na-
„ turali, ut dictum eſt: & ideo nihil relevat pro
„ adimplendo præcepto, quod eſt intra Diem Ec-
„ cleſiaſticum.

Diſpenſatio denique anticipatè celebrandi non ex- 30
„ tenditur, ut poſſit etiam anticipatè impleri præ-

„ ceptum de audienda Miſſa : eſt enim diſpar ratio in præcepto de non celebrando in illa hora. „ Ut autem poſſet anticipatè impleri præceptum „ de audienda Miſſa , neceſſaria eſſet diſpenſatio „ alterius præcepti : diſpenſatio enim in uno præcepto , non extenditur ad aliud , quia eſt ſtricti juris ; & ſtrictè accipienda. *Ita Paſqualigus.*

Paulus autem Maria Quarti, qui ſcripſit poſt Paſqualigum, ſcripſit etiam quoad hoc contra Paſqualigum : & licèt ſit ejuſdem Religionis, non tamen eſt ejuſdem opinionis : ideoque contrariam tenet ſententiam *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 15. dub. 7. pag. mihi 95. juxta editionem Venetam de Anno 1727.* Ejus ergo rationes, ad probandam ſatisfactionem præcepti favore Fidelium Miſſam anticipatè celebratam in nocte Nativitatis Domini audientium, ſunt ſequentes, videlicèt : „ Tam ipſe „ Sacerdos celebrans ante mediam noctem , quàm „ alii præſentes eidem Miſsæ , præcepto audiendi „ Miſsam pro Die Natalis verè ſatisfaciunt : tum „ quia probabile eſt , illam Miſsam cenſeri dictam „ in Die Natalis ampliata ad eum effectum à Summo Pontifice privilegium anticipatæ celebrationis concedente : tum quia , eſto non dicatur in „ Die Natalis , nihilominùs verè dicitur pro ſolemnitate Natalis , nam & Celebrans non diſpenſatur in numero Miſsarum , quæ dici poſsunt „ in Die Feſto Natalis Domini, ſed ſolùm in hora celebrandi primam ex illis tribus Miſſis, quæ „ conceduntur in Die Natalis: & conſequenter ex „ tacita mente Summi Pontificis ſatisfit obligationi „ adnexæ Diei & Feſtivitati Natalis : ſicuti Beneficiarii ſatisfaciunt obligationi recitandi Officium „ ſequentis Diei , ſi recitent Matutinum poſt Veſperas Diei antecedentis. 31

Quando vero Vigilia Natalis incidit in Diem Dominicam , ſi quis noluerit audire Miſsam mane „ Die Dominicæ, ſed ad ſatisfaciendum huic præcepto voluerit expectare Miſsam illam , quæ dicenda eſt poſtremis horis in Eccleſia privilegiata „ ante mediam noctem Natalis, non ſatisfacit præ- 32

„ cepto

„ cepto, quia illa Miſsa, quæ dicitur ante mediam „ noctem Natalis, non computatur ullo modo pro „ Dominica, ſed pro ſequenti Feſtivitate Natalis; „ & ſic auditione Miſsæ prædictæ non poteſt ſatisfieri præcepto Diei Dominicæ: Et confirmatur, „ quia non poteſt ſatisfieri unico Sacrò duobus præceptis duplicis Feſtivitatis & duplicis Diei: Cùm „ ergo eà Miſsà ſatisfiat præcepto Diei Natalis, „ non poteſt eadem ſatisfieri præcepto Dominicæ „ præcedentis, ut aliis citatis ait Diana *par.* 10. „ *tract.* 12. *reſolut.* 22.

Quamvis autem tam de Lugo, quàm Paſqualigus nominent tantùm Cardinalem, & Primicerium ante mediam noctem celebrantes, quos etiam adducit ſolos Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. imò & Quarti *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 15. *dub.* 7. prædicta tamen omnia inſerviunt etiam pro aliis (qui noſtris certè temporibus non pauci ſunt in Orbe, imò & plures in una tantùm Urbe) habentibus privilegium hujuſmodi anticipatæ celebrationis, hoc eſt, facultatem celebrandi ante medinoctium: quod enim prædicatur de uno, prædicatur de cæteris paribus: & ideo hoc non convenit omnibus, ſed ſolis Privilegiatis. Idcirco Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *ſub n.* 5. videtur generaliter loqui: dum enim ibi ait, *Quod ſi celebraturus ſit ante mediam noctem*, ſupponit privilegium in pluribus, & ſcribit pro omnibus hac facultate potientibus: & licèt ſuum opus ediderit ante ſcripta Cardinalis de Lugo, & Paſqualigi, nihilominùs tenet, quod Privilegiatus celebrans ante mediam noctem, ſi in prima Miſsa Noctis ſumeret purificationem, imò & cibum ante medinoctium, poſset celebrare ſecundam & tertiam Miſſam Natalis Domini: & quoad cibi ſumptionem idipſum dixerat Piſcara *loco citato, ſub d. n.* 3. *in fine.* 33

Expoſitis, quæ circa Privilegiatos primam Miſſam Natalis Domini ante mediam noctem celebrantes teneant Auctores, nunc de illis, qui poſt medinoctium de jure celebrant, diſseramus. Francolinus *de temp. Horar. Canonicar. cap.* 40. *ſub num.* 2. 34

apud Gavantum *in Theſaur. Sacror. Rit. tom. 1. par.*
4. tit. 3. ſub num. 5. monet celebraturum poſt me-
diam noctem, ut ſit jejunus per horas circiter ſex,
ſed hoc dicit ex quadam congruentia ; ex quo ſe-
quitur , quod poteſt non ſolùm prandere , ſed &
cœnare in crepuſculis veſpertinis , cùm Medino-
ctium Mathematicum occurrat hac nocte horâ ſe-
ptimâ cum tribus ferè quadrantibus : unde ſi cele-
braturus cœnet hora primâ noctis, erit ſufficienter
jejunus ad peragendum Sacrum in Medinoctio : &
eo magis, quia Auctores prædicti ponunt quoad hoc
congruentiam, non neceſſitatem.

Sive autem Miſsa dicatur ante medinoctium ex 35
privilegio , ſive poſt medinoctium de jure , debent
in Eccleſia ardere plures candelæ ad omnia Alta-
ria cum eorum lampadibus accenſis , & plura po-
nenda ſunt intortitia hinc inde æquali diſtantiâ be-
nè diſpoſita , ut in Cathedrali ſic faciendum præ-
ſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 14. §.*
3. pag. mihi 290. & hoc non ſolùm , ut Eccleſia
illuminetur undique ad fugandas noctis tenebras ,
ſed & ad repræſentandam illam cœleſtem lucem ,
quæ hac nocte revera apparuit , ita ut de illa di-
ctum fuiſse credendum ſit à Regio Propheta, Pſal.
138. verſ. 11. *Et Nox ſicut Dies illuminabitur*: quam
profectò lucem Paſtores cuſtodientes vigilias noctis
clarè viderunt, nam *claritas Dei circumfulſit illos*.

Sacra tamen hujuſce Noctis functio initium ſu-
mit à Matutino ſolemniter decantando, non ſolùm 36
in Cathedralibus , verùm etiam in Collegiatis , ac
in aliis Eccleſiis, in quibus numeroſus eſt Clerus ,
& ubicumque cantari debet , vel mos eſt peragen-
di cum ſolemnitate hoc Officium . Sacriſta igitur
faciat diligenter hac nocte inchoare tali hora Ma-
tutinum, ut eo finito incipiat Medinoctium ad can-
tandam debito tempore Miſsam , ut benè ſuggerit
Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 2. cap.* 1.
num. 9. niſi Eccleſia ſit privilegiata . Officiator ,
dum intonat Hymnum *Jeſu Redemptor omnium* , ob-
ſervet & ſervet , quæ ſupra dicta ſunt in primis
Veſperis. Lectiones dicuntur in medio Chori apud
Legile,

Legile, hoc enim functionem reddit ſolemniorem, & magis excitativam devotionis in Populo concurrente. Primi Nocturni Lectiones cantantur à tribus junioribus de Choro: Lectiones verò ſecundi Nocturni dicuntur à tribus ſucceſſivè ſequentibus, quos Cæremoniarius, vel alius Sacerdos ad hoc deſtinatus debet priùs admonere, ut poſſit quiſque prælegere, & diligentiùs cantare. Septimam tamen & octavam Lectionem cantant reſpectivè illi duo, qui miniſtrare debent in Miſſa hujus Noctis, vel, ſeptima dicenda eſt à Diacono qui Miſſæ miniſtrare debet, & octava ab eo qui eſt dignior à Celebrante, ut ſentit Bauldryus *in Man. Sacr. Cæremon. par. 4. cap. 2. num. 17.* Nona denique Lectio ſpectat ad eum, qui eſt proximè celebraturus.

37 In Cathedrali autem Eccleſia, officium faciente Epiſcopo, ſex Lectiones competenti voce & tono à totidem Canonicis junioribus, incipiendo à juniore, cantari debent. Septimam & octavam cantabunt hi, qui futuri ſunt Aſſiſtentes à lateribus Epiſcopi in Miſſa. Nona verò & ultima Lectio dicetur ab ipſomet Epiſcopo ſtante in ſua Sede Pontificali, detecto capite, converſa facie ad Altare. Canonici petendo benedictionem, dicunt *Jube Domne*, non autem *Domine*: ſed Epiſcopus dicit *Jube Domine*, non autem *Domne*, niſi adſit in Choro major ſe, ut habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 4.* §. 4. 5. *&* 9. ac etiam *eod. lib. 2. cap. 14.* §. 9.

38 Romæ verò Lectiones cantantur à Cardinalibus, & ultimam dicit Summus Pontifex in ſua Sede, ſtans detecto capite, qui & versùs Altare dicit *Jube Domine benedicere*, ſed nullo benedicente, Cantores reſpondent *Amen*. Quòd ſi Imperator huic Matutino intereſſet, ipſe Cæſar cantaret ſeptimam Lectionem ſub Evangelio *Exiit Edictum à Cæſare Auguſto*, ut habetur in quodam Libro Coloniæ Agrippinæ impreſſo 1557. *de Sacris Cæremoniis SS. Romana Eccleſia, lib. 2. cap. de Ordine cantandi Lectiones, pag.* 168. ubi etiam dicitur, ſic ſervatum fuiſſe ſub

ſe ſub Paulo Secundo Barbo Veneto (ex Sorore Nepote Eugenii Quarti Condulmerii itidem Veneti, à quo Purpuram Cardinalitiam accepit) cùm Fridericus Tertius Imperator his celebritatibus interfuit anno ſalutis milleſimo quadrigenteſimo ſexageſimo octavo : & idem refert Grancolas *in Comment. ad Breviar. Roman. cap. 14. verſ. De quibuſdam Imperatoribus, pag. 216.* Licèt autem Ciaconius *tomo ſecundo* in Vita dicti Pauli Secundi dicat tantùm, quod Fridericus Imperator Romam ingreſſus eſt hora noctis tertia in Vigilia Nativitatis Domini anno 1468. Victorellus tamen *in additione* ad dictum Ciaconium, *dicto tomo ſecundo, pag.* 1079. *juxta editionem Romanam de anno* 1677. ſubjungit, quòd dictus Fridericus hora quinta ejuſdem noctis ſe contulit ad Baſilicam Vaticanam, ubi Summus Pontifex voluit iterari Matutinum, in quo Cæſar non ineptè cantavit dictam ſeptimam Lectionem: cui Imperatori Papa dono dedit Enſem & Pileum, quos Romani Pontifices conſueverunt in hac Vigilia ante Matutinum benedicere: & quos ſolent alicui magno Principi, ſi præſens ſit, dare: vel ſi non ſit præſens, ad aliquem Regem vel alium Principem per aliquem ex ſuis tranſmittere, ut in dicto Libro Coloniæ impreſſo, *cap. de Enſe in Nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo, pag.* 77. Hujuſmodi munus Alexander Octavus Otthobonus Venetus tranſmiſit ad Sereniſſimum Venetiarum Principem Franciſcum Mauroceũum per ſuum tunc Cubicularium Michaelem Angelum de Comitibus, poſtea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & deinde Summum Pontificem ſub nomine Innocentii Decimitertii. Breve autem dicti Alexandri Octavi datum fuit ſub die 8. Aprilis 1690. & incipit *Ea, quæ Chriſtiana Reipublica*, & integrum Domi retitineo.

39 Celebraturus, cantata nona Lectione, intonat Hymnum *Te Deum laudamus*, quem Chorus proſequitur, cui & Organum intermiſceri poterit, dummodò Verſiculus *Te ergo quæſumus, &c.* exprimatur voce clara, alioquin cum ſuavi armonia ſine Organo:

no: qui Verſiculus dum recitatur, Officiator & omnes de Choro genufleƈtunt in locis ſuis, ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. §. 6. *pag.* 166. & iterum *lib.* 2. *cap.* 5. § 9. *in fine*. Diƈto Hymno terminato, & præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicitur Oratio *Concede quæſumus, &c.* & rursùs repetito *Dominus vobiſcum*, diƈtoque *Benedicamus Domino*, non additur *Fidelium animæ*, niſi quis extra Chorum terminare vellet Officium Matutini diſtinƈtum à Laudibus, quia in hujuſmodi privata recitatione addi deberet tum *Fidelium animæ*, tum etiam *Pater noſter*, ut ait Piſcara *in Prax. Ceremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. & iterum *in Caremon. ſua Religion. lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 9. ac idipſum dicit Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremon. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 21. Itaque Matutinum in Choro diſtinguitur hac noƈte à Laudibus, quia Matutinum ſpeƈtat ad noƈtem, & prima Miſſa eſt noƈtis, non diei: Laudes verò potiùs pertinent ad diem, quàm ad noƈtem, & ideo congruè præſcriptum eſt, ut Miſſa cantetur ante Laudes, inquit Gavantus *in Theſaur. Sacrar. Rit. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 5. *num.* 4. Cùm igitur prima Miſſa debeat eſſe media inter Matutinum & Laudes, completo jam Matutino, deveniamus ad Miſſam ſolemniter decantandam.

Prima Miſſa ideo dicitur in media noƈte, quia 49
Chriſtus ſupponitur natus in punƈto mediæ noƈtis, juxta illud Sapientiæ 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus, Domine, de Cœlis à regalibus Sedibus venit*, ut habetur in Introitu Dominicæ infra hanc Oƈtavam Natalitiam occurrentis: quæ verba de Nativitate Domini intelligenda eſſe oſtendit Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *qu.* 405. vel cantatur in noƈte, quia ſignificat æternam, & nobis occultam Chriſti Nativitatem, ex D. Thoma 3. *par. quæſt.* 83. *artic.* 2. *ad* 2. Quo verò anno Imperii Auguſti natus ſit Chriſtus, variæ ſunt Chronologorum & Doƈtorum ſententiæ, quorum ſeptem refert Cornelius à Lapide *in Commentar. ad Evang. Lucæ, cap.* 2, *verſ.* 1. Certè natus

tus eſt, cùm Cæſar Auguſtus plenam haberet pacem in toto Orbe, cujus pacis indicium ipſa fuit totius Orbis deſcriptio, ita dirigente Deo, ut ſignificaret jam Chriſtum naſci, qui pacem toti Orbi afferebat, ut ex Beda ſequitur A Lapide, *loco ſuperiùs citato*. Peperit autem Beata Virgo Maria non ex laſſitudine itineris, quod ſuſceperat ad exequendum Cæſaris Edictum, ſed naturaliter, peracta naturali conceptionis temporiſque ad pariendum uſitati periodo. Quare cùm Chriſtus conceptus ſit die 25. Martii, ſequitur eum natum eſſe die 25. Decembris: inter utrumque enim intercedunt novem menſes. Natus eſt itaque Chriſtus paulo poſt Solſtitium Hyemale, cùm creſcere incipiunt Dies: Joannes verò Baptiſta natus eſt paulo poſt Solſtitium Æſtivum, cùm Dies incipiunt decreſcere, unde videtur, quod hoc voluerit ipſe Præcurſor ſignificare, cùm dixit: *Illum oportet creſcere, me autem minui*, ut ait S. Auguſtinus apud Cornelium à Lapide *ibidem*, *verſ.* 5. Natus eſt Chriſtus Homo Deus, cujus hypoſtaticam unionem optimè cecinit Corippus *de laudibus Juſtini minoris*, ſcilicet: *Natus Homo eſt, veruſque Deus non deſtitit eſſe.*

In Miſſa igitur hujus noctis Solemniter celebranda, intonata a Celebrante *Gloria in excelſis Deo*, pulſantur omnes Campanæ, tam quæ ſunt intra Eccleſiam minores, quàm quæ ſunt majores in ejus Turri: & hoc in ſignum lætitiæ, quia juxta S. Leonem Papam ſerm. 1. de Nat. Dom. *Salvator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus*, quod quidem gaudium Paſtoribus annuntiatum, nobiſque tranſmiſſum, multitudo Militiæ Cœleſtis confirmavit in hoc Hymno hac nocte ab Angelis compoſito & lætanter cantato, ut ex S. Theleſphoro Papa *cap. nocte ſancta*, *de conſecr. diſt.* 1. ait Piſcara *in Carem. ſuæ Relig. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. & quoad dictam omnium Campanarum pulſationem ſic faciendum ſuggerit etiam Bauldryus *in Man. Sacrar. Carem. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 22. Unica dicitur Oratio in hac prima Miſſa, ut præſcribitur in Miſſali. Ad Symbolum verò, cùm Cantores pervene- 41

rint

rint ad illa verba: *Et incarnatus eſt, &c.* Celebrans cum Miniſtris ſi ſit ad Altare, & velit poſtea ſedere, deſcendit de Altari ad infimum gradum illius, ibique genufle&tit, deinde vadit ad ſedem: Si verò non velit ſedere, ſatis eſt ut deſcendat ad ſecundum gradum, & inde redit ad medium Altaris: Si verò ſedeat poſt intonatum Symbolum, ad prædictum verſum genuflectit propè ſedem, ex eodem Bauldryo, *ibidem*, *ſub num.* 23. In Cathedrali verò Eccleſia Epiſcopus cum Mitra apud Sedem ſuam, & cæteri in propriis locis genuflectere debent uſque ad terram, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 14. §. 10. *pag.* 294.

Præfatio eſt propria, illa ſcilicet, quæ incipit *Quia per incarnati verbi myſterium*, cum ſuo *Communicantes* itidem proprio, ſed in hac prima Miſſa dicitur *& noctem ſacratiſſimam celebrantes*, ut in Miſſali. In Libro tamen Sacramentorum S. Gregorii Papæ dicebatur antiquitùs hac nocte Præfatio diverſa, quæ per extenſum ibi habetur pagina ſexta, & erat ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Cujus Divinæ Nativitatis potentiam, ingenitæ virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem ſemper Filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno, atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, & honore, majeſtate, atque virtute æqualem tibi cum Spiritu Sancto confitemur, & in trino vocabulo unicam credimus Majeſtatem. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, &c.* 42

Quia tamen oſtendimus veterum Rituum diverſitatem in Præfatione, fore gratum putamus Lectori Eccleſiaſtico, ſi & hoc loco aliquid dicamus de priſco uſu Benedictionis Epiſcopalis in Miſſis ſolemnibus. Antiqua ergo erat conſuetudo, ut Epiſcopus, antequàm Euchariſtiam perciperet, Populo benediceret quibuſdam conceptis precationibus unicuique Solemnitati convenientibus; & in Libro Benedictionali nuncupato contentis. Dicto 43

igitur

ſigitur *Pater noſter* in Miſſa, Diaconus converſus ad Populum dicebat, *Humiliate vos ad Benedictionem*; deinde porrigebat Epiſcopo dictum Librum, ut habet Hugo Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii, *nota* 100. *pag. mihi* 295. Benedictio itaque Epiſcopalis in Miſsa hujus Sacratiſſimæ Noctis, quæ habetur in dicto Libro Sacramentorum, pagina ſexta, erat ſequens, ſcilicet: *Omnipotens Deus, qui incarnatione Unigeniti ſui, Mundi tenebras effugavit, & glorioſa Nativitate hanc ſacratiſſimam Noctem irradiavit, effugiat à vobis tenebras vitiorum, & irradiet corda veſtra luce virtutum*. Amen. *Quique ejus ſacratiſſimæ Nativitatis gaudium magnum Paſtoribus ab Angelo voluit nunciari, ipſe ſuper vos Benedictionis ſuæ gratiſſimum imbrem infundat: atque ipſo Paſtore, vos ad æternorum gaudiorum paſcua æterna perducat*. Amen. *Et qui per ejus incarnationem terrena cœleſtibus ſociavit, interna pacis & bonæ voluntatis vos nectare repleat, & cœleſtis militiæ conſortes efficiat*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*.

Ambroſiani verò recitant etiam his temporibus noſtris aliam Præfationem, quæ nec convenit cum Miſsali Romano, nec cum Libro Sacramentorum S. Gregorii: Brevem quidem habent hac Nocte, ſed propriam, quam ex eorum Miſsali Mediolani impreſso deſumptam extendere volumus: & eſt ea, quæ ſequitur, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia noſtri Salvatoris hodie lux vera proceſſit, quæ clara nobis omnia & intellectu manifeſtavit & viſu. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c.* 44

Expoſitis, quæ ad eruditionem de veteri Eccleſiæ conſuetudine, & de varietate Ritus Ambroſiani dicere voluimus, redeamus ad noſtra. Celebrans, hauſto diligenter toto Sanguine, non ſumit purificationem, ſed abluit digitos, quibus tetigit SS. Sacramentum, non quidem in Calice, ſed in 45

alio

alio Vaſe mundo ad hoc parato : quæ ablutio, vel ſumetur in tertia Miſsa ab ipſomet Celebrante, vel alicui porrigi poterit qui ſumpſerit Communionem pro ejus purificatione. Dum autem Celebrans facit digitorum ablutionem, dicit conſuetas Orationes *Quod ore ſumpſimus, &c.* & *Corpus tuum Domine, &c.* Calix veiò non extergatur, ſed deferatur à Subdiacono ad Credentiam, & inde ab alio in Sacris ad Sacriſtiam, decenter ſervandum uſque ad Miſsam ſecundam vel ſolemniter vel privatim celebrandam : non enim relinquendus eſt in Altari, ne impediat incenſationem in Laudibus faciendam, ut habet Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par. 4. cap. 2. num. 24. & 25.*

Completa Miſsa ſolemni, Celebrans deſcendit cum Miniſtris, & facta in medio Altaris debita reverentia, vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſitis Planeta & Manipulo, accipit Pluviale album, adjutus ab iiſdem Miniſtris (poſtea deſcendentibus ad deponenda in Sacriſtia paramenta ſua) & ſalutato Choro, accedit ad locum ſuum. Ibidem incipit abſolutè *Deus, in adjutorium meum intende*, pro Laudibus à Choro decantandis : ita proſequitur Bauldryus, *ibidem, ſub num. 27. & 28.* Piſcara verò *in Ceremon. ſuæ Relig. lib. 3. cap. 4. numer. 13. & 14.* facit quidem, ut Celebrans redeat cum Pluviali ad ſuum locum, ſed vult more forſan ſuæ Religionis, quòd Senior de Choro inchoet Laudes, & incenſentur Altare, Chorus, ac reliqui, eodem ordine, quo ad Veſperas. Finitis Laudibus cum Antiphona & Oratione de Beata Maria Virgine, datur ſignum Salutationis Angelicæ cum campana majori, juxta utrumque Auctorem, Piſcaram ſcilicet & Bauldryum *locis ſuperius citatis*. 46

In Cathedrali verò Eccleſia, Epiſcopus in fine Miſsæ dabit quidem Benedictionem, ſed non Indulgentiam, quia in tertia Miſsa, quam omninò cantabit ipſe Epiſcopus in die, erit Indulgentia publicanda, ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 14. §. 11. pag. mihi* 294. & eſt juxta illud, quod facit ipſemet Papa hac nocte; nam cantata à Cardinali 47

prima

prima Miſsa, Summus Pontifex dat Benedictionem, ſed non Indulgentias, quia dabit in Miſsa majori, quam ſolemniter celebrare conſuevit in Die, inquit Piſcara *in Prax. cæremoniar. lib. 3. ſect. 2. cap. 3. num. 4. & 5.* ac etiam *cap. 5. ſub num. 6.* Quoad Laudes in dicta Eccleſia Cathedrali, ſi Epiſcopus in Matutinis ſolemne officium peregit, congruum erit, ut etiam Laudes ſolemniter celebret. Stans igitur Epiſcopus in ſua Sede Epiſcopali, cum Pluviali, & Mitra, ac aliis paramentis, ut in Veſperis, & cum eo quatuor aut ſex Canonicis ex dignioribus cum Pluvialibus, inchoabit Laudes, abſolutè cantando, *Deus in adjutorium meum intende.* Cùm verò inchoetur Canticum *Benedictus*, Epiſcopus, poſito priùs thure in thuribulum, ſurget cum Mitra, factoque ibi ſigno crucis, & aſsumpto Baculo, aſsociatus à prædictis Canonicis paratis, thurificabit Altare, & deinde thurificabitur ipſe apud ſuam Sedem, ſtans cum Mitra, à digniori ex dictis Canonicis paratis, vel ab alio, cui competat. Repetita poſt Canticum Antiphona, Epiſcopus cantabit Orationem, prout habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 1. cap. 7. §. 1. 23. & 5.* cui capiti remiſſivè accedit *cap. 14. ejuſd. lib. 2. §. 12. pag. 295.* ubi de Laudibus poſt Miſsam hujus Noctis cantandis.

Terminatis Laudibus, terminat etiam magna hujus ſacratiſſimæ Noctis ſolemnitas, tantis repleta gaudiis, quantis repleti fuerunt Paſtores, poſtquàm audierunt ab Angelo: *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni Populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in Civitate David.* Unde tam magnà lætitià non ſunt privandæ Moniales perpetuæ addictæ clauſuræ: ideoque & illis poteſt hac Nocte dici una Miſsa privata, clauſis tamen januis, & poſt medinoctium, celebranda ab uno ex earum Capellanis, quorum nomine veniunt etiam Manſionarii, qui ex debito tenentur celebrare in earumdem Monialium Eccleſiis: nam quoad hanc Miſsam privatam, illam concedit *Sacra Rituum Congregatio in Decreto*, de quo 48

habe-

habemus apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par. 2. tit. 15. formul. 1. num. 6.* & quoad dictos Manſionarios ſeu Sacerdotes ibi ad Miſsas obligatos, ita declaravit *eadem Sacra Rituum Congregatio in Tarviſina, ſub die 11. Februarii 1702. in reſponſione ad tertium Dubium*, humillimè petente tunc Reverendiſſimo Domino Clemente Bartholuccio Vicario Curato S. Laurentii de Tarviſio, & Confeſsario Monialium S. Benedicti, dum viveret, mihi in amicitia conjunctiſſimo, de Sacris Ritibus benè merito, & obſervantiſſimo.

Ad complementum hujus noctis, unum reſtat 49
prohibendum, quod omnes ferè antiqui Theologi concedunt. Iſti igitur tenent, & firmiter aſserunt, poſse in hac Nocte celebrari tres Miſsas privatas ſimul poſt mediam noctem, quia nullo jure prohibetur, ſi cauſa adſit majoris numeri Sacerdotum, minoriſque numeri Altarium, & ejuſmodi: At quidquid illis temporibus fuerit, quoad hoc, vel eſse potuerit in praxi, certè temporibus noſtris eſt omnino vetitum: & ſi tunc nullo jure, ut ajunt, prohibebatur, nunc pluribus Decretis eſt prohibitum, emanatis ſub die 7. Decembris 1641. & 9. Auguſti 1653. ac 20. Aprilis 1664. in quibus omnibus dicitur, non licere in media nocte Nativitatis Domini, poſt Miſsam decantatam, celebrare ſucceſſivè alias duas Miſsas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus, ſed eſse utrumque omnibus prohibitum. Et ne tractu temporis inobſervata remanerent tria præcitata Decreta, affixo Edicto, ea Romæ innovavit Eminentiſſimus Urbis Vicarius Gaſpar Cardinalis Carpineus, de ordine Sanctiſſimi, anno 1702. 17. Decembris, cujus Edicti verba habes *in particulari Bullario Clementis XI. par. 2. Conſtit. 5. quæ incipit Italicè* Eſsendoſi introdotto, *& modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſsimè Luxemburgi impreſso 1727. tom. 8. par. 2. Conſtit. 5. pag. 245.*

De

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Nativitatis Domini.

POſt illa, quæ diximus ad Noctem ſpectantia, dicendum modò occurrit quod pertinet ad Diem. Nativitas Domini Noſtri Jeſu Chriſti eſt magna Solemnitas, quæ celebratur in colore albo ſub ritu duplici primæ claſſis, cui affixum eſt præceptum audiendi Miſsam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Nullum Feſtum eſt iſto dignius, & ideò ſi hodie alicubi occurrat Dedicatio Eccleſiæ, præſertim ratione Dominicæ quartæ Menſis interdum in hanc diem incidentis, nemine dubitante, transfertur. Chorus incipit à recitatione Primæ, quæ ſummo mane dicenda eſt, in qua terminatur Hymnus cum *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* non tamen adduntur *Alleluja* ad Reſponſorium breve, ſed tamen dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine* uſque ad Vigiliam Epiphaniæ incluſivè. Ideo recitanda eſt Prima ſummo mane, ut in Aurora cantari poſſit ſecunda Miſsa, quæ tunc reverà cantanda eſt, ex Rubrica Miſsalis *tit.* 15. *de hor. celebran. Miſſ. ſub num.* 4. Ex eo autem, quòd dicta Rubrica habeat; *Dicitur ſecunda Miſſa in Aurora, dictis Laudibus, & Prima,* non inde ſequitur, quod Laudes dicendæ ſint ſummo manè, & ſucceſſivè recitanda Prima, cùm Laudes conſtituant unam Horam cum Matutino, & ab eo non ſint dividendæ, niſi quantum prima Miſſa occupat temporis: ſed Rubrica intelligenda venit de Laudibus ſuo loco & tempore præmiſſis, & de Prima ſummo mane dicenda, cui in Aurora ſuccedat ſecunda Miſsa. Cantatur autem in Aurora propter ſpiritualem Chriſti Nativitatem, quia Chriſtus oritur tamquam Lucifer in cordibus noſtris, ut ex Divo Thoma 3. *par, queſt.* 83. *artic.* 2. 50.

ad

ad 2. ait Quarti *in Comment. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 15. *ſub num.* 4.

In hac ſecunda Miſſa cantanda in Aurora, dicitur *Gloria in excelſis*: ſecunda Oratio erit de S. Anaſtaſia, niſi alicubi transferatur cum Officio novem Lectionum, ut ſit Aquilejæ & Concordiæ in Foro-Julii, ac Parentii in Hiſtria, in quibus Diœceſibus etiam in hac ſecunda Miſſa dicitur unica tantùm Oratio. Quòd ſi alicubi occurrat hac die Anniverſarium Conſecrationis Epiſcopi; prout contingit Patavii pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Joanne Minotto Otthobono vivente, ibi tertia Oratio erit pro eo, & quidem in hac ſecunda Miſſa tantùm ſolemni, non verò privata. At circa hanc Epiſcopi Collectam, ſequens emanavit Decretum à Sacra Rituum Congregatione, in Lycien. anno 1705. ſub die 4. Aprilis, ſcilicet: *Quando Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Diem Nativitatis Domini, non poteſt diei Miſſa de dicta Conſecratione; ſed in ipſa Miſſa de Die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione, ut diſponit Caremoniale Epiſcoporum*: Locus autem dicti Cæremonialis à dicta Sacra Congregatione citati, eſt *lib.* 2. *cap.* 55. §. 1. *pag. mihi* 419. & loquitur de Miſſa ſolemni tantùm, ut clarè patet legenti: Vide Reverendiſſimum P. Merati infra citatum, *ſub numer.* 693. Sacerdotes autem orent pro eo in Memento, ut diù vivat, & benè regat. Nihilominus dicerem eamdem Collectam in tertia Miſſa vigore dicti Decreti: at vide Miſſam Paſchæ. Quòd autem Oratio pro Epiſcopo non ſit dicenda in Miſſis privatis hujus Diei, mihi videtur legitima illatio ex Oratione de SS. Sacramento expoſito ratione quadraginta Horarum, & ideo pro re gravi, nam ſi occurrat in Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, in Miſſis privatis tacendam eſſe ejus Collectam reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium anno* 1684. *ſub die* 2. *Decembris, ad quartum Dubium*, apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *pag.* 51. *ſub num.* 2. & noviſſimè refert P. Merati, *ut*

infra, *ſub numer.* 471. ſi enim non poteſt pro SS. Sacramento, quod eſt majus: non poterit pro Epiſcopo, quod eſt minus.

Dum cantatur *Credo*, ad illa verba: *Et incarnatus eſt*, *&c.* genuflectitur, ut ſupra diximus in prima Miſſa de nocte. Sciendum tamen eſt, quod dum cantatur Symbolum à Choro, Celebrans non proſequitur Miſſam, ſed debet expectare integram ejuſdem Symboli decantationem, & poſtmodùm dicere canendo *Dominus vobiſcum*; hoc autem ſervandum eſt in omnibus Miſſis cantatis, in quibus dicitur *Credo*, ut decrevit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 17. *Decembris* 1695. apud Fagidli *in Kalendario perpet. ration. in Annotat. ad Januar. ſub num.* 3. & ita ex Synodico Beneventano *par.* 1. *tit.* 29. *cap.* 7. deſumpſit Braſchius *in Promptuario Synodali*, *cap.* 80. *ſub num.* 39. & refert Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 510. Imò cùm dicitur Symbolum in Miſſa, non eſt intermiſcendum Organum, ſed illud per Chorum cantu intelligibili proferatur, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. §. 10. *pag. mihi* 168. & ſic etiam habet Conſilium Provinciale Mediolanenſe Tertium, apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Miſſa Conventualis*, *ſub num.* 22. 52

Præfatio hujus Miſſæ ſecundæ eſt eadem quidem, quæ in Miſſa prima, nempè, *Quia per incarnati Verbi myſterium*, ſed ad *Communicantes* dicitur *& diem ſacratiſſimum celebrantes*, ut & in tertia Miſſa, ac per totam Octavam. Priſcis autem Eccleſiæ temporibus Præfatio erat alia ab illa, quàm nos habemus modò in Miſſali Romano, & dicebatur ea ſupra poſita in prima Miſſa de nocte pro Ambroſianis, ut videre eſt *in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, *pag.* 7. Benedictio verò Epiſcopalis, de qua ſupra diximus, deficit proprio loco in hac ſecunda Miſſa, ſed illa reperitur in ſupplemento hujuſmodi Benedictionum *in eod. Lib. Sacramentor. pag.* 625. & erat ſequens, nempè: *Populum tuum, quæſumus, Domine, pio favore proſequere, pro quo dignatus* 53

gus es in hoc ſacratiſſimo Die tuam Mundo præſentiam exhibere. Amen. *A cunctis eum adverſitatibus paterna pietate cuſtodi, pro quo in Mundo hoc tempore dignatus es ex Virgine naſci.* Amen. *Ut te Redemptorem ſemper intelligat, & tuam veraciter gratiam comprehendat.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in prima Miſſa. Ritus verò Ambroſianus habet etiam hodie Præfationem propriam in hac Miſſa ſecunda, quam volumus hic per extenſum ponere, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in omnibus prædicare myſteriis. Hodie, quia noſtri Salvatoris lux vera proceſſit, quæ clauſam nobis omnibus vitam reddidit. Ut non ſolùm præſentem ſuo ſplendore dirigeret, ſed ad ipſam nos Majeſtatis immenſa gloriam perduceret intuendam, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

54 Etiam in hac ſecunda Miſſa Celebrans ſe debet abſtinere à purificationis ſumptione, ne fracto per eam jejunio, non valeat tertiam celebrare: quæ prohibitio venit ab Innocentio III. *in cap. ex parte, de celebr. Miſſ.* Hauſto igitur Sanguine, facit Sacerdos digitorum ablutionem in aliquo vaſe mundo, ut de utroque præſcribit Rubrica Miſſalis *de defectib. in celebrat. Miſſar. tit. 9. num. 4.* ubi ſic habetur: *Si plures Miſſas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Miſſa abluat digitos in aliquo vaſe mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem*: ergo non in Calice Miſſæ, cùm non deceat, ut vinum ablutionis ſit materia conſecrationis: & hoc omnes notant ſcribentes de Sacris Ritibus. Preces autem, quas dicere ſolet Sacerdos in purificatione Calicis, & digitorum ablutione, neque in hac ſecunda Miſſa ſunt omittendæ, neque purificatorio Calix ipſe extergendus eſt.

55 Antequàm verò ad tertiam Miſſam ſolemnem deveniamus, pro indubitato habemus, quod ex attentione Sacriſtæ, vel diligentia alterius cui incumbit, Eccleſia in omni eius parte ſit munda, & ex-

 polita,

polita, ac optimè ornata, cum ſuis Altaribus benè compoſitis, & ſuper ea adſint candelabra meliora cum cereis accenſis, ac Paramenta Miniſtrorum ſint pretioſiora, prout exigit tanta Solemnitas: hæc enim cenſetur, & dicitur, atque revera eſt Miſſa major hujus Diei. His præſuppoſitis, & cantata vel recitata in Choro Tertia, ut præſcribit Rubrica Miſſalis tit. 15. *de hora celebran. Miſſ. ſub num.* 4. proceditur ſolemniter ad Miſſam à Superiore Eccleſiæ indubitanter cantandam, quæ ideo dicitur in die, & clara luce, quia ſignificat corporalem Chriſti Nativitatem, ſecundùm quam Chriſtus nobis viſibilis apparuit natus ex Virgine, ut ait Divus Thomas 3. *par. quæſt.* 83. *artic.* 2. *ad* 2. unde & Apoſtolus dicit ad Tit. 3. b. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Si Nativitas Domini venerit in Die Dominico, Dominica erit quidem vacans quoad Officium, ſed non quoad aſperſionem Aquæ benedictæ: ideoque antequàm hæc tertia Miſſa inchoetur, facienda erit hujuſmodi aſperſio, excepta Eccleſia Cathedrali, ſi Epiſcopus in ea Pontificaliter celebret, prout excipit Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. cap. 31. §. 4. pag. mihi 398. ibi: *Si Epiſcopus celebrare voluerit ſolemniter, non eſſet facienda hujuſmodi Aqua benedicta aſperſio: abſente verò Epiſcopo, & in Collegiatis, ſemper Dominicis Diebus fit*: Si ſemper, ergo etiam in Nativitate Domini, quando occurrit in Dominica: quod tamen ſignanter notat Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. & iterum *in Cæremoniali ſua Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 25.

In hac tertia Miſſa ſolemni dicitur *Gloria in ex-* 36
celſis, & unica Oratio. Guyetus *in Heortolog. lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 25. *quæſt.* 6. *verſ. Idem propè cenſeo, pag.* 228. *juxta editionem Venetam de Anno* 1728. ait, quod Eccleſia Andegavenſis ex antiqua conſuetudine poſt Epiſtolam cantat in hac tertia Miſſa Sequentiam illam piam admodùm, ac devotam, utique à Sancto Bernardo exaratam, quæ incipit *Lætabundus exultet fidelis Chorus*. Hanc Proſam etiam Pariſiis dici in tertia Miſſa, refert Grancolas *in Comment.*

ad

Ad Roman. Breviar. cap. 14. verſ. Non reperitur, pag. 221. ſed hòc ad eruditionem dictum ſit, non ad imitationem, cùm enim Ritus Romanus careat hodie Sequentia, ejus introductio nullibi, nulloque modo fieri poteſt abſque Indulto Apoſtolico. Quia verò Evangelium principale hujus tertiæ Miſſæ eſt illud Sancti Joannis, ideo dum cantatur à Diacono *Et Verbum caro factum eſt*, omnes genuflectunt, exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, ut benè ſuggerit Piſcara *locis ſuperiùs citatis, ſub numeris reſpecti. vè* 3. & 26. Ad Symbolum autem ſine Organi pulſatione à Choro cantandum, cùm perventum fuerit ad verba: *Et incarnatus eſt, &c.* genuflectitur eo prorsùs modo, quem ſupra oſtendimus in Miſſa de Nocte, etiam ab Epiſcopo, nam Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 14. §. 10. *pag.* 249. unit quoad hoc Miſſam de Nocte cum Miſſa de Die, ſic præſcribendo: *Epiſcopus cum Mitra apud ſuam Sedem, & cæteri in propriis locis genuflectere debent uſque ad terram, hac Nocte & Die ſequenti in Miſſa majori*, quam Miſſam omninò hodie ab Epiſcopo cantandam eſſe, ſubdit dictum Cæremoniale, *ibidem, ſub* §. 11.

57 Præfatio hujus tertiæ Miſſæ eſt propria, atque eadem, quæ in Miſſa de Nocte, & in Aurora dicta fuit, ſcilicet: *Quia per incarnati Verbi myſterium*, cum ſuo *Communicantes* itidem proprio. Hanc tamen Præfationem fuiſſe olim eamdem pro hac tertia Miſſa, legimus in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pagina octava, ubi ſubſequitur Benedictio illa, quam Epiſcopus tunc temporis ſolebat Populo impartiri: & erat ſequens, videlicet: *Benedicat vobis omnipotens Deus, veſtramque ad ſuperna excitet intentionem, qui hunc ſacratiſſimum Diem Nativitate Filii ſui fecit eſſe ſolemnem.* Amen. *Et qui eum, qui eſt Panis Angelorum, in Præſepi Eccleſiæ cibum fecit Fidelium animalium; ipſe vos & in præſenti ſæculo deguſtare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, & in futuro perducat ad ſatietatem æternorum præmiorum.* Amen. *Quique ejus infantiam vilibus voluit indui pannis, ipſe vos cœleſtium veſtimentorum in-*

duat ornamentis : Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur*, *&c.* cum reliquis, ut ſupra in prima Miſſa de Nocte.

Duas alias Præfationes invenio ad hanc tertiam Miſſam ſpectantes : quarum prima priſcis temporibus recitabatur in Eccleſia Gallicana : altera verò, quæ etiam hodie recitatur apud Ambroſianos : utramque per extenſum ponimus, ſatisfacturi forſan Lectori Eccleſiaſtico, vel de antiquis Ritibus eruditè ſtudioſo, vel de hodiernis aliorum uſibus laudabiliter cupido. Et prima quidem Præfatio, de- 58
ſumpta ex Mabillonio *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag. mihi* 191. erat ea, quæ ſequitur, nempe : *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Quia hodie Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignatus eſt viſitare Mundum, Proceſſit de Sacrario Corporis Virginalis, & deſcendit pietate de Cœlis. Cecinerunt Angeli* Gloria in excelſis, *cùm humanitas claruit Salvatoris. Omnis denique turba exultabat Angelorum, quia terra Regem ſuſcepit æternum. Maria beata, facta eſt templum pretioſum, portans Dominum Dominorum. Genuit enim pro noſtris delictis vitam præclaram, ut mors pelleretur amara. Illa enim viſcera, quæ humanam non noverant maculam, Deum portare meruerunt. Natus eſt in Mundo, qui ſemper vixit & vivit in Cœlo, Jeſus Chriſtus Filius tuus, Dominus noſter. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Altera verò Præfatio, quam etiam hodie recitant Ambroſiani in hac tertia Miſſa Nativitatis Domini, ex eorum Miſsali fideliter deprompta, ſequentibus verbis concepta eſt, ſcilicet : *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Quem Beata Maria ſine detrimento Virginitatis, Mater & Virgo concepit intacta, & non eſt ejus conceptio ſine Virginitatis inventa pudore. Ut, quod audivit ab Angelo, crederet ; & quod crediderat, indubitanter acciperet. Nec in ea honor exterminatus eſt integritatis, ut Mater ſempiterna diceretur caſtitatis. O beatum, & ſacro-* 59

ſacroſanctum Mariæ Virginis uterum! Quæ ſola meruit inter mulieres ſuis viſceribus Mundi portare Dominum, ad noſtram quoque ſalutem æternam edidit Chriſtum. Gaudeat itaque univerſus Orbis, quia ex membris virginalibus egreſſus eſt Deus. Congratuletur innumerabilis multitudo Angelorum exercitus, cum quibus gloriam tuam canimus, ſine fine dicentes.

In hac tertia Miſsa Celebrans ſumit de more 60
purificationem ſibi à Subdiacono miniſtratam, ac facit digitorum ablutionem in Calice Miſsæ, qui etiam extergitur & mundatur ab eodem Subdiacono. Dicto denique per Diaconum *Ite Miſſa eſt*, Subdiaconus præventivè ante Benedictionem defert Miſſale ad cornu Evangelii, quia in fine hujus tertiæ Miſsæ legendum eſt illud Epiphaniæ: *Cùm natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judæ*, nam Evangelium S. Joannis jam dictum fuit principaliter in hac eadem Miſsa. Dum tamen Celebrans legendo dicit: *Et procidentes adoraverunt eum*, ipſe & Miniſtri, ac omnes de Choro genuflectunt in propriis locis. Epiſcopus verò celebrans hanc Miſsam de Natali Domini in Pontificalibus: vel aſſiſtens cum Pluviali vel Cappa, quæ eo die ob maximam ſolemnitatem numquam conveniret: ex quo ſedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Verbum caro factum eſt*, ſed ſolùm quando Diaconus illud cantat, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Bracharen. Dubiorum, anno* 1708. *ſub die* 28. *Septembris*, teſte Reverendiſſimo P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 636. & poſt datam Populo Benedictionem per conſueta verba: *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini, &c.* publicatur Indulgentia, quam in hac ſola tertia Miſsa publicandam eſſe, diximus ſupra in fine primæ Miſsæ de Nocte, *ex Cæremon. Epiſc.* Romæ autem ſolet Summus Pontifex hanc tertiam Miſſam ſolemniter celebrare, in qua dum pervenit ad Sacram Communionem, ſumit unam partem Corporis Domini, Subdiacono continuò Patenam tenente: aliam verò in duas partes dividit pro Diacono & Subdiacono. Cùm verò Papa Corpus Chriſti ſumpſerit, Epiſco-

pus Cardinalis porrigit ei calamum aureum, quem ipſe Papa ponit in Calice in manibus Diaconi exiſtente, & Sanguinis partem ſugit, & reſiduum cum particula Hoſtiæ dimittit pro Diacono & Subdiacono, ut habetur in quodam Libro Coloniæ Agrippinæ impreſso 1557. de Sacris Cæremoniis SS. Romanæ Eccleſiæ, *lib. 2. cap. de Miſſa majori in Die Nativitatis Domini, Papa perſonaliter celebrante, pag.* 180. *&* 181. conſuetudinem, qua Romanus Pontifex hodie etiam Chriſti Sanguinem cum calamo ſeu fiſtula haurit, eſse antiquiſſimam eruditè oſtendit Georgius Rhodiginus *in Liturg. Rom. Pontif. tom. 1. cap. 18. pag. c.*

Terminata in Choro per tertiam Miſsam cantatam antemeridiana Nativitatis Dominicæ Solemnitate, examinandum eſt, an poſſit inſuper hodie cantari aliqua Miſsa Votiva pro re gravi. Certè Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom. 1. par. 1. tit. 4. num. 3. lit. O. in fine*, excipit Feſta majora, quorum unum eſt indubitanter hodiernum. Convenit cum Gavanto etiam Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 4. dub. 1. de Propriis Votivar. ſolemn. verſ. Tertiò, Miſſa Vot. ſol. pag.* 49. & ſic uterque apertè negat hujuſmodi Miſsarum decantationem hac die. Paſqualigus tamen *de Sacrific. nov. Leg. tom. 1. quaſt.* 243. cùm nullum excipiat Feſtum duplex primæ claſſis, videtur concedere etiam hodie Votivas ſolemnes. Attamen nullam in Nativitate Domini cantandam eſse Miſsam Votivam, clarè patet ex Inſtructione Clementis Undecimi emanata ſub die 20. Januarii 1705. & habetur in ejus particulari Bullario, *par. 2. Conſtit. 9. pag.* 312. ubi §. 10. ſic dicitur circa Expoſitionem SS. Sacramenti: *Celebretur Miſsa SS. Sacramenti Votiva pro re gravi, exceptis omnibus diebus, quibus ratione Kalendarii tam univerſalis, quàm particularis illius Eccleſia in qua occurrit Expoſitio, fiat Officium prima vel ſecunda claſſis, in quibus Feſtis cantetur Miſsa Conventualis, cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione:* & ut omninò quoad hoc adimpleatur mens Summi Pontificis, ſtatim ſubditur: *& ita ſervetur inviolabiliter in omnibus Eccleſiis tam Sacularium quàm* 61

Regu-

Regularium, Unde opinio Paſqualigi fundata in In-
ſtructione, ut ait, edita Romæ pro Oratione qua-
draginta Horarum, modò corruit ex dicta recentio-
ri Inſtructione Clementina, cùm juxta iſtam non
poſſit cantari Miſsa Votiva de SS. Sacramento, non
ſolùm in Feſto duplici primæ claſſis quod eſt ma-
jus, ſed neque in Feſto duplici ſecundæ claſſis quod
eſt minus: & conſequenter ratio Paſqualigi fit nul-
la tam pro hac die Nativitatis Domini, quàm pro
alio duplici primæ claſſis, quoad Miſsam Votivam
ſolemnem SS. Sacramenti. Et quod hodie non ſit
cantanda Votiva, probatur etiam ex eo, quod Sa-
61 cra Rituum Congregatio, approbata Congregationi
Valliſoletanæ conſuetudine cantandi quotidie Voti-
vam de Beata Maria, excipit aliquot dies, inter
quos eſt Nativitas Domini, & hoc ſub die 19. No-
vembris 1633. ut videre eſt apud Paſcuccium *in
Compend. ad Conſult. Canonic. Jac. Pignat. par. 2. tit.
de Miſsa Sacrificio, pag. 31. juxta Editionem Venetam
de Anno* 1716. *poſt Romanam de Anno* 1699.

Et pro excluſione Votivarum ſolemnium in Die Na- 62
tivitatis Domini, facit etiam Cæremoniale Epiſcopo-
rum *lib.* 2. *cap.* 35. §. 1. *pag.* 419. ubi licèt præſcribatur
Miſsa ſolemnis in Die Anniverſario Electionis, ſeu
Conſecrationis Epiſcopi, vel per ipſum Epiſcopum,
vel per aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum cantan-
da, ſi tamen hujuſmodi Dies venerit in aliquo die
Feſtivo, celebrabitur de Feſto, cum commemoratione
pro Epiſcopo: ergo ſi venerit in Die Nativitatis
Domini, celebrabitur de Nativitate, & quidem fiet
commemoratio hujuſmodi in Miſsa tantùm ſolem-
ni, ut ſupra diximus pro caſu Patavino hodie oc-
currente. Præterquàm quod ſi hac die alicubi oc-
currat Dedicatio Eccleſiæ (quæ forſan poteſt con-
tingere ratione Dominicæ quartæ Menſis interdum
in hanc diem incidentis, cui dicta Dedicatio ſit af-
fixa) prohibetur Miſsa ſolemnis de ea cæteroquin
transferenda, nam inter Feſta excepta in quibus
non poſſunt cantari duæ Miſsæ, eſt clariſſimè in-
cluſa ipſa Nativitas Domini *in Rubrica Miſsalis,
tit. 6. de translat. Feſtor.* Colligitur itaque ex di-
ctis,

ctis, nullam Miſſam Votivam ſolemnem poſſe hac die celebrari.

Sed modò videndum eſt, an in Die Nativitatis 63
Domini cantari ſaltem poſſit Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, preſente Corpore. Si inſpicimus Rituale Romanum *tit. de Exequiis*, *rubrica* 5. ſtatim conceſſam cernimus hanc Miſſam ſolemnem in Die Feſto: At quia ibi ſubditur, *niſi magna Diei celebritas obſtet*, oritur quæſtio, quænam ſit hæc celebritas excluſiva hujuſmodi Miſſæ, nam diverſimodè explicant Doctores: Alii enim intelligunt de omni & quocumque duplici primæ claſſis, inter quos Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 5. dub. 1. de Propriis Miſſar. ſolemn. Defunctor. nu. 7. pag.* 56. *juxta Editionem Venetam de Anno* 1727. Alii verò de duplici quidem primæ claſſis, ſed non de omni & quocumque, & ſic de ſolis majoribus ſeu ſolemnioribus, inter quos Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 285. *ſub nu.* 2. Attamen cùm primi magis attendant æqualitatem ritus, quàm Feſtorum majoritatem: Secundi verò magis conſiderent majoritatem Feſtorum, quam æqualitatem ritus: illorum idcirco eſt opinio ſequenda, iſtorum autem cautè tenenda, nam inter æqualia primæ claſſis non datur magis & minus. Hinc eſt, quod Sacra Rituum Congregatio reſpondit in Collenſi', ad octavum Dubium, ſub die 5. Julii 1698. *in duplicibus primæ claſſis, etiam præſente Corpore, non poſſe Defunctorum Miſſam cantari*, quam reſponſionem ego Domi retineo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii. Conſequenter in Die Nativitatis Domini, & quia eſt magna Diei celebritas juxta Rituale Romanum, & quia eſt Feſtum duplex primæ claſſis juxta reſponſionem Sacræ Congregationis, non eſt cantanda hujuſmodi Miſſa in Die Obitus.

§. IV.

63 ## §. IV.

De tribus Miſſis privatis, & de Veſperis in Die Nativitatis Domini celebrandis.

PRæmiſſis, quæ ſpectant ad ſolemnitatem Miſſarum, modo nonnulla dicenda ſunt de tribus Miſſis privatis in Die Nativitatis Domini cuique utriuſque Cleri Sacerdoti permiſſis. *Primò* tamen occurrit obſervandum, a quo ſint inſtitutæ: *Secundò*, quid hic trinus numerus ſignificet: *Tertiò*, an neceſſariò à quovis Sacerdote ſint celebrandæ, & a quovis Fideli indubitanter audiendæ: *Quartò* denique, quid attendendum in his tribus privatis celebrationibus. Ut autem unicuique ex dictis quatuor obſervationibus, ea qua poterimus, claritate ſatis fiat; & ut eo ordine, quo ſupra adnotavimus, incipiatur, dico. 64

Quoad *Primum*: Has tres Miſſas inſtitutas fuiſſe à Sancto Teleſphoro Papa, refert Ciacconius *tom. 2. in ejus Vita*, *pag.* 107. *juxta Editionem Romanam de Anno* 1679. ibi enim ſic habetur: *Hic, ut in Chriſti Natali ter Sacrificium Miſſæ celebraretur, mandavit; primum, media nocte, cùm Chriſtus in Bethlehem natus eſt: ſecundum, illuceſcente aurora, quando à Paſtoribus eſt adoratus: tertium, in hora Diei tertia, qua Dies nobis Redemptionis illuxit*: & hoc antea dixerat Platina *in Vita ejuſdem Pontificis*, *pag. mihi* 15. Nec deſunt Scriptores de Sacris Ritibus id ipſum aſſerentes, nempè Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 43. *num.* 17. ac etiam Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *numer.* 3. Cùm autem Sanctus Teleſphorus creatus fuerit anno Domini 139. die verò 9. Aprilis, & martyrium ſubierit anno 150. die 5. Januarii, juxta Cherubinum 65

in Bul.

In Bullario Romano, *tomo primo*, clarè patet, quàm antiqua ſit harum trium Miſſarum inſtitutio. Hic tamen laudabilis uſus non fuit ex illorum temporum acerbitatibus interruptus, nam ſemper fuiſſe poſtmodum hac die trinas Miſſas celebratas, videtur innuere Sanctus Gregorius Papa, qui creatus fuit anno 590. die 3. Novembris, & obiit anno 604. die 3. Martii, ex eodem Cherubino *in d. tom. 1. Bullar. Romani*: nam oſtendit fuiſſe etiam ſuis temporibus conſuetudinem celebrandi dictas tres Miſſas: incipit enim Homiliam octavam in Evangelia cum hoc uſu, dicendo: *Quia, largiente Domino, Miſsarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus*: ex quibus verbis Gregorianis uſum trium Miſſarum hac die ab Urbe Roma ortum duxiſse, infert Grancolas *in Commentar. hiſtor. ad Breviar. Roman. cap.* 14. *verſ. Trium Miſsarum*, *pag.* 218.

Quoad *Secundum*, iſte tres Miſſæ, quæ in Die Nativitatis Domini celebrantur, ſignificant tres Chriſti generationes: Prima enim Miſſa pertinet, ad generationem æternam, ſecundùm quam Chriſtus eſt de Patre ſine Matre, unde in ejus Introitu dicitur, *Dominus dixit ad me*: *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*. Secunda verò Miſſa ſpectat ad generationem temporalem, ſecundùm quam Chriſtus eſt de Matre ſine Patre, unde in ejus Introitu dicitur, *Hodie natus eſt nobis Dominus*. Tertia denique Miſſa utramque reſpicit generationem ſimul ſumptam, æternam ſcilicet at temporalem, ſecundùm quam Chriſtus eſt Filius Dei & Filius Hominis, unde in ejus Introitu dicitur, *Puer natus eſt nobis*, *& Filius datus eſt nobis*. Primam, & ſecundam Chriſti generationem comprehendit ſanctus Auguſtinus ſerm. 20. de Nativit. dicens: *De Patre Deus*, *de Matre Homo*, *ſine Matre Deus*, *ſine Patre Homo*. Utramque verò generationem ſatis ſuperque oſtendit ſerm. 2. de Nat. 5. de temp. *Accedens ad nos per id quod aſſumpſit ex noſtro* ut Homo, *ut liberaret nos per id quod manſit in ſuo*, ut Deus. Et iterum ſerm. 4. de Nat. 8. de temp. *Dei Filius factus eſt Filius Hominis*. Durandus tamen intelligit, quod iſtæ 66

tres

tres Miſſæ Nativitatis Domini alias habeant ſignificationes: dicit enim *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap.* 43. *num.* 17. quod ideo dicantur tres, quia oſtendunt; quod Chriſti Nativitas ſalvavit Patres trium temporum, ſcilicet, Patres ante Legem, ſub Lege, & poſt Legem: quam quidem ſignificationem etiam refert, & ſe ſumpſiſſe ex Gemma *lib.* 3. *cap.* 104. fatetur Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *num.* 3.

Quoad *Tertium*, nec Sacerdotes tenentur ad tria Sacrificia in Die Nativitatis Domini celebranda, nec Fideles ad trium Miſſarum auditionem, ut communiter docent omnes Theologi & Moraliſtæ: & revera quoad primam partem, trina celebratio eſt hodie privilegium: privilegio autem poteſt quiſque renunciare, & ſic etiam Sacerdos in noſtro caſu. Quod autem Sacerdos poſſit unam tantùm Miſſam celebrare tenent omnes Rubriciſtæ, & de Sacris Cæremoniis tractantes. Quoad verò ſecundam partem, Fideles tenentur ex præcepto ad unam tantùm Miſſam audiendam, & adimpleto præcepto per auditionem unius Sacrificii, nihil aliud remanet adimplendum. Attamen & Sacerdotes benè agunt, ſi tria Sacrificia celebrent, & Fideles ſi audiant. Licèt autem ſimplices Sacerdotes poſſint unam tantùm Miſſam celebrare, non tamen poſſunt Parochi, niſi ex rationabili cauſa excuſentur, ſed tenentur tres Miſſas celebrare; quia privilegium celebrandi tres Miſſas non eſt ſolùm conceſſum Parocho, ſed etiam Populo: dum Populus autem non vult renunciare privilegio, Parochus tenetur ad tria Sacrificia, quia privilegium non competit ſibi ſoli: Nec valet dicens; ſicuti Parochiani non tenentur niſi unam Miſſam audire, ſic nec Parochi niſi unam celebrare; nam poſſunt Parochiani velle uti privilegio, quo certè privantur, ſi Parochi unam celebrent; & poſſunt in illo die triplex ſacrificium ſimul cum ſuo Paſtore Deo offerre, & percipere illum fructum, quem precipiunt aſſiſtentes ſacrificio. Ideoque cautè legendi nonnulli Auctores, quos citat, ſed non ſequitur Paſqualigus 67

de Sacrific. nov. Leg. tom. 2. quæſt. 853.

Quoad *Quartum*, nonnulla occurrunt obſervanda 68
& ſervanda in hac trina Miſſarum privatarum celebratione, & hæc revera pertinent ad noſtram rem. Sacerdos igitur ter hodie celebraturus, tres promptas habeat Hoſtias ad Altare, quas poteſt ſecum deferre ſuper patenam poſitas, & poſtmodum reſervare ſub Corporali extenſo, vel melius ex Hoſtiaria extrahere, quæ ex diligentia Sacriſtæ ponenda eſt ſuper unoquoque Altari, ut ſuo tempore poſſit Sacerdos facillimè uti. Attendat, ne ſumat purificationem in prima & ſecunda Miſſa, ut jejunus remaneat, ſed faciat digitorum ablutionem non in Calice, ſed in aliquo vaſe mundo ſive argenteo ſive Chriſtallino ad hoc præparato, non tamen omiſſis ſolitis Orationibus, nam licèt non ſumatur purificatio, conſuetæ tamen Preces dicuntur. Videat etiam, ne extergat Calicem, neque ejus labia poſt infuſionem vini conſecrandi tam pro ſecunda; quàm pro tertia Miſſa: quod ſi forſan exterſerit, ductus inadvertenter ex uſu, non ideo diſcedat ſcrupuloſus ab Altari poſt illud Sacrificium, quia ſumptio purificationis, & non Calicis exterſio eſt impeditiva ſequentis Miſſæ: ſed nihilominus totam adhibeat diligentiam, ne inconſideratè extergat. In omnibus tribus Miſſis unicum flectitur genu ad *Incarnatus* in Symbolo, licèt in ſolemni, Celebrans, & Miniſtri utrumque flectant, quia iſti deſcendunt de Altari, ſi ibi ſunt, vel ſi ſedeant, accedunt ad Altare, ubi flecti non poteſt unicum genu: privatim verò Celebrans remanet ſuo loco, & ideò genuflectit de more.

Quamvis autem remanſerint fortè aliquæ ſpecies 69
vini in Calice, non tamen propterea debet Sacerdos genuflectere, quando tranſit ante Calicem, aut ad eum accedit, ſed debet ita ſe agere, ac ſi non eſſent præſentes, ut ait Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. cap. 2. nu.* 33. Quoniam verò guttæ de Sanguine Chriſti Calici adhærent intus, & ad fundum ſenſim confluunt, æquum eſſe videtur, ut Sacerdos magna ſaltem interiori reverentia,

tia erga venerabile Sacramentum, a medio Altaris
68 recedat, & ad illud accedat, ut benè ſuggerit Piſart *de Cæremon. Ecleſ. in Vig. & Feſto Nativit. Dom. num.* 4.

Non tamen facienda eſt genuflexio, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1686. *ſub die* 20. *Julii in Angenopolitana*, in qua ſic declaravit atque reſolvit hiſce præciſis verbis, ſcilicet: *In Natali Domini in tribus Miſſis poſt ſumptionem Sanguinis, eundo, & redeundo in medium Altaris, non eſt facienda genuflexio., vertendo ſe Celebrans* ad Dominus vobiſcum; *& ad dandam Benedictionem debet renes vertere ad Altare, licèt ſpecies vini non ſint exſiccata in Calice*: Et hoc iterum dixit in Veneta, anno 1698. ſub die 2. Auguſti, ſic reſpondendo, videlicet: *In tranſeundo de una ad alteram partem Altaris in prima, ſecunda, & tertia Miſſa Nativitatis Domini, ſerventur Rubricæ Miſſalis, quæ nullam præſcribunt genuflexionem ante Calicem eſſe faciendam*. Utrumque Decretum, ut ſupra ſtat & jacet, refert Reverendiſſimus Pater ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultor, Cajetanus Maria Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice Decretor. numer.* 487. *&* 537. Communior praxis in Germania habet, ut in primis duabus Miſſis non fiat prima purificatio ſolius Calicis, ſed ſumpto ſacro Sanguine, ſtatim fiat ablutio digitorum ſupra Calicem; interim tamen dicitur utraque precatio aliàs dici ſolita in purificatione Calicis, & ablutione digitorum: vinum autem illud effunditur in aliud vas impoſitum Corporali & palla tectum, Calixque extergitur, ut habet Claudius La Croix *in Theolog. Moral. tom. 2. lib. 6. par. 2. de Sacrific. Miſſ. nu.* 528.
69 At quidquid ſit de illa Germanica praxi, nos debemus rigoroſè ſervare Rubricam Miſſalis *de defectib. in celebrat. Miſſar. tit. 9. ſub num.* 4. ubi loquens de hiſce Miſſis Nativitatis Domini, præſcribit digitorum ablutionem in aliquo vaſe mundo: quòd ſi in illo facienda eſt: ergo non in Calice, qui idcircò non eſt extergendus.

In ſecunda Miſſa fit commemoratio S. Anaſtaſiæ 70
Martyris: & quæ Urbis tantùm Romæ propria

erat,

erat, facta eſt commemoratio totius Orbis; licèt Sancta illa in hac Solemnitate nullam habeat relationem ad alias Eccleſias, præterquam ad illam, cujus eſt Patrona, inquit Grancolas *Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 14. *pag.* 220. *verſ. Commemoratio S. Anaſtaſiæ*, ubi paulo inferiùs teſtatur, quod extant Miſsalia manuſcripta, in quibus hæc ſecunda Miſsa eſt tota de S. Anaſtaſia, cum commemoratione Nativitatis Domini, & cum Præfatione de Communi Virginum, quamvis iſta Sancta non ſit Virgo, fueritque Vidua, quando Martyrium ſubiit. Micrologus ait, quòd Romani Orationem de S. Anaſtaſia adjiciunt, quia Stationem in Eccleſia ejuſdem Martyris ad eamdem Miſsam agunt: ſed ſtatim ſubdit; *& nos quoque in illa adjectione incitamur, licèt non eamdem adjectionis occaſionem habere videamur*. Certè non eſt extenſa hæc commemoratio ad omnes Orbis Eccleſias, eo quod hodie S. Anaſtaſia interfuerit ſanctiſſimo Virginis puerperio, nam tamquàm omninò falſum rejicit Baronius *in Notation. ad Martyrol. Rom. ſub hac die, lit. d.* Non placet tamen, quod habet Claudius La Croix *in Theolog. Moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *de Sacrific. Miſs. ſub num.* 527. ſcilicet, quòd qui unicam Miſsam vult legere, quamcumque legat, debet in ea facere commemorationem S. Anaſtaſiæ, nam ideò poſita fuit in ſecunda Miſsa, quia eſt minùs ſolemnis, & debemus convenire cum Statione ad eam Sanctam, quæ profectò Statio eſt in Miſsa ſecunda: unde etſi Sacerdos valeat unam ex tribus Miſſis eligere, ſi tamen eligat primam vel tertiam, non ſtat in ejus facultate mutare locum ab Eccleſia rationabiliter aſſignatum pro dicta S. Anaſtaſia: Et clariùs patet ex inferiùs dicendis ab eodem Auctore poſitis, nam ſi Sacerdos qui unicam Miſsam vult legere, poteſt etiam eligere tempus unicuique Miſſæ aſſignatum, ſi celebret in Aurora, dicit ſecundam cum commemoratione S. Anaſtaſiæ: ſi verò celebret in pleno Die, dicit tertiam cum unica Oratione: ergo etiam per ipſum Auctorem excluditur dicta commemoratio ab illa Miſsa, quæ non eſt ſecunda.

In ter-

In tertia Miſsa genu flectitur ad utrumque Evangelium, principale ſcilicèt & finale: ad principale quidem, dum dicitur *Et Verbum caro factum eſt*: ad finale verò (quod debet eſſe illud Epiphaniæ) quando legitur *Et procidentes adoraverunt eum*. Sed in hac tertia Miſſa illud advertendum eſt, ut Sacerdos, facta Sanguinis ſumptione, ipſemet accipiat vaſculum, in quo ſunt duæ præcedentes digitorum ablutiones, eaſque infundat in Calicem, & ſumat, poſtmodum dicens, *Quod ore ſumpſimus, Domine, &c.* non enim placet, quod vaſculum purificationis porrigatur à Miniſtro, nam cùm in illis, digitorum purificationibus poſſint adeſſe ſacra fragmenta, non decet, ut Miniſter laïcus porrigat: & ideò laudo Piſcaram hoc dicentem? in hoc non laudo: nam ſi non ſumantur à Celebrante illæ ablutiones, ſumi debent ab alio, qui ſit jejunus, ob reverentiam fragmentorum, quæ fortaſſè ibi ſunt corrupta, ait Gavantus *tom. 1. par. 3. titul. 9. num. 4.* ergo ob eamdem reverentiam vaſculum non eſt porrigendum à Miniſtro. Poſſet etiam Celebrans, & forſan meliùs, infuſa à ſeipſo ex vaſculo in Calicem præcedente duarum Miſſarum purificatione, iterùm porrigere Calicem Miniſtro ad tertiam in illum vini infuſionem, interim dicendo dictam conſuetam Orationem *Quod ore ſumpſimus, Domine*, & poſtea ſimul ſumere: decet enim, ut unuſquiſque Sacerdos ſuam ſumat purificationem: quòd ſi Celebrans rationabili ex cauſa ablutionem ipſam ſeu purificationem in vaſculo cuſtoditam ſumere noluerit, vel non potuerit, ſi à jejuno ut ſupra non ſumatur, projiciatur in piſcinam Sacrarii, ait Piſcara *in Prax. Cæremoniar. libr. 3. ſect. 2. capitul. 4. numer. 7.* & Gavantus *loco proximè citato*: & eo caſu Sacerdos porrigit Miniſtro Calicem, ut infundat vinum pro purificatione, qua ſumpta, abluit ſupra Calicem digitos cum vino & aqua, interim dicendo alteram ſolitam precem *Corpus tuum, Domine, quod ſumpſi*, ſumit, extergit Calicem, eoque parato de more, proſequitur Miſſam: qua finita, & facta Cruci ſuo loco reverentia, vel genuflexio-

ne ſi celebravit ad Altare Ss. Sacramenti, redit in Sacriſtiam.

Notandum tamen, quòd ſi qui ſint communicandi, adminiſtranda eſt eis Euchariſtia regulariter in hac tertia Miſſa; ne & Celebrans, & circumſtantes turbentur; inquit Piſcara *loco ſuperius adnotato, ſub num.* 4. & iterum in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 4. *ſub num.* 21. & quidem poſt ſumptionem Sanguinis, antequàm Sacerdos ſe purificet, ut præſcribit Rubrica Miſſalis *par.* 2. *tit.* 10. *de ritu ſervan. in celebrat. Miſſ. ſub num.* 6. Tolerandum tamen videtur, ut Communio differatur poſt Miſſam, ſi multi communicent; non autem pauci: & hi fortè privantur fructu Orationum earum, quæ poſt Communionem dicuntur; ait Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. par.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. *litt. d.* ubi refert verba Micrologi ad hanc rem ſic adhortantis: *ante has Orationes communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum benedictione foveri deſiderant*. Attamen ſi in Eccleſia adſit hodie conceſſa aliqua Indulgentia Plenaria, cum numeroſo Communicandorum concurſu, poterit adminiſtrari Euchariſtia in omnibus & tribus Miſſis; non ſolùm poſt dictam Sanguinis ſumptionem; ſed etiam ante & poſt quamlibet Miſſam; præſertim ſi Sacerdos celebret ad Altare SS. Sacramenti: & hæc eſt forſan una ex rationibus, propter quam Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par.* 4. *capitul.* 2. *num.* 33. admonens in hac tertia Miſſa faciendam eſſe Fidelium Communionem, ſtatim ſubdit, *niſi urgente rationabili cauſa*. 72

Licèt autem Sacerdos, qui unicam vult hodie dicere Miſsam, poſſit quamcumque ex tribus eligere, attamen, cùm Miſsa debeat, quoad fieri poteſt, cum Officio convenire, ut hortatur Rubrica Miſsalis *titul.* 4. *de Miſs. Voto ſub numer.* 3. *in fine*, omnes idcircò Auctores unanimes & concordes admonent, ut dicat tertiam cujus Oratio præcipue concordat cum Officio, Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. & iterum in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 4. *ſub num.* 19. 73

Gavan-

Cavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *numer.* 6. Bauldryus *loco citato*, *ſub num.* 36. Oratio verò hujus tertiæ
72 Miſsæ, quæ cum Officio convenit, & incipit *Concede*, refertur ab Alcuino *libro tertio* contra Felicem, & Elipandum: *Ut nos Unigeniti nova per carnem nativitas*; ut oſtendat, Jeſum Chriſtum, Filium eſse naturalem Dei, & non per adoptionem, ſicuti Hæretici illi affirmabant, ut habet Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 14. *pag.* 221. *verſ. Oratio tertia Miſſæ*. Non deſunt tamen Auctores apud Claudium La Croix *in Theolog. Moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *de Sacrific. Miſſ. ſub num.* 527. ſuadentes, ut qui unicam tantùm Miſsam vult legere, accipiat accommodatam tempori quo legit: nempè, ſi legat in nocte, ut accipiat primam: ſi in aurora, ſecundam: ſi in pleno die, tertiam. Quæ quidem opinio mihi probatur, ſi tamen omittatur prima Miſsa de nocte, quæ ſanè tunc temporis non eſt privatim dicenda, ut patet ex ſuperiùs dictis, ubi citantur Decreta prohibitiva: unde benè dicit quoad hoc Piſart *de Cærémon. Eccleſ. circa Vigil. & Feſt. Nativit. Dom.* ibi enim omiſsa cautè prima Miſsa, incipit à ſecunda: dicit enim, quòd *Sacerdos unam tantùm dicturus, ſumat eam, quæ congruit tempori quo vult celebrare*; *putà: Miſſam ſecundam, ſi celebret in aurora: tertiam verò, ſi in pleno die ſit celebraturus*.

Fateor me plures Auctores vidiſse tenentes, quòd 74
Sacerdos ter hodie celebraturus, poteſt non ſolùm ad tria Altaria in una eademque Eccleſia, interpoſito aliquo temporis ſpatio celebrare, ſed etiam
73 tria Sacrificia facere in tribus diſtinctis Eccleſiis, dummodò in tertia tantùm Miſsa ſumat purificationem. Pulcherrimum quidem Speculationis inventum, nullibi (quod ſciam) ad praxim redactum, nullibi (ut reor) ad praxim redigendum. Licèt enim ſint revera tria Sacrificia diſtincta, non videtur tamen, quod ſint ſic celebranda, ſaltem ex communi uſu, qui etiam circa hoc te plura docebit. Et licèt ex eo quod nondum aliquid factum ſit, non ſequatur, non eſse faciendum, non eſt

tamen tam facilè faciendum, quod non fuit fortè umquam factum: nam quamvis non ſit actio rigoroſè continuata, eſt tamen continuanda ex conſuetudine ubique recepta: & Scandalum etiam paſſivum, quod ex hac Altarium & Eccleſiarum varietate poſset forſan oriri, videtur eſse evitandum; non enim quodcumque fieri poteſt, faciendum eſt, & præſertim ſi adſit ubique conſuetudo in contrarium: quod tamen dictum ſit (ſalvo Doctorum, & Eccleſiæ judicio.)

Quia verò in Brevibus Pontificiis Miſsam concedentibus in Oratoriis privatis ſemper excipiuntur ſolemniores Anni Feſtivitates, una ſanè ex illis eſt Nativitas Domini, ut clarè excepta patet *in Decreto Sacræ Rituum Congregationis edito anno* 1607. 17. *Novembris*, quod ego, citata Auctorum illud referentium caterva, extendo in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 293. *pag.* 88. *juxta editionem Venetam de Anno* 1730. Unde ad Altare hujusmodi Oratorii nullus hodie Sacerdos, ſive Sæcularis ſive Regularis, poteſt celebrare. Exceptio igitur hujus Diei, aliorumque ſolemnium facta eſt, ut frequentior ſit concurſus Fidelium, etiam Nobilium (quibus ſemper hujuſmodi Privilegium conceditur) ad publicas Eccleſias, eaſque venerentur. Quod ſi quis hodie celebret, vel celebrari faciet in dictis Oratoriis privatis, graviter peccat, imò dupliciter peccat, tum contra gravem prohibitionem Summi Pontificis hunc Diem rationabiliter excipientis, tum quia non ſatisfacit præcepto audiendi Miſsam, quia audiret in Loco hac die interdicto, in quo præceptum non adimpletur, inquit Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 3. *tit.* 10. *ſect.* 2. 5. *difficult. dub.* 10. *pag.* 393. *juxta editionem Venetam de Anno* 1727. 75

Illud etiam ad rem occurrit hoc loco dicendum, quòd ad Epiſcopos ſpectare cenſeo, ſi occaſio ferat: Armenis etenim denegatur celebratio harum trium Miſsarum more Latino in Nativitate Domini, etiam quoad commorantes in Alma Urbe; iidemque Armeni tenentur ſervare hoc Faſtum Nativitatis 76

tivitatis Dominicæ die vigeſimaquinta Decembris, ſicuti & nos, & quoad hoc ſe debent conformare, prout utrumque decrevit Congregatio Generalis Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis *ſub die 27. Februarii de Anno* 1710. ità referente Eminentiſſimo Petra in eruditiſſimis Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas *tom.* 4. *circa Conſtitut.* 19. *Eugenii IV.* qua propter Epiſcopi, in quorum Civitatibus vel Diœceſibus extant Armenorum Eccleſiæ, vel ubi ipſi Armeni celebrant, attendant diligenter, ut hoc Decretum inviolabiliter ſervetur, & ſuum
75 ſortiatur effectum.

At quia ſupra diximus, quòd Sacerdos, & qui- 77
dem ſimplex, poteſt hodie unam tantùm celebrare Miſſam, ſciendum tamen eſt, quod non poteſt nullam hodie celebrare, niſi adſit rationabilis cauſa: communis enim & probabilior ſententia docet, quemlibet Sacerdotem teneri ex vi præciſa Ordinis quater, vel quinquies, in Anno celebrare, & quidem in præcipuis Feſtivitatibus, quarum una proculdubio eſt hæc Nativitatis Domini: ideoque ſive velit Sacerdos tres Miſſas hodie celebrare, vel unam tantùm, debet neceſſariò celebrare: quod intelligitur de Sacerdote raro celebrante, non de Manſionariis Eccleſiarum vel quotidie, vel ſæpiſſimè in Anno ſacrificantibus: quam neceſſitatem hodie celebrandi eſſe ſub peccato mortali, tamquam de una die ex ſolemnioribus Anni, & hoc ex vi Ordinis, tenet & probat Quartus *ad Rubric. Miſſal. in Appendice, quæſt.* 3. *punct.* 1. *pag. mihi* 451. & citata Doctorum caterva, ſuſtinet Paſqualigus *de Sacrific. nov.* Leg. *tom.* 2. *quæſt.* 840. *num.* 5. *&* 6. & pro ſe inter multos allegat Divum Thomam 3. *par. quæſt.* 82. *artic.* 10. ubi oppoſitam ſententiam vocat irrationabilem. Et quia hæc celebrandi obligatio eſt perſonalis, Sacerdos non poteſt per alios
76 ſatisfacere, ſed debet per ſeipſum, ut ait Paſqualigus *eod. tom.* 2. *quæſt.* 841. *ſub numer.* 8. Quod autem, ceſſante juſto impedimento, teneatur ſimplex Sacerdos ſub peccato mortali ter, vel quater in Anno celebrare, in Feſtis præſertim ſolemnibus

(& conſequenter in Die Nativitatis Domini.) Firmat etiam Reiffenſtuel *in Theolog. Moral. tract. 14. diſtinct. 4. quæſt. 8. num. 82.* & infert ex *cap. Dolentes, de celebr. Miſſar.* ubi graviter reprehenduntur ii, qui Miſſarum ſolemnia vix quater celebrant in Anno.

Unum reſtat addendum, quòd cùm non poſſint 78
fieri Votivæ quædam Miſſæ, quæ propriæ ſunt Solemnitatum, ipſiſque Solemnitatibus, ita accommodatæ ut eos extra proprios dies abſurdum eſſet dicere: hæ tres Nativitatis Domini nullibi, & nullo modo celebrandæ ſunt ut Votivæ, prout de ordine Pauli Quinti, ſpecificatis inter alios Miſſis ejuſdem Nativitatis Domini, declaravit & obſervari mandavit *Sacra Rituum Congregatio*, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regularium, verbo* Miſſa, *ſub num. 2. pag.* 332. *juxta editionem Romanam de Anno* 1717. Hoc autem non ſolùm intelligitur infra Annum, ſed etiam infra ipſam Octavam Nativitatis Domini, nam die vigeſima nona Decembris, ſi non occurrit Dominica, dicenda eſt Miſſa de S. Thoma Cantuarienſi, & die trigeſima ejuſdem Menſis, ſi incidat in feriam ſecundam, dicitur itidem Miſſa de eodem S. Thoma, qui occurrebat in Dominica. Quod ſi dicta dies trigeſima veniat in Sabbato, vel ubi S. Thomas habet ritum duplicem, & ideo celebratur ibi in Dominica, tunc in utroque caſu Sabbati, vel Feriæ ſecundæ, dicenda eſt Miſſa propria infra Octavam Nativitatis, quæ compoſita eſt ex ſecunda & tertia Miſſa: & ita neque infra Octavam ipſam poteſt ex integro dici una ex tribus Miſſis, quæ dicuntur in Die Nativitatis Domini.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De quibuſdam Notandis in Die Nativitatis Domini.

NE tamen aliquid omittatur, quod aliquo modo ſpectet ad Diem Nativitatis Dominicæ, illud ſciendum eſt, quod ſi hodie conceſſa reperiatur alicui Eccleſiæ Indulgentia Plenaria, hæc non erit extendenda ad totam Octavam ejuſdem Nativitatis, nam licèt apud Rubriciſtas tota Octava computetur pro una Die; apud Theologos tamen, & Moraliſtas conceſſa pro una die non extenduntur ad totam Octavam. Attendenda igitur ſunt verba Brevis Apoſtolici Indulgentiam concedentis. Certè Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verbo* Indulgentia, *Collect.* 419. *ſub num.* 6. refert reſponſionem Sacræ Rituum Congregationis in Hiſpalenſi, editam anno 1606. ſub die 4. Martii, quæ eſt tenoris ſequentis videlicet: *Indulgentia Plenaria conceſſa in Die Feſto, non extenduntur per totam Octavam: ſecus ſi non ſunt Plenaria*: At hæc reſponſio ſupponit pro non Plenariis infra Octavam conceſſionem in Brevibus Apoſtolicis factam: & ideo, ſi nulla in eis fiat mentio de Octava, Indulgentia valet pro Die tantùm Feſto. 79

Quia verò magna Diei Solemnitas requirit etiam magnam Populi Chriſtiani lætitiam, ideo etiam in Menſa eſus carnium eſt in uſu, ſi Nativitas Domini incidat in Feriam ſextam, vel in Sabbatum. Hoc enim communiter concedunt Theologi, & Moraliſtæ; & patet *ex cap. Explicari* 3. *de obſervat. jejun. lib.* 3. ubi Honorius III. Epiſcopo Pragenſi ſuper hoc puncto interroganti ſic reſpondit: *Explicari per Sedem Apoſtolicam poſtulaſti, &c. Reſpondemus, quod illi, qui nec Voto, nec Regulari Obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta Feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contingeret, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſ-* 80

ſunt, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere. Duo inferuntur ex hac declaratione Honorii Tertii: Unum quidem deſumptum à Felice Poteſtate *in Examin. Eccleſiaſt. tom. 1. par. 3. num.* 2833. & 2834. nempe, quòd totus Ordo Minorum S. Franciſci, cùm habeat ex vi Regulæ jejunium in qualibet Feria ſexta, ſi Nativitas Domini in illam incidat, debet jejunare, quia Honorius excipit Regulari Obſervantiæ adſtrictos: cui declarationi accedit conſuetudo, & praxis totius Religionis Franciſcanæ. Alterum verò ego infero ex eadem declaratione, nam cùm dictus Honorius excipiat Voventes, non ſolùm ſi iſti votum fecerint jejunandi in qualibet feria ſexta, ſed etiam in qualibet alia die Hebdomadæ, ſi in illam diem incidat Nativitas Domini, non diſpenſantur à Voto, ſed debent jejunare, nam quod fieri non poteſt pro una die, neque fieri poterit pro alia, cùm ratio Voti valeat & teneat pro qualibet die: ubi enim militat eadem ratio, idem ſervandum eſt.

Uſus comedendi carnes, quando Natalis incidit in Feriam ſextam, antiquiſſimus omninò eſt, ait Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 14. *verſ. Quoad uſum, pag.* 221. Sanctus enim Epiphanius *in Expoſit. Fidei* obſervat, quòd non jejunabatur in Die Natalis, quando vel Feria quarta, vel ſexta occurreret, quæ Feriæ erant in Oriente toto Anni tempore deſtinatæ ad jejunium. Concilium Aquiſgranenſe anno 816. inter alia Feſta vetat jejunare in Natali Domini. Nicolaus Papa Primus Bulgaros exhortans ad abſtinentiam ſexta quaque Feria totius Anni, inter octo Feſtivitates exceptas includit primariò illam Natalis, ſi in dicta Feria ſexta eveniat. Petrus Cluniacenſis *in Epiſt. ad D. Bernard. cap.* 5. non poterat approbare jejunium in Octava Natalis. Matthæus Paris *in ſua Hiſtor. Anglic. anno* 1255. loquitur tamquam de ritu in Anglia communi comedendi carnes in Die Natalis, quando incidebat in Feriam ſextam: *Erat illo anno*, inquit, *Dies Natalis Domini Feria ſexta, & comederunt carnes ob reverentiam Natalis.* 81

Ex-

Expoſitâ ante oculos Lectoris Eccleſiaſtici longa 82
quidem, ſed (ut reor) proficua rerum ſerie ad Diem Nativitatis Domini pertinentium, reſtat, ut concludamus Solemnitatem cum ſecundis ejus Veſperis. Hæ igitur ſecundæ ſunt &c. debent ſemper eſſe integræ, cum ſola commemoratione ſequentis, nempè, S. Stephani Protomartyris, etiam ubi S. Stephanus eſt Titularis Eccleſiæ, prout eſt Cathedralis Viennenſis in Auſtria, ubi ſæpè celebravi. Imò ſi cras alicubi occurrat Dedicatio Eccleſiæ, ſive ut die vigeſimaſexta Decembris, ſive ut Dominica quarta ejuſdem Menſis, quæ interdum incidit in dictam diem vigeſimam ſextam, adhuc ſecundæ Veſperæ erunt integræ de Nativitate, cum commen oratione dumtaxat Dedicationis. Clarè patet ex Breviario, quòd in his ſecundis Veſperis dicuntur Antiphonæ propriæ, quæ incipiunt *Tecum principium*, cum Pſalmis itidem propriis: quæ omnia in Veſperis totius hujus Octavæ, omninò ſaltem uſque ad Capitulum dici debent, quocumque Feſto etiam primæ claſſis alicubi occurrente, ut ex inferiùs dicendis patebit. Iſtæ Antiphonæ ubique reperiuntur in antiquis, cum quinque ipſiſmet Pſalmis, quos modò nos dicimus, de quibus mentionem facit etiam per totam Octavam Amalarius *de ordin. Antiph. cap.* 16. tum apud Gavantum *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 5. *num.* 6. tum etiam apud Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 14. *verſ. ad Veſperas*, *pag.* 221.

In privata dictarum Veſperarum recitatione nihil 83
habetur dicendum, cùm omnia præſcribantur in Breviario. In ſolemni verò earumdem decantatione, Officiator ad Hymnum *Jeſu Redemptor omnium*, obſervet quæ ſupra dicta ſunt in primis Veſperis. In Cathedrali tamen Eccleſia hæ ſecundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eadem ſolemnitate celebrari, qua per eumdem Epiſcopum celebratæ ſunt primæ, de quibus ſatis ſuperque ſupra diximus, nam Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pag. mihi* 184. inter quaſdam ſecundas Veſperas, quas Epiſcopus ipſe deberet celebrare, nominat & expri-

exprimit haſce ſecundas Nativitatis Domini, cantandas ut ibi, & ut nos diximus ſupra. Hæc igitur eſt concluſio tantæ Solemnitatis hodiernæ, neque aliquid remanet (quod ſciam) hìc addendum: nam neque aliquid habet diſtinctum Completorium, niſi quod ad Hymnum dicenda eſt clauſula de Beata Virgine, nempe, *Jeſu tibi ſit gloria, &c.*

Illud denique ſciendum, quòd hæc octava Nativitatis Domini eſt quadrupliciter privilegiata: *Primò*, quoad Antiphonas & Pſalmos in Veſperis, ſine ulla variatione, ſaltem uſque ad Capitulum: *Secundò*, quoad commemorationem faciendam etiam in Officio primæ claſſis alicubi occurrente: *Tertiò*, quoad Præfationem in Miſſa & *Communicantes*: *Quartò* tandem, & quidem ex nova Lege, quoad Votivas privatas omninò prohibitas: De quibus omnibus diſtinctè & diffusè propriis locis loquemur. 84

§. VI.

De Feſto Sancti Stephani Protomartyris.

FEſtum S. Stephani à S. Irenæo *lib.* 3. *cap.* 12. appellati *Archidiaconi*, ſeu Diaconorum Capitis, aut Principis vel Primicerii, & Martyrum primi, à primis etiam uſque temporibus in Eccleſia fuit celebre. Non tamen hodie celebratur hoc Feſtum, quia hodie inventæ ſint ejus Reliquiæ, de quibus fit Officium die tertia Auguſti, ut cæteroquin tenet Durandus *in Ration. Divin. Offic. lib.* 2. *cap.* 21. ubi ſic habetur: *Sancti Stephani Protomartyris inventio facta fuit die illa, qua celebratur ejus paſſio: & paſſus eſt die illa, qua celebratur ejus inventio, ſcilicet in Auguſto.* Lapidibus igitur obrutus fuit & obiit hac die vigeſima ſexta Decembris, nam cùm Martyrologium Romanum dicat, quòd *à Judæis non longè poſt Aſcenſionem Domini lapidatus eſt*, Baronius propterea hodie 85

in Notation. ad dict. Martyrolog. intelligit per ly *non longè* diem hodiernum, & ſic computat ſeptem Menſes, *quod ſpatium temporis* (proſequitur) *interceſſit à Chriſti Aſcenſione ad Martyrium Stephani*. Valdè enim ante inventionem Reliquiarum, hæc ipſa dies in honorem ejuſdem Protomartyris fuit dicata: & hoc clarè patet ex Sermonibus Gregorii Nyſſeni, &
84 Aſterii Amaſeæ, qui Feſtum Diſcipuli ſtatim ponunt poſt Feſtum Magiſtri, alludentes ad *heri*, & *hodie*: & tamen iſti celebres Auctores quarti Sæculi, ac omni fide digni, multis vixerunt annis ante Reliquiarum inventionem: Præterquàm quòd hujuſmodi alluſionem legimus hodie in Breviario, & in ejus die octava, in Sermone S. Fulgentii, ac in Homilia S. Auguſtini: ex quibus Sanctis Patribus tam concordibus in expreſſione Diei, & abſque ulla hæſitatione profitentibus S. Stephanum conſummaſſe martyrium poſtridie Natalis Domini, infert Baronius *die 3. Auguſti*, ergo ille obiit die vigeſima ſexta Decembris.

Hæc S. Stephani Feſtivitas eſt præceptiva cum 86
obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Quæritur à Gavanto *tom. 2. ſect. 6. cap. 6. num. 1.* cujus claſſis ſit, nam Piſcara facit illam primæ claſſis, tum *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 3. cap. 6. num. 1.* tum etiam in Cæremoniali ſuæ
85 Religionis *lib. 3. cap. 5. ſub num. 1.* & ratio ejus eſt, quia licèt in Rubricis non numeretur cum aliis in ordine claſſis, eſt tamen ſolemnis, & ideo primæ claſſis, & quidem tertii ordinis juxta ſuam diviſionem. Gavanto tamen placet, ut dicatur ſecundæ claſſis, & quidem duplici ratione, tum quia ſequens Feſtum S. Joannis non eſt niſi ſecundæ claſſis, ut aliorum Apoſtolorum, tum quia Stephanus, & Laurentius in Martyrio, Officio, & Octava, ſunt pares, ergo etiam pares in ritu. At quidquid tunc temporis dicendum eſſet de ordine claſſis, illud ſanè modò verum eſt, quòd hoc Feſtum S. Stephani reperitur deſcriptum inter duplicia ſecundæ claſſis, ſtatim poſt Rubricas generales, tam in Breviario Romano, quàm in aliis Ordinum Regularium.

Quoad

Quoad Officium hodiernum, Invitatorium eſt proprium, ſed Hymnus, Antiphonæ, Pſalmi, ℣. & ℟. Noctuurnorum ſumuntur ex Communi unius Martyris. Lectiones verò omnes cum ſuis Reſponſoriis ſunt propriæ. Ad Laudes Antiphonæ *Lapidaverunt Stephanum, &c.* & poſt Orationem Feſti fit commemoratio de Nativitate Domini. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui natus es de Maria Virgine*: & ad omnes Horas clauſula Hymnorum erit *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* Si hodie occurrat Dominica, nihil fit de ea, & ideo dicitur *vacans*.

Miſſa verò in Feſto S. Stephani eſt propria, & 87
celebratur in colore rubeo. Adhiberi tamen poſſunt Paramenta aurea, ubi habentur, quia ad colorem aureum concurrunt omnes præcipui & nobiliores colores, præſertim albus & rubeus, quippe & lucidus eſt cum albo, & igneus cum rubeo: ergo Paramenta aurea convenienter ſubſtitui poſſunt loco aliorum colorum, præcipuè in Feſtis, in quibus vel albo, vel rubeo (ut hodie) colore utimur, nam verè color aureus feſtivus eſt, ut probat Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 18. dub. 2.* Quotieſcumque in hanc diem inciderit Dominica, ante Miſſam ſolemnem fiet aſperſio Aquæ benedictæ. In hac Miſſa dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione Nativitatis, & *Credo*. Præfatio erit *Quia per incarnati Verbi myſterium*, cum *Communicantes* de Nativitate. Placet tamen hìc inſerere Præfationem propriam huic Feſto convenientem, quæ antiquitùs legebatur in hodierna Miſſa, deſumpta ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pagina nona, & erat ſequens, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beati Stephani Levitæ ſimul & Martyris Natalitia recolentes. Qui Fidei, qui Sacræ Militiæ, qui diſpenſationis & caſtitatis egregiæ, qui prædicationis mirabiliſque conſtantiæ, qui confeſſionis, & patientiæ nobis exempla veneranda propoſuit; Et ideo Nativitatem Filii tui meritò præ cæteris paſſionis ſuæ feſtivitate proſequitur, cujus gloriæ ſempiternæ primus Martyr occubuit. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Et

Et quia tunc temporis ſolebat Epiſcopus Populo benedicere, ut ſupra diximus in Miſſa de Nocte Natalitia, Benedictio hodierna, juxta veterem Eccleſiæ uſum, erat ea, quæ ſequitur, deprompta ex eodem Sacramentario Gregoriano, dicta pagina nona, videlicet: *Deus, qui Beatum Stephanum Protomartyrem coronavit & confeſſione Fidei & agone Martyris, mentes veſtras circumdet in præſenti ſæculo corona juſtitiæ, & in futuro perducat vos ad coronam gloriæ*. Amen. *Illius obtentu tribuat vobis Dei & Proximi charitate ſemper exuberare, qui hanc ſtuduit etiam inter lapidantium impetus obtinere*. Amen. *Quo ejus exemplo roborati, & interceſſione muniti, ab eo, quem ille à dextris Dei vidit ſtantem, mereamini benedici*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum, & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*.

In Eccleſia tamen Gallicana, ante annos mille, in uſu erat hodie ſequens propria, & quidem prolixa Præfatio, quam habet Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib. 3. pag.* 194. & quam integram ex eo loco tranſumptam ſub oculis ponimus ſtudioſorum Antiquitatis Eccleſiaſticæ, nempè: *Verè æquum & juſtum eſt te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus: Qui glorìaris in conventu Sanctorum tuorum, quos ante Mundi conſtitutionem prælectos, ſpiritali in Cœleſtibus benedictione ſignaſti: quouſque Unigenito tuo per aſſumptionem carnis, & Crucis redemptionem ſociaſti: In quibus Spiritum tuum Sanctum regnare feciſti, per quem ad felicis Martyrii gloriam, pietatis tuæ favore venerunt. Dignè igitur tibi, Domine virtutum, feſtiva Solemnitas agitur, tibi hæc Dies ſacrata celebratur, quâ Beati Stephani primi Martyris tui ſanguis in tuæ veritatis teſtimonio profuſus, magnificum Nominis tui honorem ſignavit. Hic eſt enim illius Nominis primus Confeſſor, quod eſt ſupra omne nomen, in quo unicum noſtræ ſalutis præſidium, Pater æterne, poſuiſti. Hic in Eccleſia tua quam ſplendidum ad cunctorum animos confirmandos unica laudis præceſſit exemplum. Hic poſt paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, victoria palmam primus invaſit. Hic*

ut

ut Levitico miniſterio per Spiritum Sanctum ab Apoſtolis conſecratus eſt, niveo candore confeſtim emicuit, Martyrii cruore purpureus. O benedictum Abraha ſemen, Apoſtolica doctrina, & Dominica Crucis prior omnium factus imitator & teſtis! Meritò Cœlos apertos vidit, & Jeſum ſtantem ad dexteram Dei: Dignè igitur ac juſtè talem ſub tui Nominis confeſſione laudamus, omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es. Suffragia ejus nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac Plebe precetur, qualem illum poſt trophaa venientem exultans Chriſtus excepit. Illi pro nobis oculi ſublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore conſtituti, ſtantem ad dexteram Patris Filium Dei in ipſa paſſionis hora viderunt. Ille pro nobis obtineat, qui pro perſecutoribus ſuis, dum lapidaretur, orabat ad te, Pater omnipotens, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui pro peccatis noſtris naſci carne per Virginem, & pati dignatus eſt mortem, ut Martyres ſuos ſuo pati doceret exemplo. Cui meritò omnes Angeli atque Archangeli ſine ceſſatione proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Quanto tamen longior erat priſcis illis temporibus 90
Præfatio in Eccleſia Gallicana, tanto brevior eſt iſta, quæ etiam modò in Feſto S. Stephani recitatur apud Ambroſianos, ut videre eſt hodie in eorum particulari Miſſali, ex quo deſumpta eſt ea, quæ ſequitur, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Levitarum præconem vocaſti. Hic tibi primus dedicavit Martyrii nomen: Hic tibi inchoavit primus effundere ſanguinem: Hic meruit videre Cœlos apertos, & Filium ſtantem ad dexteram Patris. In Terris hominem adorabat, & in Cœlo Filium Patris eſſe clamabat. Hic Magiſtri verba referebat, quia quod Chriſtus dixit in Cruce, hoc Stephanus docuit in ſanguinis ſui morte. Chriſtus in Cruce indulgentiam ſeminabat, & Stephanus pro ſuis lapidatoribus Dominum ſupplicabat. Propterea cum Angelis, & Archangelis, &c.*

Expoſitis, quæ ad Miſſam S. Stephani ſpectabant, 91
oritur modò Dubium, an hodie cani poſſit aliqua Votiva pro re gravi. Ratio dubitandi eſt, quia juxta

xta regulam generalem, quam aliqui tradunt, videtur, quòd poſſit cantari. Regula autem illa docet, quòd Miſſæ Votivæ, quæ pro re gravi, vel pro publica Eccleſiæ cauſa ſolemniter celebrantur, in illis diebus locum habeant, in quibus conceditur Miſſa Feſti, quod transferri debet, ut in Rubrica Miſſalis *titul.* 6. *de translat. Feſtor.* ſecundùm quam hujuſmodi Miſſæ videntur regulari debere, cantata priùs Miſſa Diei: ſed in hac Rubrica nullum excipitur Feſtum duplex ſecundæ claſſis: ergo in Feſto duplici ſecundæ claſſis poteſt cantari Votiva: & conſequenter etiam in hoc Feſto S. Stephani. Hæc tamen Regula mihi quidem probaretur totumque argumentum valeret, niſi obſtaret Inſtructio pro expoſitione SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, edita à Clemente Undecimo, quam habes in ejus particulari Bullario, *par.* 2. *Conſtitut.* 9. ubi §. 10. præſcribitur quidem Miſſa de SS. Sacramento Votiva pro re gravi, ſed inter Dies exceptos includitur expreſsè Officium duplex ſecundæ claſſis tam univerſale, (ut hodie) quàm particulare illius Eccleſiæ, in qua fit expoſitio: Unde ſic argumentor: Si in Feſto duplici ſecundæ claſſis non poteſt cantari Votiva de SS. Sacramento, quod eſt majus: ergo non poteſt cani alia Votiva, quod eſt minus: & conſequenter hac die canenda erit de S. Stephano, cum ſecunda Oratione de Nativitate Domini, & 3. vel *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili*, ſi fiat Expoſitio: vel *Deus, cujus miſericordia non eſt numerus*, ſi ſit reddenda gratiarum actio: vel *Deus omnium Fidelium Paſtor*, ſi occurrat Anniverſaria Dies Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi: vel denique *alia Oratio*, ſi alia ſit ratio dicendi. Quòd ſi Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 243. ex eo, quod in Inſtructione, ut aſſerit, edita Romæ pro Oratione continua quadraginta Horarum præſcribebatur Miſſa Votiva ſolemnis de SS. Sacramento, deſumit, quòd poſſit cantari etiam in duplicibus primæ claſſis, quia his diebus poteſt occurrere; & ex illa Miſſa infert, quòd cantari poſſint omnes Miſſæ Votivæ pro re grani in dictis duplicibus occurrentes:

ergo

ergo (infero ego) nulla Miſſa Votiva ſolemnis dici poteſt in duplicibus ſecundæ claſſis, quia in Inſtructione Clementina ſuperius citata neque permittitur in eis Votiva ſolemnis de SS. Sacramento, ut clarè patet legenti.

In hoc tamen Feſto S. Stephani poteſt procul dubio cantari Miſſa Defunctorum in Die Obitus, præſente Corpore: tum quia hodie non eſt una ex illis magnis celebritatibus, quas ad hunc effectum obſtare dicit, & ideo excipit Rituale Romanum *tit. de Exequ. rubric.* 5. tum etiam quia omnia duplicia primæ claſſis, & ideo non ſecundæ claſſis, excludunt hujuſmodi Miſſam ſolemnem, prout ſupplicantibus Capitulo & Canonicis Cathedralis Celleſis reſpondit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 5. *Julii* 1698. *ad* 8. *Dubium*; & hoc etiam retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub num. margin.* 1117. & refert etiam P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 525. Illud tamen hoc loco notandum occurrit, quòd ſicuti una dumtaxat permittitur Miſſa ſolemnis in Die Obitus, ſic plures non ſunt canendæ in una eademque Eccleſia eodem die pro uno eodemque Defuncto: idcircò ſi plura conveniant Capitula ad hujuſmodi Exequias, dignius Miſſam cantabit, cæteris reſpondentibus in Choro. Neque valet dicere, quòd Miſſa eſt ſemper una reſpectivè ad unumquodque Capitulum ſeorſim ſumptum: nam una Miſſa non accipitur tali modo, ſed reſpectivè ad unam Eccleſiam. Ubi tamen S. Stephanus eſt Titularis alicujus Eccleſiæ, ſicuti ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, ut Venetiis in Eccleſia Regulari Auguſtinianorum, ſic non erit ibidem cantanda dicta Miſſa in Die Obitus, quia tunc intrat tum magna Diei celebritas, ut in citato Rituali Romano, tum qualitas ritus, ut in præfata reſponſione. Imò datur caſus, in quo una integra Civitas & tota Diœceſis habeat hujuſmodi impedimentum: ubi ſcilicet S. Stephanus eſt Titularis Eccleſiæ Cathedralis, prout eſt Viennæ in Auſtria. 92

Non poteſt tamen in hoc Feſto S. Stephani cantari 93

tari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, nam Alexander Septimus conceſſit dumtaxat hujuſmodi Miſſas ſolemnes in Feſto duplici majori, ſi in illud incidat Anniverſarium, ut patet ex Bullario Romano, *tom. 5. Conſtit.* 176. *hujus Pontific.* Et in Anniverſario occurrente in Feſto duplici ſecundæ claſſis non poſſe cantari Miſſam de *Requiem*, expreſsè reſpondit *Sacra Rituum Congregatio in Collen. ſub die 5. Jul.* 1698. *ad* 7. *Dubium.* Sed hæc ſpectant ad omnia duplicia ſecundæ claſſis in genere. Adeſt & alia Lex ſpecialis pro Octavis privilegiatis, inter quas eſt & iſta Nativitatis Domini: in quovis enim ex diebus infra hanc Octavam occurrentibus prohibita eſt Miſſa in Anniverſario Defunctorum, ut ad favorem omnium Octavarum privilegiatarum reſpondit *Sacra Rituum congregatio in dicta Collen. ad* 9. *Dubium*: quas reſponſiones ego Domi retineo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii ejuſdem Sacræ Congregationis.

In Oratoriis verò privatis celebrari poteſt in hoc Feſto S. Stephani, nam Decretum Dierum ſolemniorum prohibitivum, (de quo in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numero margin.* 293.) expreſsè loquitur de ſolo Die Natalis Domini, non verò etiam de Feſtis ſucceſſivè occurrentibus, ex quibus unum immediatum eſt hodiernum, prout de Feriis ſecunda & tertia poſt Dominicas Reſurrectionis & Pentecoſtes in eodem Decreto non comprehenſis, ſuo loco dicemus. Quia tamen in Formula Brevis Apoſtolici ad hoc expediri ſoliti quam per extenſum ponit Monacellius *par.* 4. *in ſupplem. ad* 2. *Tom. Formular. num.* 470. clarè dicitur : *Per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum, Sæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem*; hæc verba non important ſpecialem Epiſcopi approbationem, cum ſufficiat generalis celebrandi Miſſam, quoad Sacerdotes Sæculares: & multo minus requirunt licentiam Parochi, in cujus Diſtrictu eſt Oratorium privatum, nam Parochus non venit ſub nomine Ordinarii in Brevi Apoſtolico expreſſi, & 94

conſequenter non habet in hoc caſu jus prohibendi. Quoad verò Sacerdotes Regulares, ſufficit licentia tacita ſeu præſumpta ſuorum Superiorum, quia tacitum habetur pro expreſſo, *l. cum quid*, *& l. ſi Filiusfam. ff. de cert. pet.* ut tenent Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 642. & Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 3. *tit.* 10. *ſect.* 2. *difficult.* 5. *dub.* 8.

95 Illud etiam ſciendum quoad celebrationem in Oratoriis privatis, non deeſſe Auctores ſcrupuloſam quæſtionem moventes, an Sacerdos ibi celebrans ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa. Ratio dubitandi apud ipſos eſt, quia in Brevi Apoſtolico dicitur: *In tua, ac Familiæ, & Hoſpitum Nobilium tuorum præſentia celebrari facere liberè & licitè poſſis & valeas*: ſed Sacerdos celebrans, non eſt de Familia, ut ſupponitur, neque Hoſpes: ergo non ſatisfacit. Reſpondeo, quod argumentum valeret, ſi Sacerdos nec Familiaris, nec Hoſpes vellet ibi audire, & nullibi eo die celebrare: ſed dum Papa concedit ut celebret, & actu celebrat, concedit ut ſatisfaciat, & actu ſatisfacit. Ubicumque enim poteſt Sacerdos celebrare, poteſt & ibi præceptum adimplere: ſed poteſt celebrare in Oratoriis privatis ex conceſſione Papæ: ergo poteſt ibi præceptum adimplere: nec ille locus eſt ſibi prohibitus ad audiendum, qui eſt ſibi permiſſus ad celebrandum. Eſſet autem durus ſermo, at quis poſſet eum audire, quod Sacerdos celebrando non adimpleret: eique impoſitum eſſet onus grave, ſi poſt celebrationem teneretur ad auditionem. Verum quidem eſt, quòd cùm in dicto Brevi Apoſtolico etiam dicatur: *Unam Miſſam pro unoquoque die*, ſi poſt unam Miſſam ibi jam celebratam accederet alius Sacerdos & celebraret, præter peccatum tranſgreſſionis in re gravi & etiam puniendæ, committeret & aliud præcepti non adimpleti quoad auditionem Miſſæ in Die Feſto, quia Papa dat facultatem uni tantùm Sacerdoti, non pluribus, & ſicuti primus adimplet, ſic ſecundus non ſatisfacit.

96 Ubi S. Stephanus fuerit Titularis Eccleſiæ, decet,

cet, ut illa Eccleſia in ſuo ſolemniori Feſto ſplendidior appareat; & ideo primùm à parte exteriori ornandæ erunt valvæ ipſius Eccleſiæ, floribus, ramis, & frondibus virentibus, bracteolis, aut faſciis diverſi coloris, appenſis, vel colligatis, quo ſplendidiùs pro Locorum conſuetudine, ac temporum qualitate fieri poterit. Supra verò Portæ ſuperliminare Imago S. Stephani, cujus Dies Feſtus agitur, pariter ornata, & ſub illa Inſignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apoſtolici, Epiſcopi, Reipublicæ, Principis, aut Civitatis, pro libito ponentur, ſervando in eorum poſitione ordinem Dignitatum: Inferioris verò ordinis hominum, maximè laicorum, inſignia non ſunt apponenda. Si Eccleſia habebit Porticum, congruum erit, etiam illam pannis aliis pulchris ex ſerico, ſive ex corio, ex aliave honeſta materia confectis, ſeu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari: in quibus tamen Picturæ intextæ, ſeu pictæ, non ſint profanæ, vel indecentes: quod & in aliis pannis, in apparatu interiori, & exteriori Eccleſiæ obſervandum erit: & maximè, ut non ponantur ibidem ullæ Effigies, niſi Sanctorum, vel Summorum Pontificum. Intus quoque, ſi fieri poterit, parietes Eccleſiæ aulæis, tribunæ verò holoſericis, aut nobilioribus cortinis coloris Feſto convenientis contegantur. Ambones, ubi Epiſtolæ & Evangelia decantari ſolent, ſi qui erunt, nec non & Pulpitum, ubi ſermo vel concio haberi ſolet, conſentaneum eſt, pannis ſericis ejuſdem coloris, cujus ſunt cætera paramento, exornari: ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius ornetur. Prædicta omnia reperiuntur præſcripta in Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 12. de ornatu Eccleſiæ, pag. mihi 72. juxta noviſſimam editionem & recognitionem Romanam ſub Benedicto XIII.*

Quod ſi S. Stephanus ſit Titularis Eccleſiæ Ca- 97
thedralis, prout eſt Viennæ in Auſtria, Epiſcopus à Canonicis de more aſſociatus accedet ad ſuam Eccleſiam, primas Veſperas cantaturus, quæ tamen erunt ſecundæ de Nativitate, cum ſola commemo-

 ratione

ratione S. Stephani, ut in Breviario: Et ſi poteſt Epiſcopus cantare ſecundas Veſperas *ſaltem* in quibuſdam expreſſis Feſtis ſolemnioribus Anni, inter quas ſunt hodiernæ de Nativitate, debet certè intereſſe pro primis Veſperis ſui Titularis Pontificaliter decantandis, ut habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. & 3. *pagin.* 184. quæ quidem Veſperæ licèt ſint integræ de Nativitate, non ceſſant eſſe primæ de S. Stephano, quamvis de eo ſola fiat commemoratio. Miſſa quoque erit Pontificalis, juxta *d. lib.* 2. *cap.* 34. §. 2. *pagin.* 416. ubi inter Feſta ab Epiſcopo Pontificaliter celebranda, adſcribitur etiam illud Titularis Cathedralis. In dicta tamen Miſsa fiet commemoratio de Nativitate tamquàm de Octava privilegiata, quæ commemorationem non amittit in Feſto duplici primæ claſſis, quale eſt iſtud S. Stephani in Eccleſia propria. Si verò hoc Feſtum Titulare Cathedralis venerit in Dominica, & Epiſcopus Pontificaliter celebraverit, omittetur aſperſio Aquæ benedictæ, quæ cæteroquin Epiſcopo abſente, vel Miſsæ ſolemni dumtaxat intereſſente, facienda erit omninò, ac etiam in Collegiatis, ex eodem Cæremoniali *d. lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. & 4. *pag.* 397. & 398. Cæterùm infra Octavam Titularis non eſt diſcedendum à Breviario, cùm jam S. Stephanus ſuam ibi commemorationem habeat ſtatim poſt illam digniorem Nativitatis, & ideo ratione Tituli habet ſufficientem præcedentiam ſupra alias Octavas.

91 In ſecundis Veſperis hodiernis, dicuntur Antiphonæ *Tecum principium*, cum Pſalmis de Nativitate, Capitulum verò de S. Stephano, cum commemoratione S. Joannis, & Nativitatis, ut in Breviario. At ubi S. Joannes ſit Titularis Eccleſiæ, prout eſt Papiæ in Ducatu Mediolanenſi, ſcilicet in Collegiata inſigni eidem dicata, & à Gundeberga Longobardorum Regina magnificè ædificata, in hodiernis Veſperis Antiphonæ quidem & Pſalmi erunt de Nativitate, ut ſupra, ſed Capitulum de S. Joanne *Qui timet Deum*, Hymnus verò *Exultet Orbis gaudiis*, cum Verſiculo, Reſponſorio, Antiphona

na ad Magnificat, & Oratione, ut hodie in Breviario poſt Orationem S. Stephani: deinde fit commemoratio de eodem S. Stephano, ac etiam Nativitatis. Quod autem dictum eſt de S. Joanne tamquam Titulari, intelligendum venit de Dedicatione Eccleſiæ alicubi cras occurrente, ita ut à Capitulo fiat de ea, ut in ejus Communi, cum commemorationibus S. Stephani, & Nativitatis, non verò S. Joannis, cujus Feſtum erit ibi transferendum, ut infra dicemus. In Cathedrali verò Eccleſia, cujus eſt Titulus S. Stephanus, Epiſcopus has ſecundas Veſperas Pontificaliter peraget, nam *ly ſaltem* poſitum pro ſecundis Veſperis Pontificalibus, comprehendit etiam ſecundas Veſperas de Titulari Cathedralis expreſsè nominatas in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 1. §. 3. pag.* 416.

Unum remanet dicendum, antequàm huic Feſto
S. Stephani finem imponamus. Si enim hodie oc- 99
currat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, vel tamquàm die vigeſima ſexta Decembris, vel tamquàm Dominica quarta Menſis, cui ſit affixum hujuſmodi Anniverſarium, & quæ interdum hac die occurrit, certè agendum erit de eadem Dedicatione, ut in ejus Communi, cum ſola commemoratione in Laudibus & in Miſſis de Nativitate Domini. Attamen cantandæ erunt duæ Miſsæ, tum quia Dedicatio non impedit Miſsam de Feſto transferendo, cùm non reperiatur excepta in Rubrica Miſsalis *tit. 6. de translat. Feſtor.* tum etiam, quia ſi Dedicatio occurrat in Nativitate Beatæ Virginis Mariæ, duas eſse cantandas Miſsas decrevit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 16. *Octobris* 1604. ut pluribus relatis dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 225. & ubi militat eadem ratio, ſequenda eſt eadem regula. In Miſsa tamen de Dedicatione fiet commemoratio Nativitatis Domini cæteroquin omittenda in Miſsa S. Stephani, in qua dicetur *Gloria* cum *Credo*, Præfatio, & *Communicantes* de Nativitate. In ſecundis verò Veſperis Antiphonæ quidem & Pſalmi erunt, ut in die Nativitatis, ſed Capitulum cum reliquis de Dedicatio-

ne, poſt cujus Orationem facienda erit commemoratio S. Joannis, & Nativitatis, ut in Breviario.

At quid agendum de Feſto S. Stephani in prædicta occurrentia Dedicationis? Obſervandum erit, in quam Feriam incidat, nam ex varietate Feriæ variabitur quoque Dies tranſlationis ſeu repoſitionis hujus Feſti tranſlati, cùm modò reponi poſſit infra Octavam, modò in ejus Die Octava, & modò extra totam Octavam. Si igitur venerit in Dominica, non erit reponendum die trigeſima in Feria quinta quia eo die fit de Dominica infra Octavam Nativitatis tamquam de ſemiduplici occurrente, quæ ſoli cedit duplici Feſto, ſi occurrat juxta morem Dominicarum: ergo reponendum erit in ejus Die Octava, licèt ſit Dominica, nam hæc Dominica, cùm nullum habeat Officium, dicitur idcircò *vacans*, & niſi reponeretur Feſtum principale tranſlatum, quodnam Officium in hoc caſu eſſet recitandum? Sed de hoc clariùs dicemus in ejus Die Octava. Si verò incidat in Feriam ſecundam, etiam in hoc caſu celebrabitur in ſua Die Octava; non verò die trigeſima in Feria ſexta ex impedimento Dominicæ eo die celebrandæ, ut ſupra diximus. Attamen ſi occurrat in Feria tertia, fiet de eo in Sabbato, in quo alioquin Officium fieret de Die infra Octavam Nativitatis, infra quam ſi fieri poteſt de ſemiduplici tranſlato, nempe S. Thomæ, multò magis de duplici ſecundæ claſſis, ut etiam ità ſentit *Gavantus tom. 2. ſect. 6. cap. 6. num.* 11. 100

Quod ſi dictum Feſtum S. Stephani incidat in Feriam quartam, quia eo anno omnes dies infra Octavam Nativitatis ſunt impediti, transferendum erit ad ejus Diem Octavam. Non tamen reponendum erit die trigeſima in Feria ſecunda, ſi occurrat in Feria quinta: licèt enim Gavantus in Feſto SS. Innocentium citandus, teneat, quòd de duobus tranſlatis, duplici ſcilicet & ſemiduplici, dignius locum habeat à minus digno, & ideò reponit priùs Feſtum SS. Innocentium in dicta Feria ſecunda, deinde Feſtum S. Thomæ Cantuarienſis mittit celebrandum poſt Octavam Epiphaniæ ad 101

pri-

primam diem non impeditam: attamen ejus opinio, quæ tunc temporis poterat amplecti, noſtris temporibus non eſt ſequenda propter Decretum Sacræ Rituum Congregationis emanatum ſub die 16. Septembris 1702. (de quo in Tomo Secundo *de Octavis Communibus* in Dom. infr. Octav. Aſcenſ.) in quo tantum juris tribuitur Feſto ſemiduplici, quod occurrit in Dominica infra Octavam, ſi ſit translatum in Feriam ſecundam non impeditam, ut non cedat duplici primæ claſſis translato: & ſi non cedit dicto duplici primæ claſſis, minus cedet duplici ſecundæ claſſis itidem translato, à quo locum habet duplex primæ claſſis, ex regula illa: *ſi vinco vincentem te, multo magis vinco te:* quapropter in tali caſu, celebrato Feſto S. Thomæ in dicta Feria ſecunda, Officium S. Stephani celebrabitur translatum in ejus Die Octava, niſi in illa Eccleſia dictum Feſtum S. Thomæ eſſet duplex, quia ſicuti fieret de eo in Dominica, ſic Feria ſecunda non eſſet amplius impedita, & ideo in ea reponi poſſet dictum Feſtum S. Stephani. Occurrente denique in Feria ſexta, vel in Sabbato, in utroque caſu erit reponendum in ſua Die Octava. Extra Octavam verò tunc & eo caſu transferretur, ſi in illa Eccleſia, in qua occurrit Dedicatio propria in Feſto S. Stephani, in Die Octava occurreret Dedicatio Cathedralis, niſi Feſtum dicti S. Stephani incideret in Feriam tertiam, quia celebraretur in Sabbato: vel niſi veniret in Feria quinta, & ibi fieret de S. Thoma ſub ritu duplici, quia tunc transferretur ad Feriam ſecundam, ut diximus ſupra, & in Feſto Dedicationis fieret commemoratio de ejus die Octava.

§. VII.

De Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

102 HIC eſt ille Joannes, de quo in hodierno Evangelio interroganti Petro: *Hic autem quid?* reſpondit Jeſus: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* At commendanda eſt Evangeliſtæ prudentia in corrigendis Fratribus, qui ex prædictis verbis Jeſu inferebant, quod Diſcipulus ille non erat moriturus. Ideoque Joannes fideliſſimus teſtis de auditu, ſtatim ſubdit, quod non dixit ei Jeſus, *Non moritur*: ex quo ſuſtulit Diſcipulorum opinionem, ut exponit D. Thomas *in Catena aurea, cap. 21. in Joan.* Et modeſtus Evangeliſta falſam corrigit illorum ſuſpicionem de ſe, quod non eſſet moriturus, & oſtendit alium fuiſſe ſenſum verborum Chriſti, ut explicat Cornelius à Lapide *in Joan. d. cap. 21. verſ. 24.* Dum autem Jeſus addit, *Quid ad te?* videtur tantùm retundere velle curioſitatem Petri interrogantis. Obiit ergo Joannes, & obiit hodie, ut Eccleſia docet in Martyrologio Romano ſub hac die, ibi: *Apud Epheſum Natalis S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſta*: Quod autem naturali morte defunctus ſit, paſſim tradunt Patres, inter quos S. Hieronymus, & cum eo tenet Eccleſia in hodiernis Breviarii Lectionibus, ſcilicet: *Confectus ſenio, ſexageſimo octavo poſt paſſionem Domini anno mortuus Epheſi, juxta eamdem Urbem ſepultus eſt.* Et ita refert etiam Tertullianus *in Libro de Anima*, apud Baronium *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub hac die*, videlicet: *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini remanſurum fruſtra ſpes erat.*

103 Hoc Feſtum S. Joannis eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & in colore albo, cujus loco adhiberi

beri poteſt color aureus, ſi habeatur, ex ratione ſuperiùs allata de colore rubeo in Feſto S. Stephani. Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 2. cap. 6. num. 4.* obſervat, quòd Feſtum S. Joannis non habet Vigiliam, ut reliqui Apoſtoli, ſed hoc provenit ex eo, quòd Natalis Domini Feſtum ſequitur, ut notat Innocentius III. *in cap. conſilium, de obſer. jejun.* Dum autem dixit Piſcara quòd reliqui Apoſtoli habent, non obſervavit, neque habere Vigiliam Feſtum SS. Philippi & Jacobi, eo quia occurrit intra tempus Paſquale, in quo non jejunatur: ideoque nil mirum, ſi propter Nativitatem Domini non jejunatur pro S. Joanne, dum propter lætitiam Dominicæ Reſurrectionis non fit jejunium pro dictis duobus Apoſtolis. Ad Matutinum hujuſce Feſti, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Pſalmi, & Verſiculi Nocturnorum ſumuntur ex Communi Apoſtolorum: Lectiones verò cum ſuis Reſponſoriis ſunt propriæ. Ad Laudes Antiphonæ *Valdè honorandus eſt, &c.* & poſt Orationem Feſti fit commemoratio Nativitatis, & S. Stephani. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui natus es de Maria Virgine*: & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* Quod ſi hodie occurrat Dominica, nihil fit in Officio de ea, & ideò dicitur *vacans*.

Miſſa verò in Feſto S. Joannis eſt propria, in qua 104
dicitur *Gloria*, ſecunda Oratio Nativitatis, & tertia S. Stephani, cum *Credo*. Licèt autem ſit hodie Feſtum Apoſtoli propriam Præfationem habentis, ex privilegio tamen Nativitatis, Præfatio erit de ea, nempè: *Quia per incarnati Verbi myſterium*, cum ſuo *Communicantes* propriò, ut hodie præſcribit Miſſale. Si hodie occurrat Dominica, erit vacans, ſed non quoad aſperſionem Aquæ benedictæ, quæ ante Miſſam ſolemnem erit omninò facienda, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *libr. 2. cap. 31. §. 3. pagin.* 397. Antiquitùs in hac Miſſa dicebatur Præfatio, quæ erat propria hujuſce Feſti, & erat ſequens, deſumpta ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pagina decima, videlicet: *Verè dignum*

& ju-

& juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Beati Apoſtoli tui & Evangeliſtæ Natalitia recenſentes: Qui Domini Noſtri Jeſu Chriſti Filii tui vocatione ſuſcepta, terrenum reſpuit patrem, ut poſſet invenire cœleſtem, adeptus in regno Cœlorum ſedem Apoſtolici culminis, qui tantùm retia carnalia contempſerat genitoris: Quique ab Unigenito tuo ſic familiariter eſt dilectus, & immenſa gratia muneribus approbatus, ut eum idem Dominus in Cruce jam poſitus, vicarium ſuæ Matri Virgini filium ſubrogaret: quatenus Beatæ Genitricis integritati, probati dilectique Diſcipuli virginitas deſerviret. Nam & in Cœna myſtica ſacroſancto Convivio ſuper ipſum vitæ fontem æternum, ſcilicet, pectus recubuerat Salvatoris. De quo perenniter manantia cœleſtis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis ac myſticis revelationibus eſt imbutus, ut omnem tranſgrediens creaturam, excelſa mente conſpiceret, & Evangelica voce proferret, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c.

Benedictio autem Epiſcopalis, de cujus priſco 105 Eccleſiæ more diximus ſupra in Miſſa Nocturna Nativitatis Dominicæ, hodie erat illa, quæ ſequitur, & quam deprompſimus ex dicto Libro Gregoriano, loco ſuperiùs citato: *Omnipotens Deus dignetur vobis per interceſſionem Beati Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ benedicere, qui per eum arcana Verbi ſui voluit Eccleſiæ revelare.* Amen. *Concedat vobis, ut quod ille Spiritus Sancti munere afflatus veſtris auribus infudit, ejuſdem Spiritus dono capere mente valeatis.* Amen. *Quo ejus documento de Divinitate noſtri Redemptoris edocti, & amando quod tradidit, & exequendo quod juſſit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Jeſus Chriſtus Dominus Noſter repromiſit.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur &c.*, cum reliquis, ut ſupra in Feſtò S. Stephani.

Eccleſia tamen Gallicana ante annos nongentos 106 celebrabat hodie ſub uno Feſto ſolemnitatem duorum Apoſtolorum Jacobi & Joannis, ut habet Mabillonius *in Liturgia Gallicana*, *lib. 3. pagin.* 196. &

ideo

ideo hac die recitabat in Miſſa ſequentem propriam Præfationem utrique Apoſtolo communem, nempè: *Verè æquum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, & vota perſolvere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Quoniam tibi vivimus omnia opera tua, & in factura eorum te collaudant & benedicunt omnes Sancti tui, quos prædeſtinaſti conformes fieri imagini Filii tui. In quo exaltatum eſt cornu ſalutis eorum, qui Nomen ejus, quod eſt ſuper omne nomen, coram Regibus & Poteſtatibus hujus ſæculi voce libera confitentes, ipſius Domini Salvatoris exemplo per patibula pœnarum, de perſecutoribus ſuis & diabolo triumpharunt: & corpora ſua hoſtiam dantes Deo, pretioſa tibi morte ceciderunt. Ex quibus extant beatiſſimi Apoſtoli & Martyres tui Jacobus & Joannes, quorum Natalem hodie celebramus, obſecrantes miſericordiam tuam, piiſſime, atque omnipotens Deus, ut eorum meritis ſuffragantibus, preces noſtras propitius exaudias, per Dominum Noſtrum Jeſum Chiſtum Filium tuum, qui eſt Sanctorum omnium virtus & gloria, victoria Martyrum & corona, Paſtor Ovium, & Hoſtia Sacerdotum, Redemptio Gentium, & propitiatio peccatorum. Ante cujus ſacratiſſimam Sedem ſtant Angeli atque Archangeli, & ſine ceſſatione proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Prædictis duabus Præfationibus, Gregorianæ ſcilicet & Gallicanæ, quæ priſcis temporibus dicebantur in Miſſa S. Joannis, aliam adjungimus, & itidem propriam, ac à ſuperioribus diverſam; ſed breviorem, quam temporibus etiam noſtris hodierna die recitant Ambroſiani: eſt autem ſequens, ex particulari eorum Miſſali fideliter tranſumpta; videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Beati Joannis Evangeliſtæ merita recolentes. Quem Dominus Jeſus Chriſtus non ſolùm peculiari ſemper decore ornavit, ſed & in Cruce poſitus, tamquam hæreditario munere proſecutus, vicarium pro ſe Matri Filium clementer attribuit. Quem in tantum benignitas indulta profecit, ut & factus ex Piſcatore Diſcipulus, & humanæ diſpenſationis modum excedens, ipſum Verbi tui ſine initio Deitatem præ cæteris*

& men-

107

& mente conſpiceret, & voce proferret. Propterea cum Angelis & Archangelis, &c.

In hoc Feſto S. Joannis, tamquam duplici ſecundæ claſſis, nulla cantari poteſt Miſſa Votiva, licèt pro re gravi, ſed ſi hac die forſan occurrat, cantetur Miſſa de Die, cum ſecunda Oratione Nativitatis, & tertia de S. Stephano, & quarta ſit una ex illis Collectis, quæ currenti indigentiæ conveniet. Unica verò Miſſa ſolemnis pro Defunctis, in Die tamen Obitus & præſente Corpore, poteſt hodie cantari, unica inquam, non plures, licèt plura accedant Capitula. Quod autem dicitur de Die Obitus, non intelligitur extenſum ad Anniverſarium Defunctorum, de quo idcircò neque hac die, neque infra hanc Octavam Nativitatis tamquam privilegiatam erit Miſſa canenda. Attamen celebratio unicæ Miſſæ in quolibet Oratorio privato Indultum Apoſtolicum habente eſt hodie omninò permiſſa: De quibus omnibus fusè diximus ſupra in Feſto S. Stephani. 108

Ubi verò S. Joannes fuerit Titularis Eccleſiæ, interiùs exteriùſque ipſa Eccleſia exornabitur: & ſi Eccleſia ſit Cathedralis, Epiſcopus utraſque Veſperas peraget, & Miſſam cantabit Pontificalem, prout de ornatu, & de Pontificalium exercitio ſupra dictum eſt in Feſto præcedenti. Ad Laudes autem & ad Miſſam, ſive Titulus ſit Parochialis, ſive Collegiatæ, ſive Cathedralis, facta commemoratione de Nativitate, omittitur illa S. Stephani, quia in hoc caſu Feſtum S. Joannis eſt duplex primæ claſſis, juxta Gavantum *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 37. Piſcara *in Prax. Cæremon. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 6. *numer.* 5. & iterum *in Cæremon. ſuæ Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Infra Octavam verò S. Joannis Titularis, ex eadem ratione altioris ritus, fiet commemoratio de eo ſtatim poſt illam Nativitatis. Quod ſi Feſtum S. Joannis venerit in Dominica, licèt ſit illa Dominica vacans, in Cathedralibus & Collegiatis etiam non dicatis S. Joanni, facienda erit aſperſio Aquæ benedictæ, 109

omit-

omittenda tamen ubi Epiſcopus Pontificaliter cele-
bret , ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31.
§. 3. *&* 4. *pagin.* 397. *&* 398.

In ſecundis Veſperis de S. Joanne , Antiphonæ 110
quidem & Pſalmi dicuntur de Nativitate , ſed Ca-
pitulum eſt S. Joannis , cum commemoratione In-
nocentium , & Nativitatis , ac S. Stephani ; quæ
ultima commemoratio omittitur in Eccleſia S. Jo-
anni dicata. Quod ſi Feſtum SS.Innocentium ſit ali-
cubi Titulare , in illa Eccleſia poſt Antiphonas &
Pſalmos de Nativitate, Capitulum in hodiernis Veſ-
peris erit de ſequenti , nempè: *Vidi ſupra montem
Sion*, Hymnus verò de Laudibus: *Salvete flores Mar-
tyrum* , Verſiculus *Herodes iratus* , Reſponſorium *In
Bethleem Juda* , & poſt eorum Orationem *Deus , cu-
jus hodierna die præconium* , fiet commemoratio S. Jo-
annis , & Nativitatis , ſed non S. Stephani.

Non eſt tamen caſus ſimpliciter imaginarius, quod 111
hodie alicubi S. Joannes ſit Titularis , & cras in
eamdem Eccleſia occurrat Dedicatio, nam in pluri-
bus Cathedralibus hoc accidit ; ſic Aquilejenſis in
Forojulii die duodecima Julij agit de SS. Hermago-
ra & Fortunato Titularibus , & die ſequenti cele-
brat ſuam Dedicationem : Sic Concordienſis in eo-
dem Forojulii die tertia Auguſti habet Feſtum Ti-
tulare Inventionis S. Stephani , & Dedicationem
die quarta ejuſdem Menſis : Sic Paſſavienſis in Au-
ſtria die quarta Auguſti celebrat Translationem S.
Valentini Titularis , & die ſequentis agit de De-
dicatione: Sic Torcelli propè Venetias die decima-
quinta ejuſdem Auguſti habet Titularem Aſsumptio-
nem Beatæ Mariæ Virginis , & Dedicationem die
ſequenti . Sicut igitur dantur multi caſus hujuſmo-
di , ſic dari poteſt & iſte hodiernus S. Joannis Ti-
tularis , & Craſtinus Dedicationis , Ibi itaque ho-
diernæ Veſperæ quoad Antiphonas & Pſalmos erunt
proculdubio de Nativitate , ſed Capitulum de De-
dicatione tamquam de digniori , cum commemora-
tione S. Joannis Titularis , & Nativitatis , non ta-
men S. Stephani ; & de SS. Innocentibus fiet alia
die , ut infra.

At ſi

At ſi in hoc Feſto S. Joannis occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, agetur hodie de ea, cum ſola commemoratione Nativitatis in Laudibus & in Miſſa; cantantur tamen duæ Miſſæ, juxta ea, quæ diximus ſupra in Feſto S. Stephani. In ſecundis Veſperis de Nativitate, Capitulum erit de eadem Dedicatione, cum commemoratione prius de SS. Innocentibus; deinde de Nativitate, omiſſa illa de S. Stephano. Feſtum verò S. Joannis erit transferendum: ſed in quam diem? Gavantus diceret, quod regulariter celebrandum erit in ejus Die Octava, prout dicit de SS. Innocentibus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 11. ſed Bauldryus, omiſſo ly *regulariter*, abſolutè ad Diem Octavam illud transfert *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 38. Ego autem dico, quod ſupra dixi de Feſto S. Stephani, poſſe ſcilicet transferri modò infra Octavam Nativitatis, modò ad ejus Diem Octavam, & modò extra totam ejus Octavam, juxta Feriarum occurrentiam. Idcircò ſi hoc Feſtum S. Joannis occurrerit in Dominica, vel in Feria ſecunda, tertia, quinta, aut in Sabbato, certum eſt, quod erit transferendum ad ejus Diem Octavam, unde benè diceret Gavantus, ſi *regulariter* diceret, quia reverà dies trigeſima eſt impedita Officio Dominicæ infra Octavam Nativitatis, quæ licèt plerumque non ſit dies Feſtivus, eſt tamen aſſignatus tamquam fixus pro illa Dominica, quæ more aliarum Dominicarum non recipit Feſtum translatum licèt primæ claſſis, ſed tantùm duplex occurrens. 112

Si verò dictum Feſtum S. Joannis venerit in Feria ſexta, Gavantus reponeret in Feria ſecunda, translato ad aliam diem non impeditam Feſto S. Thomæ, quod in hoc caſu occurrebat heri in Dominica, ea ratione, quia de duobus translatis dignius eſt primo loco celebrandum: ut ipſe tenet *loco citato, ſub num.* 11. Attamen, quod ſupra diximus de Feſto S. Stephani transferendo, idem prorſus dicendum de repoſitione S. Joannis translati, & conſequenter agendum de eo in ejus Die itidem Octava: niſi ubi occurrit Dedicatio in caſu propoſito, 113

fieret

fieret de S. Thoma ſub ritu duplici, quia ſicuti celebraretur in Dominica, ſic Feria ſecunda eſſet libera, & locum daret repoſitioni S. Joannis, nam alioquin ageretur in illa Feria ſecunda de die infra Octavam Nativitatis, ut pro parte Canonicorum Lateranenſium reſpondit Sacra Rituum Congregatio ſub die 1. Martii 1681. ad ſeptimum Dubium. Si denique inciderit in Feriam quartam, proculdubio fiet de dicto S. Joanne translato in Sabbato, quod non eſt impeditum, niſi ab Officio de die infra Octavam admittente Feſta translata.

At quia diximus, quod dari poteſt caſus reponen- 114
di dictum Feſtum translatum S. Joannis extra totam ejus Octavam, videndum eſt quinam ſit iſte caſus. Sicuti igitur occurrere poteſt Dedicatio Eccleſiæ particularis in dicto Feſto S. Joannis, ſic poteſt in eadem Civitate occurrere Dedicatio Cathedralis in Die Octava, vel è contra, occurrere Dedicatio Cathedralis in ipſo Feſto, & particularis in Die Octava. Inſuper poteſt in aliqua Civitate occurrere Dedicatio Cathedralis in dicto Feſto, & ſimul habere Octavam, ſive ex immemorabili conſuetudine, ſive ex ſpeciali Indulto Apoſtolico, cùm cæteroquin hoc tempore non fiant Octavæ, niſi iſtæ univerſales. Sive igitur in Die Octava S. Joannis occurrat Dedicatio, ſive Dies Octava Dedicationis, ſemper Feſtum S. Joannis erit transferendum extra totam Octavam in prædictis caſibus, in quibus diximus reponendum eſſe in ejus die Octava.

§. VIII.

De Feſto SS. Innocentium Martyrum.

Antiqua ſanè Sanctorum Innocentium Feſtivitas eſt; ſiquidem D. Auguſtinus pluribus in locis eos tamquam verè Martyres laudibus proſequitur, *quia*, inquit P. Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 3. *fortaſsè optimè noverat, eos ab Eccleſia coli*. Quod etiam probatur ex vetuſtiſſimo Kalendario Carthaginenſi, relato à P. Mabillonio *Veter. Analector. tom.* 3. ubi habetur: *V. Kal. Jan. Sanctorum Infantum, quos Herodes occidit*. Ad quæ verba notat Mabillonius: *Ex hoc loco patet antiquitas hujus Feſti: ſed longè antiquior ejus mentio apud Origenem* in Homil. 3. in Matth. 115

Licèt autem hodie celebret Eccleſia hoc Feſtum, non tamen hodie occiſi ſunt Sancti Innocentes, ſed ideò celebrat mox à Nativitate, quia propter Chriſtum fuerunt occiſi, ut Nativitatem Chriſti iiſdem condecoret & exornet. Cæterùm ab Herode occiſi ſunt, cùm Chriſtus ageret annum ætatis ſecundum, in Vere, & in Martio. Cur autem Herodes diſtulerit hoc Infanticidium uſque ad ſecundum annum ab ortu Stellæ & Chriſti, Abulenſis apud Cornelium à Lapide *in Matth. cap.* 2. *verſ.* 16. cenſet, Herodem deſcriptos priùs voluiſſe parvulos cum nomine & ætate, ne quis à Matre abſconderetur, & necem evaderet: quod eſt probabile, nam ſecuta hujuſmodi deſcriptione, juſſit occidi Infantes *à bimatu & infra, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*: niſi enim multum temporis conſumpſiſſet in formatione talis catalogi, non erat opus exprimere in juſſione *bimatum*. 116

Tres autem ſunt ſententiæ ſuper textum Hieremiæ loquentis de Rachele Filios ſuos plorante, & con- 117

conſolari nolente, quia non ſunt. Prima igitur explicat de cæde Beniaminitarum ob vim illatam uxori Levitæ, ut habetur *Judic.* 20. Secunda verò exponit de lamentatione Matrum in excidio Hieroſolymæ per Titum. Tertia denique interpretatur de captivitate, vel Babylonica duarum tribuum, vel Aſſyriaca decem tribuum. At Cornelius à Lapide addit quartam & veram *in Hierem. cap.* 31. *verſ.* 15. dicit enim, Hieremiam loqui ad litteram de planctu Matrum Bethlehemitarum ob Infanticidium Herodis. Enimverò, cùm in hodierno Evangelio Matthæus tam conſtanter dicat: *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem, &c.* quomodo poteſt hæc Prophetia attribui diverſo eventui? S. Auguſtinus diceret de Matthæo, quod dixit de Joanne, *tract.* 1. *in Jo.* circa medium, *Crede ergo Evangeliſtæ.*

Hi Sancti Innocentes, quia in odium Chriſti ab Herode occiſi ſunt, verè ſunt Martyres, & ut tales ab Eccleſia coluntur, ac Feſto celebrantur. Martyres tamen ſunt ex gratuita & liberali Dei ordinatione, ut ait Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 2. *verſ.* 16. Calinus etiam in Libro Italicè conſcripto, cui titulus, *Trattenimento Iſtorico ſopra i Santi Vangelj, lib.* 3. *cap.* 6. dicit, quod hi Infantes ab Herode occiſi, ab Eccleſia coluntur inter Martyres, non quia his acceleraretur uſus rationis, unde mortem voluntate religioſa acceptarent, neque quia Filiorum incapacitati ſuppleret Genitorum fides & devotio, cùm illis mortibus univerſaliter Matres & Patres repugnarent: ſed quia Dominus Noſter Jeſus Chriſtus illas Victimas acceptavit, quæ à Barbaro fuerunt mactatæ in ejus odium: & fuerunt Martyres ex privilegio. *Hæc Calinus.* 118

Hoc Sanctorum Innocentium Feſtum eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ſed in colore violaceo, cujus loco non eſt adhibendus color aureus, quia iſte eſt color feſtivus & lætus, unde non videtur abſolutè ſubſtituendus pro violaceo in diebus affli- 119

ctionis, quorum unus eſt ſanè hodiernus, quamvis aliquod ornamentum ex auro decentiſſimè etiam paramentis violaceis ſuperponatur, ut ait Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 18. dub. 2. pag. mihi* 116. Duplici verò ex cauſa utimur hodie hoc violaceo colore. Prima oritur ex parte Matrum Filios ſuos ab Herode occiſos tali voce plorantium, ut uſque Rhamam audita ſit: de quarum Matrum lamentatione egregiè S Auguſtinus *ſerm. 1. de Innocen.* Secunda verò cauſa provenit ex parte ipſorum Infantium, de quibus Micrologus *cap.* 36. *Meritò*, inquit, *paſſio Sanctorum Innocentium minus feſtivè celebratur, quia licèt Martyrio coronati, nondum tamen ad gloriam, ſed ad infernalem pœnam diſceſſerunt*: ad infernalem pœnam, ſcilicet, deſcenderunt in Limbum, ut habet Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom. 1. par. 4. tit. 4. num.* 9. ibi enim expectarunt poſt mortem Chriſti.

Quoad Matutinum in hoc Feſto SS. Innocentium, Invitatorium eſt de Communi plurimorum Martyrum *Regem Martyrum Dominum*, ſed Hymnus eſt proprius *Audit tyrannus anxius*: Antiphonæ verò, Pſalmi, & Verſiculi Nocturnorum ſumuntur ex eodem Communi: In tertio tamen Nocturno ſecunda Antiphona eſt propria, *Iſti ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione*, & valdè convenit, ſicuti non conveniret illa de Communi *Tradiderunt corpora ſua in mortem, ne ſervirent Idolis*, quia SS. Innocentes, *non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt*. Lectiones autem omnium & trium Nocturnorum ſunt omnes & novem propriæ cum ſuis Reſponſoriis. Non dicitur *Te Deum*, eſt enim Hymnus lætus: ſed ejus loco recitatur nonum Reſponſorium, eſt enim mœſtum, & quadrat Feſto. 120

Ad Laudes hujus Officij ſunt propriæ omnes Antiphonæ *Herodes iratus*, ſed Capitulum eſt *Vidi ſupra montem Sion*, in quo Capitulo nominantur centum quadraginta quatuor millia, ex quo aliqui opinionem traxerunt tot fuiſſe parvulos ab Herode occiſos: ſed revera Eccleſia hoc ponit, ut oſtendat magnum fuiſſe & penè innumerum numerum occiſorum, 121

rum, qui ſanè grandis cenſendus eſt, dum non ſolùm in Bethlehem, ſed in omnibus finibus ejus occiſi fuerunt omnes parvuli. Hymnus ad Laudes magnificus & elegantiſſimus dicitur à Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 20. *pag.* 230. & compoſitus fuit à Prudentio, quem ad rem laudat etiam Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 2. *verſ.* 16. ubi ex eodem Hymno ſuam confirmat opinionem, quod Innocentes occiſi ſint in Vere, quaſi verni Flores è Terra Bethlehemitica Solis Juſtitiæ radiis tepefacta producti, & Chriſto Nazaræno, ideſt florido oblati: unde canit Prudentius: *Salvete, Flores Martyrum, quos lucis ipſo in limine Chriſti inſecutor ſuſtulit, ceu turbo naſcentes Roſas*. Oratio eſt itidem propria, *Deus, cujus hodierna die præconium, &c.* quam omnium ferè pulcherrimam, elegantiſſimam, atque optimè expreſſam jure merito vocat Grancolas *loco ſuperiùs citato.* Poſt Collectam Feſti fit commemoratio Nativitatis, & S. Stephani, ac S. Joannis, ut in Breviario. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui natus es de Maria Virgine*: & ad omnes Horas Clauſula Hymnorum eſt *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* Reliqua habentur proprio in Breviario.

Quotieſcumque hoc Feſtum inciderit in Dominicam, illa erit ſemper vacans, quia hodie nullum habet Officium Dominicale, ſed ejus ratione aliquid retinent diſtinctum Sancti Innocentes ob lætitiam Reſurrectionis, quæ in qualibet Dominica repræſentatur: ideoque in Choro depoſita mœſtitia coloris violacei, aſſumitur color rubeus: & ad Matutinum loco noni Reſponſorii dicitur Hymnus feſtivus *Te Deum laudamus*: attamen in hoc caſu ad octavum Reſponſorium *Vidi ſub altare Dei* additur *Gloria Patri*, cum repetitione Verſiculi *Vindica, Domine*. 122

Miſſa hodierna eſt propria, in colore violaceo celebranda: & dicitur ſine *Gloria in excelſis*, tum ratione coloris violacei, tum etiam noni Reſponſorii, nam ubi color violaceus & nonum Reſponſorium in Officio, ibi numquam *Gloria* in Miſſa, ex Ru- 123

brica Miſſalis *tit.* 8. *de Introitu*, *&c. ſub num.* 3. *&* 4. Ubi autem non dicitur *Gloria*, neque dicitur *Ite miſſa eſt* in fine Miſſæ, ſed *Benedicamus Domino*. Poſt Orationem Feſti dicuntur aliæ tres ſub unica concluſione, nempè Nativitatis, & S. Stephani, ac S. Joannis. In fine Epiſtolæ, lecto Graduali, & omiſſo *Alleluja* cum Verſiculo ſequenti, dicitur ſtatim Tractus *Effuderunt ſanguinem Sanctorum*. Symbolum verò dicitur in hac Miſſa ratione aliarum Octavarum, non tamen SS. Innocentium, ut clarè patet ex eorum Die Octava, ubi Rubrica expreſsè habet, quod non dicitur *Credo*. Præfatio verò eſt de Nativitate *Quia per incarnati Verbi myſterium*, cum ſuo *Communicantes* proprio.

Ambroſiani, etiam noſtris temporibus, recitant, 124
paucis tantùm immutatis verbis, & retento omninò ſenſu, Præfationem propriam huic Feſto SS. Innocentium convenientem, quæ ex veteri Eccleſiæ conſuetudine dicebatur in hac Miſſa, & habetur in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pag. 12. ex quo loco deſumpta erat ſequens, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in pretioſis mortibus Parvulorum, quos propter Noſtri Redemptoris infantiam beſtiali ſævitia Herodes funeſtus cecidit, immenſa clementiæ tuæ dona prædicare. In quibus fulget magis gratia quàm voluntas, & clara eſt priùs confeſſio quàm loquela, ante paſſio quàm membra idonea paſſioni. Exiſtunt teſtes Chriſti, qui ejus nondum fuerunt agnitores. O infinita benignitas! O ineffabilis miſericordia! quæ pro ſuo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, ſed proprio cruore perfuſis & ſalus regenerationis adhibetur, & imputatur corona Martyrii. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c.*

Benedictio verò Epiſcopalis, qua olìm utebatur 125
Eccleſia hac die, & quæ reperitur per extenſum in memorato Libro Sacramentorum S. Gregorii, *loco ſuperiùs citato*, ſequenti formula concipiebatur, videlicet: *Omnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia, infantium Innocentium catervas Herodis funeſti*

neſti peremit ſævitia, ſuæ vobis Benedictionis tribuat dona gratiſſima. Amen. *Et qui eis conceſſit, ut Unicum Filium ejus Dominum Noſtrum non loquendo, ſed moriendo confiterentur, concedat vobis ut Fidem veram, quam lingua veſtra fatetur, etiam mores probi & vita inculpabilis fateantur.* Amen. *Quique eos primitivum fructum ſanctæ ſuæ ſuſcepit Eccleſia, cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æterna Patriæ.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa S. Stephani.

Sed & Eccleſia Gallicana ſuam in hoc Feſto habebat Præfationem propriam à Gregoriana diverſam. Cenſemus autem fore gratum Lectori, ſi & ipſam extendamus vetuſtate venerandam, quam cæteroquin refert Mabillonius *in Liturg. Gallic. pag.* 199. *lib.* 3. Erat igitur ea, quæ ſequitur, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere: Pro his præcipuè, quorum hodierno die annua Feſtivitate recolentes memoriam paſſionis celebramus: Quos Herodianus Satelles lactantium Matrum uberibus abſtraxit: Qui jure dicuntur Martyrum flores, qui in medio frigore infidelitatis exorti, veluti primas erumpentes Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina diſcuſſit, rutilante Fonte in Bethlehem Civitate. Infantes enim, quia ætate loqui non poterant, laudem Domini cum gaudio* (forti, gladio) *reſonabant. Occiſi prædicant, quod vivi non poterant. Loquuntur ſanguine, quod lingua nequiverunt. Contulit his Martyrium laudem, quibus abnegaverat lingua ſermonem. Præmittit infantes infans Chriſtus ad Cœlos, tranſmittit nova exenia Patri, primitias exhibet Genitori Parvulorum prima Martyria, Herodis ſcelere perpetrata. Præſtat hoſtis corpori dum nocet, beneficium tribuit dum occidit. Moriendo vivitur, cadendo reſurgitur, victoria per interitum comprobatur. Pro his ergo beneficiis, & pro præſenti Solemnitate, immenſas pietati tuæ gratias referentes, potius quàm rependentes, cum ſanctis Angelis, & Archangelis, qui Unum te Deum dominantem, Diſtinctum nec diviſum, Trinum nec triplicem, Solum nec ſolitarium, conſona laudamus voce, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* 126

Si hoc Feſtum SS. Innocentium venerit in Dominica 127

 minica

minica, cæteroquin vacante, color in Miſſa erit rubeus, ex Rubrica Miſſalis *tit.* 18. *de Color. Paramen. ſub num.* 3. & in hoc caſu inſerviet color aureus ubi habetur, ut ſupra diximus in Feſto S. Stephani. Dicetur *Gloria in excelſis*, & Graduale cum *Alleluja*, ac Verſu ſequenti, ſine Tractu, & cum *Ite miſſa eſt* in ejus fine, ut patet ex Rubrica in hoc Feſto. Ante Miſſam tamen ſolemnem fiet aſperſio Aquæ benedictæ, tam in Cathedralibus quàm in Collegiatis, ſed ubi Epiſcopus Pontificaliter celebraverit, omittitur dicta aſperſio, ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. & 4. *pag.* 397. & 398. Piſcara verò diſtinguit Feſtum in Dominica à Feſto extra Dominicam, nam quando venit in Dominica, ordinat Miſſam cantatam: quando verò occurrit extra Dominicam, expreſsè dicit, quod non cantatur Miſſa ſolemnis, ut videre eſt *in Cæremon. ſua Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. & 8. & cenſeo ſic ordinare, ut in colore violaceo non audiatur cantus huic Diei mœſtiſſimo non conveniens: audiatur autem in colore rubeo ratione Dominicæ lætitiam præſeferentis. Attamen generaliter loquendo, Miſſa canenda, ubi eſt ſolitum, & quidem cum Miniſtris Dalmatica & Tunicella indutis, ſive occurrat Dominica, ſive non.

Nulla tamen in hoc Feſto SS. Innocentium, 128
tamquam duplici ſecundæ claſſis, canenda eſt Miſſa Votiva, quamvis pro re gravi: ſed ſi hac die alicubi forſan occurrat, cantetur Miſſa de Die, cum ſecunda Oratione Nativitatis, tertia de S. Stephano, quarta de S. Joanne, quinta verò ſit una ex illis Collectis, quæ currenti indigentiæ conveniat. Unica tamen Miſſa ſolemnis pro Defunctis, in Die quidem Obitus & præſente Corpore poteſt hodie cantari: unica, inquam, non plures, licèt plura accedant Capitula. Quod autem dicitur de Die Obitus, non intelligitur extenſum ad Anniverſarium Defunctorum, de quo idcircò neque hac die, neque infra hanc Octavam Nativitatis tamquam privilegiatam, erit Miſſa canenda. Attamen celebratio unicæ Miſſæ in quolibet Oratorio privato Indultum

Apo-

Apoſtolicum habente eſt hodie omninò permiſſa; De quibus omnibus fusè diximus ſupra in Feſto S. Stephani, ubi & rationes reddidimus.

Ubi autem SS. Innocentes ſunt Titulares Eccleſiæ, ſicuti ibi eſt magna Solemnitas, ſic removenda omnis mœſtitia; nihil enim ſpectat ad planctum, ubi totum eſt ad gaudium: ideoque depoſito colore violaceo, aſſumendus eſt rubeus, imò & aureus, qui plus habet Feſtivitatis, & pro rubeo inſervit, ut ſupra diximus in Feſto S. Stephani. Ad Matutinum loco noni Reſponſorii dicendus eſt Hymnus *Te Deum*, addito idcircò *Gloria Patri* ad octavum Reſponſorium, cum repetitione Verſiculi *Vindica, Domine*, ſicuti fit, quando hoc Feſtum occurrit in Dominica. Ad Laudes verò poſt Orationem Diei fit commemoratio Nativitatis, ſed non S. Stephani, neque S. Joannis: ita & in Miſſa, in qua dicitur *Gloria in excelſis*, & poſt Graduale dicitur *Alleluja* cum ſuo Verſu ſequenti, omiſſo Tractu: Ita enim ſentit, & benè ſentit Gavantus in arte peritus, & hujus opinionis Auctor *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 7. cui ſubſcribit Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 37. Ratio autem Gavanti eſt, quia ſi hæc conceduntur Dominicæ, in qua non eſt dolendum, cur dolemus in Feſto Titularis Eccleſiæ ſolemni? 129

Prædicta opinio Gavanti mœſtitiam excludentis in Eccleſia SS. Innocentibus dicata, mihi magis probatur, quia ſi die vigeſima quinta Aprilis terminetur Proceſſio Litaniarum ad Eccleſiam S. Marci, non cantatur ibi Miſſa de Rogationibus in colore violaceo, ne contaminetur Solemnitas, ſed Miſſa feſtiva de S. Marco in colore rubeo: ergo à pari (quia in in utroque caſu agimus de Titulari) in Eccleſia SS. Innocentium non eſt adhibendus color violaceus neque dicenda in Officio & Miſſa quæ ſpectant ad mœrorem, ne minor fiat Solemnitas. Præterquàm quod Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 1. *cap.* 12. §. 3. *pagin.* 73. præſcribit & deſcribit ornatum Eccleſiæ intus & foris faciendum in ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ Feſtivitatibus, ex quibus unam & 130

quidem principaliorem eſſe illam Titularis nemo eſt qui neget. Quomodo ergo ſimul ſtabunt ornatus feſtivus Eccleſiæ, & color violaceus, ſine *Te Deum*, ſine *Gloria*, ſine *Alleluja?*

131 Imò quæ ſuperiùs dicta ſunt de SS. Innocentibus uti Titularibus, cenſeo ea prorsus ſervanda, in illa Eccleſia, in qua habetur aliquod eorum Corpuſculum, aut inſignis Reliquia, nam & ibi eſt Solemnitas, quæ non videtur contaminanda cum colore lugubri, qualis eſt violaceus; ideoque ſi ubi eſt ſolemnitas, ibi eſt lætitia, ergo ibi agendum quod de Titulo, quod de Dominica diximus: præſertim quia multæ Eccleſiæ ſolent ratione Corporis vel inſignis Reliquiæ prævenire Feſtum, cum feſtiva campanarum pulſatione, & ſolemnizare cum magno exteriori interiorique ornatu, cum Proceſſione & apparatu viarum. Et quamvis Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 38. dicat, quod licèt habeatur aliquod Corpuſculum, vel inſignis eorum Reliquia, nihilominus adhibenda ſint Paramenta violacea, addit tamen ſtatim, *niſi aliter à Majoribus ordinetur, aut niſi ſit alia laudabilis conſuetudo cum concurſu Populi, quia tunc videtur conveniens, ut fiat Officium in Paramentis rubeis, cum reliquis quæ ſapiunt lætitiam.*

132 In ſecundis Veſperis de SS. Innocentibus, Antiphonæ ſunt *Tecum principium*, cum Pſalmis de Nativitate: ſed à Capitulo fit de Feſto SS. Innocentium, cum commemoratione S. Thomæ, & trium Octavarum. Quòd ſi cras occurrat Dominica infra Octavam Nativitatis, loco commemorationis S. Thomæ, fit commemoratio Dominicæ, & trium Octavarum. Ubi autem S. Thomas eſt duplex minus, prout eſt in tota Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium, ſi in eo occurrat Dominica, in hodiernis Veſperis fit priùs commemoratio S. Thomæ, deinde Dominicæ, & poſtea trium Octavarum. At quid agendum, ſi alicubi Feſtum S. Thomæ ſit duplex ſecundæ claſſis? In Veſperis de Nativitate dicerem Capitulum de S. Thoma, ut in ejus communi, & facerem commemorationem

non

non ſolum SS. Innocentium, & Nativitatis, ſed etiam S. Stephani, & S. Joannis, quia ita fit infra Octavam Nativitatis in aliis Feſtis duplicibus ſecundæ claſſis etiam præceptivis. Dicerem autem Capitulum de S. Thoma, quia ſi SS. Innocentes *non loquendo ſed moriendo confeſſi ſunt*, S. Thomas confeſſus eſt & loquendo & moriendo, unde dignior videtur Martyr, & conſequenter diſtinguendus à Capitulo in his Veſperis. At ubi S. Thomas eſt Titularis (ut eſt Patavii in Eccleſia Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii) ibi dato Capitulo S. Thomæ Titulari, & facta prius commemoratione de SS. Innocentibus, deinde de Nativitate, nihil fit de S. Stephano, & de S. Joanne. In Eccleſia verò SS. Innocentibus dicata, omittur itidem commemoratio S. Stephani, & S. Joannis. Ubi autem SS. Innocentes ſunt Titulares, ſi in eadem Eccleſia cras agendum ſit de Dedicatione propriæ, vel Cathedralis Eccleſiæ, etiam ibi Capitulum erit de ſequenti, quia cùm Dedicatio ſit Feſtum Domini, locum habere debet à Feſto Servorum Domini.

Si tamen in hoc Feſtum SS. Innocentium incidat alicubi Dedicatio Eccleſiæ (quam occurrentiam affert Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *num.* 11.) Officium & Miſſa erunt quidem de ea, cum ſola commemoratione Nativitatis, ſed canentur duæ Miſſæ, juxta ea, quæ ſupra diximus in Feſto S. Stephani: & in ſecundis ejus Veſperis poſt Antiphonas & Pſalmos de Nativitate, Capitulum erit de Dedicatione, cum commemoratione S. Thomæ, quæ tamen ex ſuperiùs dictis poterit in ſolemnibus omitti: deinde fiet commemoratio Nativitatis, ſed non aliarum Octavarum. Feſtum verò SS. Innocentium regulariter transferendum erit ad ejus Diem Octavam, ut benè notat Gavantus *loco citato*, & cum eo Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 38. licèt iſte loquatur abſolutè, quaſi nullus detur caſus, in quo reponendum ſit infra Octavam Nativitatis, cùm etiam alius dari poſſit, in quo transferatur extra totam Octavam. 133

Suppoſita igitur dicta occurrentia Dedicationis 134
Eccle-

Eccleſiæ, ſi Feſtum SS. Innocentium venerit in Dominica, vel in Feria ſecunda, tertia, quarta, aut ſexta, proculdubio transferendum erit ad ejus Diem Octavam, quia revera dies trigeſima Decembris eſt impedita Officio Dominicæ infra Octavam Nativitatis, quæ licèt plerumque non ſit Dies feſtivus, eſt tamen aſſignatus tamquam fixus, pro tali Dominica non recipiente Feſtum translatum cujuſcumque ritus, ſed tantùm duplex occurrens etiam minus. Si verò incidet in Feriam quintam, erit reponendum in Sabbato, quia, ceſſante hujuſmodi translatione; fieret alioquin de die infra Octavam Nativitatis. At ſi occurat in Sabbato, Gavantus *d. tom. 2. ſect. 6. cap. 6. num. 11.* reponit in Feria ſecunda, ob eam, quam affert, rationem, *quia de duobus Feſtis translatis, Innocentium, & S. Thomæ, de digniori priùs eſt recitandum Officium: & Feſtum S. Thomæ celebrabitur prima die non impedita poſt Octavam Epiphaniæ, ex vulgatis Rubricis*. Hæc ille, cui tamen non poſſum adhærere ex nova Lege explicativa Rubricæ Generalis Breviarii *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub num.* 5. nam Semiduplex, quod occurrit in Dominica infra Octavam, tantum habet juris in illa Feria ſecunda ſequenti non impedita, ut non cedat duplici primæ claſſis translato, prout ſupplicante P. Abbate Hectore Gironda Ordinis Cœleſtinorum, declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 16. *Septembris* 1702. Si ergo dictum Semiduplex non cedit duplici primæ claſſis, multo minus cedet duplici ſecundæ claſſis, quale eſt iſtud SS. Innocentium, ex axiomate illo legali, *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te*.

Verum tamen eſt, quod ſi forſan in illa Eccleſia, in qua ob Dedicationis occurrentiam transferendum eſt Feſtum SS. Innocentium, fieret de S. Thoma ſub ritu duplici, ſicuti ibi celebraretur in Dominica, ſic Feria illa ſecunda eſſet omnino libera, & conſequenter reponeretur ritè & rectè in eadem dictum Feſtum SS. Innocentium, quia caſus Rubricæ de Officio Diei infra Octavam Nativitatis in ſabbato, eſt caſus Eccleſiæ Univerſalis, iſte autem 135

ſecun-

ſecundus eſt caſus Eccleſiæ particularis, in qua, niſi haberetur reponendum Feſtum SS. Innocentium, agendum eſſet de eadem Die infra Octavam, ſicuti in Sabbato. Data igitur hujuſmodi caſus contingentia, & non aliter, nec alio modo, translatio Gavanti in Feriam ſecundam eſſet ſequenda. Nec iſte caſus videtur eſſe ſimpliciter idealis, nam cùm in duabus Congregationibus Regularibus, Lateranenſi & Ciſtercienſi, Feſtum S. Thomæ celebratur ſub ritu duplici, & conſequenter fiat de eo in Dominica, in aliqua ex penè innumeris Eccleſiis per Orbem exiſtentibus utriuſque Religionis poteſt occurrere Dedicatio in Feſto SS. Innocentium, quod ibi reponendum ſit in dicta Fèria ſecunda.

Duplex autem dari poteſt caſus transferendi extrà totam Octavam Feſtum SS. Innocentium. Et primus quidem eſt, ſi in ea Eccleſia, in qua die vigeſima octava Decembris occurrit Dedicatio propria, incidat in Diem Octavam SS. Innocentium Dedicatio Cathedralis: & è contra, ſi in Feſto SS. Innocentium occurrat Dedicatio Cathedralis, & in Die Octava agendum ſit de Dedicatione propria. Secundus verò caſus eſt, ſi Dedicatio Cathedralis, vel particularis, occurrens in memorato Feſto SS. Innocentium, habeat Octavam vel ex immemorabili conſuetudine, vel ex Privilegio Apoſtolico. Sive igitur in Die Octava SS. Innocentium occurrat alia Dedicatio, ſive Dies Octava Dedicationis, ſemper dictum Feſtum SS. Innocentium erit transferendum extra totam Octavam, in illis ſcilicet caſibus, in quibus ſupra diximus, reponendum eſſe in Die Octava. 136

Translatis denique SS. Innocentibus extra totam eorum Octavam, in præſuppoſito caſu, erit Feſtum celebrandum quidem, ut in Die, ſed ſine *Credo* in Miſſa, niſi caſus Dedicationis Cathedralis cum Octava occurreret in Eccleſia SS. Innnocentibus dicata, quia Dedicatio haberet locum ab his Titularibus. In hac igitur Eccleſia agendum eſſet Feſtum etiam ſic translatum extra totam Octavam, in colore rubeo, cum omnibus conſequentiis feſtivis, ut ſupra dixi- 137

diximus, & conſequenter cum *Credo* in Miſſa. Quod quidam Symbolum dicendum eſſet etiam in Eccleſia, in qua aſſervaretur aliquod SS. Innocentium Corpuſculum, vel inſignis Reliquia, nam translatio extra totam Octavam non tollit jus acquiſitum vigore Rubricæ *tit. 11. de Symbolo*, in qua dicitur: *& ubi habetur Corpus vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur*. Cùm igitur de SS. Innocentibus nihil actum ſit infra totam eorum Octavam, ut præſuppponitur, eo die, quo celebratur Feſtum, cœlebrari debet cum omni jure, quod ei convenit.

§. IX.

De Feſto Sancti Thomæ Epiſcopi, & Martyris.

HIc eſt ille Epiſcopus, qui voluit eſſe Martyr, ne Eccleſia pateretur. Aperuit Templi oſtium, ut citiùs ſibi aperiretur janua Cœli. Secutus eſt exemplum Chriſti Magiſtri verus Diſcipulus. Dixerat Chriſtus in Horto Militibus: *Sinite hos abire*. Dixit Thomas in Eccleſia nefariis Satellitibus. *Cavete, ne cuipiam meorum noceatis*. Tandem gladiis impiorum occubuit. Interemptus in Eccleſia, vivit inter ſupernos Choros. Veſpere autem facto captus eſt Jeſus. Veſpertinis Horis Thomas operam dando, occiſus eſt, ſed *relictis hiſce Feſtis, tranſiit ad celebritatem Angelorum*. S. Dionyſius, qui paulò ante audiverat orantem, paulò poſt obviam ivit triumphanti. Itaque Alexander Tertius, qui exceperat benignè profugum in Terris, declaravit Sanctum permanentem in Cœlis. Gaudeat igitur Eccleſia de ſuo Defenſore, quem agnoſcit Propugnatorem glorioſum. Relatus fuit ſolemniter inter Sanctos Feria quarta Cinerum 1173, cùm ipſe cæteroquin obiiſſet anno 1170.

1170. Triennium vix incæptum, fuit ſatis ad ejus ſanctitatem declarandam, quià ſatis fuerunt Miracula ad eum reddendum illuſtrem.

Hoc Feſtum S. Thomæ celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore rubeo. Quoad Officium, Matutini, Invitatorium, Antiphonæ, Pſalmi, & Verſiculi Nocturnorum ſumuntur ex Communi unius Martyris, ex quo etiam Lectiones primi Nocturni incipientes *A Mileto*, quæ omnibus conveniunt & ſolis Martyribus ſimul & Pontificibus, ſi dicendæ ſint, ut in hoc Feſto. In ſecundo verò, & tertio Nocturno Lectiones ſunt propriæ in Breviario. Ad Laudes omnia itidem dicuntur, ut in eodem Communi, & poſt Orationem propriam Feſti, fit commemoratio quatuor Octavarum, ſine Suffragiis Sanctorum, quæ ſi omittuntur infra Octavas communes, vigore Rubricæ *tit.* 35. *ſub numer.* 1. eo magis omittenda ſunt infra hanc Octavam privilegiatam. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, ſine Prebus Dominicalibus, cùm neque dicantur infra Octavas non privilegiatas, ut habet Rubrica *titul.* 34. *ſub numer.* 2. Hymni tamen omnium Horarum clauduntur cum ſtrophe *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* 139

Miſſa S. Thomæ eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, fiunt commemorationes quatuor Octavarum, recitatur *Credo*, cum Præfatione & *Communicantes* de Nativitate. Ex occaſione hujus Feſti ſemiduplicis, notandum eſt ad eruditionem, quòd *in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, *pag.* 228. habentur nonnullæ *Apologiæ*. Eſt autem hoc loco Apologia excuſatio, & purgatio, qua Sacerdos excuſet ſe, eo quod indignus ad tam veneranda & tremenda myſteria accedat, ut ait Hugo Menardus *in Notis eruditiſſimis ad dictum Librum Sacramentorum*, *Nota* 786. Unam igitur, vel alteram ex dictis Apologiis recitabat antiquitùs Sacerdos in Miſſa ante Offertorium: & forſan inſerviebat pro illa Oratione, quam modò nos dicimus pro tertia ad libitum in quibuſdam Feſtis ſemiduplicibus, de quibus loquitur Rubrica Miſſalis *tit.* 9. *de Orat.* *ſub num.* 2. & inſcribitur 140

Pro ſeipſo Sacerdote. Sequentem ponimus per extenſum, in gratiam veteris conſuetudinis; ſcilicet: *Ante oculos tuos, Domine, reus conſcientiæ teſtis aſſiſto. Rogare vix audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim ſcis, Domine, omnia, quæ aguntur in nobis. Erubeſcimus confiteri, quod per nos non timemus admittere. Verbis tibi tantum obſequimur, corde mentimur: & quod velle nos dicimus, nolle noſtris actibus approbamus. Parce, Domine: confitentibus ignoſce. Peccavimus, miſerere, te rogamus. Et quia in Sacramentis tuis meus ſenſus infirmus eſt, præſta quæſumus, ut qui ex nobis duri cordis verba non ſuſcipis, per te nobis veniam largiaris. Per Dominum, &c.*

Neque hodie in Feſto S. Thomæ, neque cras dici poſſunt Miſsæ votivæ privatæ, aut pro Defunctis, quas infra hanc Octavam Nativitatis prohibuit *Sacra Rituum Congregatio, ſub die* 25. *Septemb.* 1706. & confirmavit hujuſmodi prohibitionem *anno* 1714. *ſub. die* 15. *Septembris*, approbante Clemente Undecimo *die* 29. *ejuſdem Menſis & Anni*. Itaque non ſunt amplius quoad hoc ſequendi illi Auctores, qui cùm ante Decretum dictarum Miſſarum prohibitivum ſcripſerint, eas infra hanc Octavam admiſerunt, prout debebant, inter quos Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *numer.* 3. *ſub lit.* O. *circa fin.* & iterum *d. par. tit.* 12. *num.* 4. *lit. d.* ac etiam Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 14. In eodem tamen Decreto ut ſupra confirmato conceduntur Miſſæ Votivæ ſolemnes pro re gravi infra hanc eamdem Octavam celebrandæ: ſed præſcribitur, ut in eis dicatur Præfatio juxta Rubricam generalem *titul.* 12. *ſub num.* 4. Ex qua Rubrica neſcio quomodo inferat Præfationem Nativitatis Piſart *de Cæremon. Eccleſ. pag.* 12. & poſt Turrin. *in Dictor. Sacrifican. pag.* 211. cùm præcitata Rubrica ſic habeat: *In Miſſis Votivis dicitur etiam Præfatio propria, ſi propriam habeant*: ergo Præfatio Votivæ propriam habentis, non neceſſariò & illativè Nativitatis dicenda eſt. 141

In dictis Votivis Miſſis ſolemnibus propriam habentibus Præfationem dicitur nihilominùs *Communican-* 142

nicantes de Nativitate: non ſunt enim ita ſimul hæc duo conjuncta, ut unum manere non poſſit ſine alio: & hoc legitimè infertur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis de die 28. Auguſti 1627. in quo dicitur, quòd ſeparari poteſt & debet *Communicantes* à ſua Præfatione infra illam Octavam Aſcenſionis: & ratio eſt, quia *Communicantes* habet infra illam Octavam quaſi rationem de tempore, ait Gavantus *tom.* 1. *tit.* 12. *num.* 5. *lit. g.* Et quod in Miſſis Votivis, propriam Præfationem habentibus, & infra Octavam etiam Nativitatis celebrandis dici debeat *Communicantes* de Octava, expreſsè tenet Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 14. *verſ. Ad caſum*, & hoc, licèt non ſolùm non dicatur Præfatio Nativitatis, ſed neque fiat ejus commemoratio, quia Votivæ non correſpondent Officio, ut dicit Rubrica Miſſalis *tit.* 13. *ſub num.* 5. & benè notat Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 4. *dub.* 1. *pag.* 49. *juxta editionem Venetam de Anno* 1727. ubi addit, quod commemorationes, quæ omitti non poſſunt, fiunt in altera Miſſa Conventuali, ſeu de Die. Sic Rhodigii in Diœceſi Adrienſi, ubi Epiſcopus reſidet ratione ſanioris aeris, die trigeſima prima Decembris cantatur ex Voto Civitatis Miſſa Votiva de Beata Maria ad Altare SS. Roſarii in Eccleſia Patrum Prædicatorum, & in dicta Miſſa dicitur quidem Præfatio *Et te in Feſtivitate*, ſed *Communicantes* Nativitatis.

Poteſt etiam in hoc Feſto S. Thomæ cantari una Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, præſente Corpore: non tamen in Anniverſario Defunctorum, quia cùm hæc Octava Nativitatis ſit privilegiata, infra hujuſmodi Octavà non poſſe cantari Miſſas de *Requiem* in Anniverſario, declaravit *Sacra Rituum Congregatio in Colken. ſub die* 1. *Julii* 1698. *in reſponſione ad nonum Dubium*. Prohibitio verò Miſſarum privatarum pro Defunctis, de qua ſuprà, non tollit vim Privilegio Apoſtolico Altaribus conceſſo, ſed Miſſæ de Die ad hujuſmodi Altaria celebratæ ſuffragantur perindè ac ſi celebratæ fuiſſent pro 143

Defun-

Defunctis, juxta formam Privilegiorum, ut dixit *Innocentius Undecimus in Conſtitut. quæ incipit*: Aliàs poſtquam, *edita ſub die 4. Maji* 1688. apud Monacell. *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 16. *form.* 6. *num.* 6. *pag.* 330. ubi licèt inter Octavas privilegiatas ibi expreſſas non nominet iſtam Nativitatis, quæ tunc temporis non erat quoad hoc privilegiata, addit tamen, *aliiſque Anni diebus, quibus, licèt à Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum* (privatæ) *juxta ritum & morem Eccleſiæ ac Rubricas celebrari nequeunt*: ex quibus verbis Pontifex habuit in mente legem ſuam etiam in tempus futurum ſervandam quoad nova Decreta, prout eſt illud ſuperiùs citatum pro Octava Nativitatis, privatas Miſſas de *Requiem* non admittens.

Ubi verò Feſtum S. Thomæ eſt duplex ſecundæ claſſis, vel alicubi apud Regulares occurrat hodie Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, quæ ab ipſis ſub eodem ritu ſecundæ claſſis celebratur ex Decreto *Sacræ Rituum Congregationis ſub die* 1. *Aprilis* 1662. confirmato *in Tarviſina* 1702. 11. *Februarii, ad ſecundum Dubium*, ibi ad Laudes, & Miſſa fit commemoratio non ſolùm Nativitatis, ſed & aliarum trium Octavarum, quia ſic pariter fit in tribus præcedentibus Feſtis eumdem ritum duplicem ſecundæ claſſis habentibus, unde quoad Eccleſia particularis ſe debet conformare cum Eccleſia Univerſali. Attamen ſi S. Thomas ſit Titularis, vel apud Clerum Sæcularem occurrat hac die Dedicatio Eccleſiæ, cùm utrumque Feſtum ſit duplex primæ claſſis, omiſſis in Laudibus & in Miſſa commemorationibus trium Octavarum, ſit tantùm illa de Nativitate, ut clarè infertur ex Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 6. *ſub n.* 11. & ex Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. ac etiam ex Bauldryo *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 37. Quòd ſi in Feſto S. Thomæ occurrat Dominica, in Eccleſia Univerſali fiet integrum Officium & Miſſa de eadem Dominica, ut inferiùs ſuo loco dicemus, ubi etiam de Feſto duplici occurrente in ea, &

de

de Initio Epiſtolæ Paulinæ *ad Romanos* tunc impedito & reponendo

Veſperæ in Feſto ſemiduplici S. Thomæ ſunt de Nativitate, Capitulum vero erit, prout die ſequenti fiet Officium, nam ſi cras agendum fuerit de Dominica infra Octavam, dicetur Capitulum de Dominica, cum commemoratione S. Thomæ, & quatuor Octavarum: Quod ſi Feſtum Sancti Thomæ venerit in Feria ſexta, Capitulum erit de Nativitate, cum commemoratione S. Thomæ, & trium Octavarum: At ſi in Feſto S. Thomæ occurrat Dominica, Capitulum fiet de Dominica, cum commemoratione S. Thomæ ſequentis, tunc in Feria ſecunda celebrandi, & quatuor Octavarum: & ita quidem in Eccleſia Univerſali. In Eccleſia verò particulari nonnulla poſſunt occurrere varianda in his Veſperis. 145

Prima igitur Veſperarum particularium varietas conſideranda venit in Feſto S. Thomæ tamquam ſemiduplici. Itaque ſi cras occurrat alicubi Feſtum duplex majus vel minus, ut Aquilejæ & Concordiæ in Foro Julii, ac Tergeſte in Hiſtria occurrit Feſtum duplex minus S. Nicephori Martyris, nec non & Firmi in Marchia Anconitana fit de Feſto duplici minori S. Sabini Epiſcopi & Martyris, ſicuti etiam in pluribus Hiſpaniarum Urbibus, ut Abulæ, Legione, &c. celebratur Feſtum duplex majus Translationis S. Jacobi Apoſtoli: ibi Antiphonæ & Pſalmi duplicantur de Nativitate, cum Capitulo Feſti ſequentis, & cum commemoratione S. Thomæ præcedentis, & quatuor Octavarum: & ſi cum Feſto ſequenti occurrat, vel fiat de Dominica infra Octavam, poſt Orationem de Feſto duplici fit priùs commemoratio Dominicæ, deinde S. Thomæ, & quatuor Octavarum: ſi verò die vigeſima nona veniat Dominica, prima commemoratio eſt de ea, deinde quatuor Octavarum, & Feſtum S. Thomæ transfertur poſt Octavam Epiphaniæ in primam diem non impeditam. Quòd ſi cras alicubi occurrat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, ut apud Regulares in aliqua Civitate poteſt occurre- 146

re Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, Capitulum Veſperarum erit hodie de Feſto ſequenti, cum commemoratione quatuor Octavarum, non verò S. Thomæ præcedentis: & ſi cum Feſto ſequenti occurrat, vel fiat de Dominica infra Octavam, fit commemoratio de ea ante commemorationem S. Thomæ: ſi verò die vigeſima nona occurrat Dominica, Capitulum erit quidem de duplici ſecundæ claſſis ſequenti, cum commemoratione quatuor Octavarum, ſed non Dominicæ præcedentis, quia licèt Octava Nativitatis ſit privilegiata quoad commemorationem in quibuſvis Veſperis, non tamen eſt privilegiata Dominica infra eam occurrens, & ideo ſubjacet Rubricis generalibus *tit. 9. de Commemor. ſub num. 7.* ac etiam *tit. 11. de Concurren. ſub num. 4.* in quibus Rubricis prohibetur commemoratio Dominicæ, ſi concurrat cum ſequenti Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis: & in tali caſu S. Thomas transfertur, ut ſupra.

Ubi autem Dedicatio Cathedralis eſt duplex primæ claſſis, ut apud Clerum Sæcularem, ſi die trigeſima agendum ſit de ea, hodie in Veſperis Capitulum erit quidem de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ ſi ſequatur, & Nativitatis, non S. Thomæ, non Dominicæ ſi præcedat, non denique trium aliarum Octavarum. Quòd ſi hodie fiat de Dedicatione ſub ritu duplici primæ claſſis, & ſimul occurrat Dominica, Capitulum Veſperarum erit de Dedicatione, cum commemoratione Nativitatis, ſed prius Dominicæ, & tertio loco S. Thomæ ſemiduplicis, ſi fiat de eo in feria ſecunda ſequenti: quæ quidem commemoratio S. Thomæ poteſt omitti in Cathedrali in Veſperis ſolemnibus, non autem in Eccleſiis per Civitatem, quia licèt Gavantus dicat abſolutè, quòd in ſecundis Veſperis ſolemnibus de Feſto duplici primæ claſſis omitti poteſt commemoratio de Feſto ſemiduplici ſequenti, eum tamen intelligendum cenſeo de Eccleſia, in qua principaliter celebratur illud Feſtum duplex primæ claſſis, quia ibi revera eſt integra Solemnitas, non autem de omnibus aliis Eccleſiis 147

ſæcu-

ſæcularibus, quæ exiſtunt in Civitate, in quibus
licèt occurrat idem ritus, non tamen eſt eadem
ſolemnitas.

Secunda verò Veſperarum particularium varietas 148
ſtat in Feſto S. Thomæ tamquam duplici. Ubi igi-
tur Feſtum S. Thomæ eſt duplex minus, prout eſt
in duabus Congregationibus Regularibus, Latera-
nenſi ſcilicet & Ciſtercienſi, Antiphonæ & Pſalmi
dicuntur de Nativitate, ſed Capitulum de S. Tho-
ma, cum commemoratione Dominicæ præcedentis
vel ſubſequentis, ſi occurrat, vel Diei ſequentis
infra Octavam Nativitatis, ſi cras agendum ſit de
tali Officio, additis commemorationibus quatuor
Octavarum in primo caſu, vel trium in ſecundo.
At ſi in aliqua Eccleſia unius ex memoratis dua-
bus Congregationibus Regularibus cras occurrat
propria Dedicatio, cui convenit ritus duplex pri-
mæ claſſis, Capitulum erit de ſequenti Dedicatio
ne, cum commemoratione Dominicæ craſtina die
occurrentis, & Nativitatis, non verò Dominicæ
præcedentis, ſed neque de S. Thoma, licèt ibi ri-
tum habeat duplicem minorem, & hoc ex vi Ru-
bricæ generalis *tit.* 9. *de Commemor. ſub num.* 4. &
clariùs in Tabella *de Concurren. ſub numer.* 1. ubi
ordinatur totum de ſequenti, nihil de præcedenti:
Quòd ſi in una ex prædictis Eccleſiis cras occurrat
Dedicatio Cathedralis, quæ apud Regulares cele-
bratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, poſt Ora-
tionem Dedicationis fit commemoratio S. Thomæ
duplicis minoris, & Dominicæ ſequentis, ac qua-
tuor Octavarum, non verò Dominicæ præcedentis,
ſi in Feſtum S. Thomæ incidat.

Si tamen hodie fiat de Feſto S. Thomæ ſub ritu 149
duplici, & cras ibidem de alio Feſto duplici, ut
Toleti in Caſtella nova Hiſpaniarum die vigeſima
nona fit de S. Thoma ſub ritu duplici minori, die
verò trigeſima de Translatione S. Jacobi Apoſtoli
duplici majori, in hodiernis Veſperis, Capitulum
eſt de Translatione, cum commemoratione S. Tho-
mæ, & Dominicæ, ſi præcedat vel ſequatur, ac
quatuor Octavarum. Attamen occurrente hodie Fe-

ſto S. Thomæ ſub ritu duplici minori, cras verò Feſto duplici ſecundæ claſſis, ut Compoſtellæ in Gallicia die vigeſima nona fit de S. Thoma ſub ritu duplici minori, & die trigeſima celebratur memorata Translatio S. Jacobi Apoſtoli ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, fiunt ibi Veſperæ à Capitulo de dicta Translatione, cum commemoratione Sancti Thomæ duplicis, & Dominicæ ſi ſequatur, non tamen ſi præcedat, deinde quatuor Octavarum. Si denique S. Thomas ſit Titularis Eccleſiæ, ut ſupra diximus eſſe Patavii in Eccleſia Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, & ſit conſequenter duplex primæ claſſis, Capitulum de hodiernis Veſperis erit S. Thomæ, cum commemoratione Dominicæ ſimul occurrentis vel ſubſequentis, ſi Feſtum S. Thomæ veniat in Sabbato, & Nativitatis, non aliarum trium Octavarum.

§. X.

De Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

TRibus dumtaxat diebus poteſt hæc Dominica occurrere, & de ea fieri vel integrum Officium, vel ſaltem nona lectio & commemoratio, ſcilicet, vigeſima nona, trigeſima, & trigeſima prima ſeu ultima Decembris: Dominica enim, quæ ante hoc triduum occurrit, dicitur *vacans*, quia omninò caret Officio, ut ſupra propriis locis adnotavimus. Ut autem aliquid de antiquo tangamus, hæc Dominica vocabatur *Officium*, *Dum medium ſilentium*, ſumpto nomine ex primis verbis poſitis in Introitu Miſſæ: ita vocat Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 3. *cap.* 23. ita vocat Micrologus *de Eccleſiaſt. Obſervat. cap.* 37. & meminit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 4. *num.* 1. ac ex recentioribus Grancolas *in Comment. ad Breviar. Roman.* 150

man. cap. 22. *pag.* 234. ubi etiam ait, quòd per verba illa: *Dum medium ſilentium*, deprompta ex *cap.* 18. *Sapientiæ*, nos docet Eccleſia, quòd ſicut Deus mediæ noctis tempore Populum ſuum ab Ægypti captivitate liberaverat, ita etiam media nocte per incarnationem Verbi Populum ſuum à ſervitute peccati liberavit.

Quia tamen hæc Dominica quibuſdam diebus eſt vacans, ne umquam vacet quoad Officium, aſſignata eſt ei pro caſibus etiam non feſtivis dies trigeſima Decembris tamquam dies fixa, in qua univerſaliter agendum ſit de ea cum ſuo ritu ſemiduplici, tamquam ſi occurreret. Itaque præter ejus diem feſtivum, in quem interdum dicta dies trigeſima incidit, adhuc eadem die fieri debet Officium de hac Dominica, quotieſcumque in ſæpè memorata die trigeſima occurrat Feria tertia, vel quarta, vel quinta, aut ſexta: & ideo Rubrica tum Breviarii, tum etiam Miſſalis eam ponit ſtatim poſt Feſtum S. Thomæ, quia plerumque celebratur dicta die trigeſima, quæ immediatè ſequitur dictum Feſtum. Hæc autem dies trigeſima non eſt ſedes ſolius Dominicæ, ſed modò eſt Dominicæ, modò S. Thomæ translati, & modò Diei infra Octavam Nativitatis: de quibus omnibus hoc loco eſt differendum: & primò quidem de Dominica, non ſolùm quia nobilior eſt, ſed etiam quia ſæpè celebratur in dicta die trigeſima, & quia, ſequendo Rubricam, eſt prima in ordine trium horum Officiorum. 151

Itaque Dominica infra Octavam Nativitatis celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore albo: Quoad ejus Officium, nihil ſumit de Pſalterio, ut fit in Dominicis infra Octavas communes occurrentibus: ſed omnia dicuntur, ut in Die Nativitatis, exceptis Lectionibus trium Nocturnorum, aliiſque propriis claro ordine diſpoſitis in Breviario. Ad Laudes fit commemoratio quatuor Octavarum: ſine Suffragiis, quæ ſi non dicuntur in Dominicis infra Octavas non privilegiatas, multo minus dicenda ſunt in hac Dominica. Ad Primam omittitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum S. Athanaſii *Quicum-* 152

que : & ad Reſponſorium breve dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, ſine Precibus Dominicalibus, & cum clauſula Hymnorum *Jeſu tibi ſit gloria* ad omnes Horas.

Miſſa hujus Dominicæ infra Octavam Nativitatis occurrentis eſt propria, in qua & *Gloria*, & commemoratio quatuor Octavarum, & *Credo*, & Præfatio Nativitatis cum ejus *Communicantes*. In Eccleſiis verò Ritus Ambroſiani dicitur in hac Dominica etiam noſtris temporibus alia Præfatio, quam ex particulari illius moris Miſſali fideliter tranſumptam volumus hìc extendere, & eſt ſequens, brevis quidem, ſed ſcitu digna, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ſuppliciter implorantes, ut Filius tuus Jeſus Chriſtus, qui ſe uſque in finem ſæculi ſuis promiſit Fidelibus affuturum, & præſentia corporalis myſteriis non deſerat quos redemit, & Majeſtatis ſuæ beneficiis non derelinquat. Quem laudant Angeli, atque Archangeli, &c.* 153

Quia tamen antiquitùs recitabatur in Eccleſia Dei Præfatio diverſa in hac Dominica, ut videre eſt in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pagina decima quarta, etiam iſta hoc proprio loco ponitur per extenſum, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccato primi Parentis hominem à ſalutis finibus exulantem, pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocaſti, mittendo nobis Unigenitum Filium Dominum & Salvatorem noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Benedictio verò Epiſcopalis, quæ, attenta priſca Eccleſiæ conſuetudine, tribuebatur Populo intra Miſſam, ut ſupra diximus in Nocte Nativitatis Domini, in hac Dominica infra Octavam erat ea, quæ ſequitur, nempè: *Deus, qui Unigenitum ſuum miſit, ut Mundum ſalvaret: ejuſdem ſalutis vos participes efficiet, & in ea perſeverabiles reddat.* Amen. *Iram, quæ ſuper infideles manet, à vobis amoveat.* Amen. 154

Spiri-

Spiritum Filii ſui vobis attribuat, ejuſque donis vos affatim exuberare concedat. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de S. Stephano.

Si hæc Dominica infra Octavam occurrat die vigeſima nona, vel trigeſima Decembris, in Eccleſia Univerſali fit Officium de eadem Dominica. Attamen ſi in una ex prædictis duabus diebus occurrat alicubi Feſtum duplex, licèt primæ claſſis, legitur in eo nona Lectio Dominicæ occurrentis ad Matutinum, & fit in Laudibus commemoratio de ea, ac etiam in Miſſa, in cujus fine recitatur Evangelium ejuſdem Dominicæ. Idem dicendum, ſi die trigeſima fiat de dicta Dominica, non ſolùm quando occurrit in die feſtivo, ſed etiam quando occurrit eo die Feria tertia, vel quarta, vel quinta, aut ſexta, nam in qualibet ex dictis quatuor Feriis agendum erit de eadem Dominica infra Octavam: ſed illud notandum, quòd in dictis quatuor Feriarum occurrentiis, hæc Dominica licèt non feſtiva, non tamen recipit duplex translatum, ſed tantùm occurrens, quia Dominica in hujuſmodi caſibus conſideratur tamquam in propria ſede, & in die fixa ac propria: unde ubi habetur translatum Feſtum duplex S. Anaſtaſiæ, quod occurrebat in Die Nativitatis Domini, & nullum ibi occurrit hodie duplex Officium, non reponitur hac die dictum Feſtum S. Anaſtaſiæ: unde ubi hodie occurrit Feſtum duplex, ut Aquilejæ in Foro-Julii Feſtum S. Nicephori Martyris, vel Firmi in Marchia Anconitana Feſtum S. Sabini Epiſcopi & Martyris, vel in omnibus ferè Diœceſibus Hiſpaniarum Translatio S. Jacobi Apoſtoli, ibi fit nona lectio & commemoratio Dominicæ, cum ejus Evangelio in fine Miſſæ. 155

At quia infra hanc Octavam Nativitatis non dicuntur Miſſæ Votivæ privatæ, neque de *Requiem*, ut ſupra diximus in Feſto S. Thomæ cum citatione Decreti prohibitivi, cautè idcircò legendus Gavantus, qui *tom. 1. par. 1. tit. 4. num. 3. lit. O. circa fin.* tenet, quòd exceptio Miſſarum Votiva- 156

tum in Dominicis, expreſſa in Rubrica in fine Miſſalis, non habeat locum in hac Dominica infra Octavam, quando celebratur die trigeſima non feſtiva in Feria tertia, vel quarta, vel quinta, aut ſexta, ea ratione, quia verba Rubricæ ſonant ipſum Diem Dominicum, qui colitur à Populo, cui non convenit Miſſa Votiva privata. Hæc ille, ſed quod ſuo tempore verificabatur, nunc temporis non eſt ampliùs admittendum ex nova Lege Votivarum privatarum excluſiva infra hanc Octavam. Quod autem dictum eſt de cauta lectione Gavanti circa hanc Dominicam, intelligendum eſt de aliis Auctoribus illum quoad hoc ſequentibus, & præſertim de Arnaudo *Epithom. tract. 1. part. 1. titul. 4. num. 4.*

Quia verò in hac Dominica infra Octavam Nativitatis ponitur in primo Nocturno *Initium Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos*, neceſſe eſt, ut aliquid ſuper hoc dicamus, cùm non ſemper legi poſſit propria die. In Eccleſia itaque Univerſali unicus tantùm datur caſus impedimenti, plures tamen in Eccleſiis particularibus. Et quidem in Eccleſia Univerſali tunc anticipatur dictum *Initium*, quando Dominica occurrit in Feſto S. Silveſtri; nam eo caſu ponitur Initium in Sabbato præcedenti, ut præſcribit Rubrica Breviarii ſtatim poſt Officium Dominicæ, de quo nos infra dicemus, cùm de Die infra Octavam Nativitatis ſermo erit. Extra verò Eccleſiam Univerſalem ponendum eſt præfatum Initium in Feria ſecunda, ubi Feſtum S. Thomæ celebratur ſub ritu duplici, & occurrit in Dominica, ut apud Regulares Lateranenſes & Ciſtercienſes, & etiam quoad hoc dicemus infra proprio loco. Quòd ſi alicubi die vigeſima nona Decembris occurrat in Dominica Feſtum duplex proprias habens Lectiones primi Nocturni, *Initium* Dominicæ non erit ponendum in Feria ſecunda, ſi in ea fiat de Feſto S. Thomæ quod fuit heri, ſed legetur in Feſto S. Silveſtri tunc occurrentis in Feria tertia. Idem dicendum, ſi die trigeſima occurrat Dominica in die feſtivo, ſive fiat de ea tamquam in die fixa feriali, & ſimul 157

agen-

agendum ſit de ſimili Feſto duplici cum lectionibus primi Nocturni propriis, nam & in hoc caſu Feſtum S. Silveſtri erit locus hujus *Initii*.

Guyetus tamen *in Heortolog. lib. 4. cap. 18. queſt. 9. pag. 287. juxta editionem Venetam*, tollit à Feſto S. Thomæ lectiones tamquam proprias *A Mileto*, & ponit earum loco prædictum *Initium Epiſtolæ, ad Romanos*, ſuppoſito, quòd die trigeſima Decembris occurrat Dominica impedita ab Officio duplici cum lectionibus propriis in primo Nocturno, & dato ſimul, quòd die trigeſima prima ſimile Feſtum ſit celebrandum. Et ut rite & recte fundata ſit ejus opinio, eam confirmat exemplo Breviarii. In Feſto enim SS. Angelorum Cuſtodum (ait) lectiones primi Nocturni ſunt omninò propriæ, & nihilominùs ibi habetur Rubrica, in qua dicitur, quòd dictæ lectiones propriæ omittuntur eo anno, quo in præcedentibus diebus non potuit legi *Initium Libri Eſther*: Ergo à pari, omittuntur lectiones *A Mileto* in Feſto S. Thomæ, quando non poteſt alia die legi *Initium Epiſtolæ ad Romanos*. Hæc ille: &, ut veritatem fatear, hæc opinio mihi probatur, nam & paritas currit, licèt ampliùs non currat illa Rubrica, quæ tunc obſervanda erat, quando Officium SS. Angelorum Cuſtodum poterat celebrari prima die Octobris, in qua interdum occurrit Sabbatum pro repoſitione dicti *Initii Eſther*: ſed poſtquàm aſſignata fuit dies ſecunda ejuſdem Octobris præfato Officio SS. Angelorum, remanente nihilominus paritate, caſus repoſitionis evanuit, nam in quamcumque feriam incidat dicta dies ſecunda, *Initium Eſther* lectum fuit in Eccleſia Univerſali, vel occurrit infra Hebdomadam primam Octobris: In Eccleſia verò particulari, ſi dies ſecunda veniat in Feria ſexta debent haberi tria Officia ſpecialia cum lectionibus propriis in primo Nocturno, antequàm *Initium Eſther* reponatur in Feſto SS. Angelorum, nempè, die vigeſima ſeptima in ipſa Dominica quinta Septembris, die vigeſima octava in Feria ſecunda, & die prima Octobris in Feria quinta. Si verò eadem dies ſecunda occurrat in Sabbato, deſideran-

derantur quatuor Officia particularia dictum *Initium Eſther* non admittentia, ſcilicet, die vigeſima ſexta in Dominica quinta ſeptembris, die vigeſima ſeptima in Feria ſecunda, die vigeſima octava in Feria tertia, & die prima Octobris in Feria ſexta: quæ quidem Officia inveniri videtur ferè impoſſibile.

Non video tamen, cur in caſu Guyeti ſupra poſito non poſſit poni *Initium Epiſtolæ ad Romanos* in Die Octava SS. Innocentium: nam ſi dicatur, quòd poneretur *Initium* poſt inceptam Epiſtolam in Die Circumſionis: reſpondeo, quòd illæ lectiones Circumciſionis non conſiderantur de ſcriptura occurrente, ſed ut propriæ, tamquam ad rem loquentes de eadem Circumciſione, ita ut niſi hoc tempore legeretur de hac Epiſtola, adhuc, meo judicio, eſſent ea die poſitæ propter convenientiam cum Feſto: Et quod fatetur Guyetus, ne in Die Circumciſionis ponatur *Initium*, ego cenſeo, ne conſiderentur Scripturales: ait enim d. lib. 4. cap. 18. quæſt. 9. *Lectiones in Die Circumciſionis ita ſunt de Scriptura, ut ſint nihilominùs propria Feſti*. Unde Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap. 24. in fine*, ſic habet: *Prætermittendum non eſt, inopinatò accidiſſe, ut prima tres lectiones de Circumciſione abſque ullo delectu diſpoſita, illius Diei myſteriis convenirent*; dum ergo fatetur convenire, facit proprias: licèt in eo erret, quòd ſine delectu ſint diſpoſitæ, nam quàmvis ſint ſucceſſiva Capita Epiſtolæ, non ſunt tamen ſucceſſivi Epiſtolæ Numeri, ſed imò cum delectu ſunt poſitæ, ut clarè patet ex Sacris Bibliis: Prima enim Lectio in Officio Circumciſionis ſumitur ex Capite tertio ejuſdem Epiſtolæ à numero primo ad numerum ſextum incluſivè: Secunda verò Lectio patenter demonſtrat delectum, nam omiſſis viginti duobus Numeris præfati Capitis tertii, qui ad rem non faciunt, incipit a numero vigeſimo nono ejuſdem Capitis, deinde includit Caput quartum à numero primo uſque ad numerum ſeptimnm incluſivè: quod mihi ſufficit ad oſtendendum delectum. Si ergo ſunt ſelectæ, ad hoc

hoc ut eſſent propriæ, ergo non conſiderandæ tamquàm de proſecutione Epiſtolæ: ergo poſt eas poni poteſt dictum *Initium ad Romanos* in caſu Guyetis, ſcilicet in Die Octava SS. Innocentium, nam & Lectiones eo die poſitæ, nihil habent cum Innocentibus: quod dictum ſit, ſalva ſemper meliori opinione, & ad favorem S. Thomæ, ut habeat in
159 primo Nocturno ſuas aſſignatas Lectiones, quoad fieri poteſt.

Caſum denique de tribus Feſtis propriis illo triduo occurrentibus, nempè die vigeſima nona, trigeſima, & trigeſima prima Decembris, in quibus omnibus habeantur in primo Nocturno Lectiones propriæ, noluiſſe proponere fatetur Guyetus *d. lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 9. *in fine*, ratus nihil hujuſmodi ullibi contingere: ſi tamen contingat, ſentit ex ſuperiùs dictis, ponendum itidem in aliquo illorum prædictum *Initium Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos*, omiſſis aliis Lectionibus ſive propriis ſive de Communi aſſignatis. Huic opinioni potiùs adhæreo, ſed & in hoc caſu poni poſſet in Die Octava SS. Innocentium, ut ſupra dixi. Caſus autem Guyetanus mihi non videtur difficilis inventu, ut ipſe putat, nam Toleti in Caſtella nova Hiſpaniarum, & Compoſtellæ in Gallicia fit die vigeſima nona de Feſto S. Thomæ ſub ritu duplici minori, cum Lectionibus *A Mileto*, ut in Eccleſia Univerſali: die verò trigeſima celebratur Translatio S. Jacobi Apoſtoli ſub ritu duplici majori, & reſpectivè ſecundæ claſſis. Non eſt tamen difficile, quòd in aliqua Eccleſia unius ex prædictis duabus Civitatibus vel Diœceſibus vel occurrat die trigeſima prima Dedicatio propria, vel S. Silveſter ſit Titularis. In quamcumque ergo ex dictis tribus diebus occurrat Dominica, juxta Guyetum ponitur *Initium* in Feſto S. Thomæ, ſed ego ponerem, ut ſupra dixi, in dicta Die Octava SS. Innocentium. 160

Explicatis, ea, quà potuimus, claritate, quæ ad Dominicam ejuſque *Initium* ſpectabant, nunc ad ſecundum Officium, quod die trigeſima interdum occurrat, deveniendum eſt, de quo ſuperiùs innuimus. 161

mus. Eſt itaque Feſtum S. Thomæ, quod, ſi occurrat in Dominica infra Octavàm, tranſferendum eſſe in Feriam ſecundam immediatè ſequentem non impeditam, nempè in diem trigeſimam Decembris, clarè patet ex Rubrica tam Breviarii, quàm etiam Miſſalis, ſtatim poſita ante Feſtum S. Thomæ. Officium verò fit, ut ſupra diximus in propria die, cum commemoratione quatuor Octavarum in Laudibus, & in Miſſa. Hæc autem Miſſa de Feſto ſemiduplici etiam translato adeò neceſſariò dicenda eſt, ubi nullum aliud occurrit Officium, ut nulla hodie dici poſſit Miſſa Votiva privata, aut de *Requiem*, non quidem ratione Feſti, ſed ratione Octavæ, quæ etiam quoad hoc eſt privilegiata ex nova Lege à Sacra Rituum Congregatione emanata *anno* 1706. *ſub die* 25. *Septembris*, & confirmata *ſub die* 15. *Septembris* 1714. approbante Clemente Undecimo *ſub die* 29. *ejuſdem Menſis & anni*: ubi etiam dicitur, Votivas ſolemnes poſſe cantari, cum Præfatione propria ſi habeant: ita ibi, ſed cum *Communicantes* de Octava, ut infertur ex Octava Aſcenſionis.

Ubi autem habetur duplex etiam primæ claſſis 162
translatum, non raponitur die trigeſima in Feria ſecunda, quia Feſtum ſemiduplex S. Thomæ, quod occurrebat in Dominica infra Octavam, tantum habet juris in dicta Feria ſecunda non impedita, ut nulli cedat Feſto duplici translato, nam hæc Dies reputatur in hoc caſu tamquam firma & fixa, ut fuſiùs diximus in Feſto SS. Innocentium, contra Gavantum, excuſatum tamen, quia ſcripſit ante Decretum ibidem citatum & à nobis relatum ex integro *tom. 2. in Dom. infr. Oct. Aſcenſ.* Quòd ſi alicubi prædicta die trigeſima occurrat Feſtum etiam ſemiduplex, fit de eo, nam ſi poteſt fieri de ſemiduplici quod fuit heri in Dominica, majori ratione fiet de ſemiduplici quod hodie occurrit: Neque mireris, quod infra hanc Octavam cæteroquin in multis privilegiatam admittatur Feſtum ſemiduplex, non ſolùm occurrens, ſed etiam translatum, quia Schola Nativitatis Chriſti eſt Officina Humilitatis,

ut

ut ex S. Auguſtino ait Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 2. At quia ubi militat eadem ratio, eadem regula utimur, nam caſus identitas eàdem lege reſolvitur, ideo, ſi ubi Feſtum S. Thomæ eſt duplex, occurrat ibidem eadem die aliud Feſtum ſemiduplex, & ſit Dominica, illud ſemiduplex particulare erit reponendum in dicta Feria ſecunda non impedita, cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio in paritate caſus. Impedita verò alicubi Feria ſecunda à quovis Feſto occurrente, ut Firmi in Marchia Anconitana, ubi die trigeſima ſit de S. Sabino Epiſcopo & Martyre, ibi Feſtum S. Thomæ ſemiduplex transfertur in primam diem non impeditam poſt Octavam Epiphaniæ.

Licèt paucis verbis locuti ſimus de ſecundo Officio in die trigeſima interdum celebrando, quia tamen forſan principaliora, ut putamus, diximus, ſatis ſuperque credimus dixiſſe: Unde de tertio Officio, quod dicta trigeſima die aliquando occurrit, modò eſt differendum. Caſus autem hujus tertii Officii eſt unicus in Eccleſia Univerſali, & etiam rarus; quia ſolummodò in occurrentia Sabbati, imò & rariorem quandoque facit Annus Biſſeſtilis propter additionem diei in Menſe Februario. In Eccleſia verò particulari bis poteſt contingere; non tamen eodem Anno, ut inferiùs dicetur. Occurrente igitur die trigeſimà Decembris in Sabbato, hoc tertium Officium erit de Die infra Octavam Nativitatis Domini, ut præſcribit utraque Rubrica, Breviarii ſcilicet & Miſſalis, ſtatim poſt Feſtum S. Thomæ. Hoc tamen tertium Officium, quod diximus raro contingere celebrandum, numquam alicubi celebratur, nam ubi die trigeſima occurret Feſtum etiam ſemiduplex, ibi numquam fit de dicta Die infra Octavam, cùm Rubrica veniat intelligenda de Sabbato non impedito, prout non eſt in Eccleſia Univerſali. 163

Officium itaque de Die infra Octavam Nativitatis in Sabbato fit ſub ritu ſemiduplici in colore albo. Ad Matutinum omnia dicuntur, ut in Die 164

Nati-

Nativitatis. Lectiones tamen primi & ſecundi Nocturni, nempe *Initium* Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*, & ſermo S. Leonis Papæ *Excedit quidem, dilectiſſimi*, cum ſuis Reſponſoriis, ſumuntur ex Dominica ſequenti infra Octavam impedita à Feſto S. Silveſtri. In tertio verò Nocturno legitur Homilia S. Ambroſii Epiſcopi, incipiens: *Vides feſtinare Paſtores*, in Evangelium *Paſtores loquebantur ad invicem*, cum Reſponſoriis ibidem poſitis: quæ Homilia habetur in Breviario immediatè poſt Officium dictæ Dominicæ infra Octavam. Ad Laudes omnia itidem dicuntur, ſicut in Nativitate, & poſt Orationem fit commemoratio de S. Stephano, & de reliquis Octavis. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*: & ad omnes Horas, quæ ſimiliter dicuntur ſicut in Nativitate Domini, clauduntur Hymni cum Strophe *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* Miſſa eſt propria de Die infra Octavam Nativitatis, in qua dicitur *Gloria*, fit commemoratio trium Octavarum, cum *Credo*, & cum Præfatione, ac *Communicantes* de Nativitate. Quia tamen hæc Octava non admittit Votivas privatas, neque pro Defunctis, ut patet ex ſuperiùs dictis in Feſto S. Thomæ, ideo hæc Miſſa de Die infra Octavam neceſſariò dicenda eſt, ubi non occurrat hodie aliquod Feſtum etiam ſemiduplex.

Quod ſi die trigeſima, in qua occurrit dictum Officium de Die infra Octavam Nativitatis, occurrat 165 alicubi Feſtum etiam ſemiduplex, fit de eo, cum commemoratione quatuor Octavarum: non tamen fit in hoc Sabbato Feſtum ſemiduplex, quo heri occurrebat in Feria ſexta: Unde ſi die vigeſima nona in aliqua Eccleſia fiat de Feſto duplici ibi occurrente, Feſtum ſemiduplex S. Thomæ non transfertur in hoc Sabbatum, in quo occurrit Officium de dicta Die infra Octavam, nam privilegium Feſti ſemiduplicis transferendi in diem immediatè ſequentem non impeditam infra Octavam, ſpectat dumtaxat ad illud, quod occurrebat in Dominica, quidquid ſentiant alii non rectè intelligentes Rubricam

Bre-

Breviarii *tit.* 10. *de tranſlat. Feſtor. ſub numer.* 5. nempè: *ita ut Feſtum ſemiduplex infra Octavam non transferatur, niſi inproximè ſequentem diem:* putantes, quod hic ſenſus Rubricæ non ſit unitus cum præcedenti de ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam; Quod denique declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Decreto Urbis & Orbis emanato ſub die* 22. *Decembris* 1696. in quo dicitur: *ita tamen, ut nihil penitùs circa ſemiduplicia in Dominicis infra Octavas occurrentia veniat immutandum;* & ut ſciatur quod dicta Rubrica in omnibus & per omnia loquitur ſolùm de ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam, ſtatim ſubditur in dicto Decreto: *pro quibus Generalis Rubrica cap.* 10. *num.* 5. *omnino ſervanda eſt*: ſi ſervanda eſt pro ſemiduplici in Dominica, ergo non eſt ſervanda pro ſemiduplici occurrente in duplici, cùm exceptio firmet regulam in non exceptis. Quod ſi heri in die vigeſima nona occurrebat alicubi Feſtum duplex ſaltem majus, ibique Feſtum S. Thomæ celebretur ſub ritu duplici minori, hodie in Sabbato fieri poteſt de eodem Feſto S. Thomæ, quod fuit heri, dummodò non habeantur ibidem alia Feſta prius translata ejuſdem ritus.

At quia ſupra diximus, præter caſum univerſalis Ecſiæ etiam particulariter ſervandum, ſi nullum obſtet Feſtum occurrens in Sabbato, dari quoque alium ſpecialem agendi die trigeſima Decembris de Die infra Octavam Nativitatis Domini, illum invenit perſpicaciſſimus caſuum particularium inveſtigator Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 7. *pag.* 287. *juxta editionem Venetam de Anno* 1729 Ubi enim Feſtum S. Thomæ celebratur ſub ritu duplici, prout in duabus aliàs citatis Congregationibus Regularibus, Lateranenſi ſcilicet & Ciſtercienſi, ſi occurrat in Dominica, fit utique de eodem Feſto, cum nona Lectione Dominicæ ad Matutinum, & cum ejus commemoratione ad Laudes. Ibi itaque in Feria ſecunda ſequenti non impedita agendum eſt de dicta Die infra Octavam Nativitatis, eo prorsùs modo, quo ſupra diximus agi debe- 166

re

re in Eccleſia Univerſali, quando die trigeſima occurrit Sabbatum. Cùm autem Guyetus ſuum Opus anno 1657. Lutetiæ Pariſiorum ediderit, humillimè poſtmodùm requiſita Sacra Rituum Congregatio, quid agendum in caſu propoſito, ſub die 1. Martii 1681. reſpondit in una Canonicorum Lateranenſium ad ſeptimum Dubium, *Die trigeſima Decembris in Feria ſecunda agendum de Die infra Octavam Nativitatis*.

Cùm autem ex dictis pateat, tria occurrere Officia in die trigeſima Decembris, quæ uno vel altero Anno omnia celebrantur, ex hac Officiorum varietate erunt etiam Veſperæ utique in aliquo variandæ. Et primò quidem in Eccleſia Univerſali: deinde, juxtam diverſam propriorum Feſtorum qualitatem, ordinandæ erunt in Eccleſia particulari. 167 Si ergo die trigeſima occurrat vel fiat de Dominica, in Veſperis de Nativitate fit Capitulum de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ præcedentis, & quatuor Octavarum. Quòd ſi fiat Officium de Die infra Octavam, in Sabbato Capitulum utique erit de S. Silveſtro, cum commemoratione Dominicæ ſequentis, & Nativitatis præcedentis, ac aliarum trium Octavarum. At ſi dicta die trigeſima ſit Feria ſecunda, in qua fiat de Feſto ſemiduplici S. Thomæ, quod heri occurrebat in Dominica, Capitulum Veſperarum dicitur de ſequenti, cum commemoratione S. Thomæ, & quatuor Octavarum. Ad hunc locum tamen ſpectat, quod obſervat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 11. *ſub num.* 39. nempè, quòd in ordine commemorationum poſt Orationem S. Silveſtri videtur, debere fieri priùs commemorationem Nativitatis, deinde S. Thomæ, nam quando Feſtum S. Thomæ occurrit in Feria ſexta, in Veſperis etiam Capitulum eſt de Die ſequenti infra Octavam, & conſequenter commemoratio S. Thomæ fit poſt Orationem Nativitatis: Unde ſicuti in eo caſu Dies infra Octavam habet præcedentiam in Veſperis à Feſto ſemiduplici, ita in caſu noſtro deberet fieri commemoratio Nativitatis ante illam S. Thomæ. At res revera non ita ſe habet: ideoque

que Gavantus peritiſſimus Rubricarum interpres, ingenioſam *loco citato* & pulcherrimam affert inter utrumque caſum diſparitatem, quam uti veriſſimam ſequitur Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 9. *verſ. Quod inſuper pag.* 276. facta enim caſus à caſu diſtinctione, ait, quòd in ratione Officii dividuntur Veſperæ, ita ut ad præcedens Feſtum prima pars ſpectet, ad ſequens verò altera à Capitu-
167 lo: At in ratione ſimplicis commemorationis, putà, quando Semiduplex concurrit cum Duplici infra Octavam Feſti Octavam habentis (ut in noſtro caſu Feſtum ſemiduplex S. Thomæ cum Feſto duplici S. Silveſtri infra hanc Octavam Nativitatis) quia Semiduplex Feſtum ut tale eſt nobilius per ſe loquendo, quàm Dies infra Octavam quæ eſt continuatio Feſti, idcircò fit commemoratio Semiduplicis ante Diem infra Octavam.

Prædicta autem Veſperarum ordinatio ſpectat ad 168
Eccleſiam Univerſalem: Sed in Eccleſiis particularibus dantur aliæ varietates: nam ſi die trigeſima Decembris fiat alicubi de Feſto duplici minori, ut Firmi in Marchia Anconitana fit de S. Sabino Epiſcopo & Martyre ſub ritu duplici minori, in Veſperis de Nativitate Capitulum erit nihilominus de S. Silveſtro, non de illo Feſto duplici particulari, quia in hoc caſu fit diviſio Veſperarum, deinde commemoratio Feſti duplicis minoris præcedentis, & Dominicæ occurrentis vel ſubſequentis ſi occurrat, ac quatuor Octavarum. Ubi verò dicta die trigeſima fiat de Feſto duplici majori, ac Toleti in Caſtella nova Hiſpaniarum fit de Tranſlatione S. Jacobi Apoſtoli ſub ritu duplici majori, Capitulum legitur de dicta Tranſlatione, cum commemoratione S. Silveſtri, & Dominicæ præcedentis vel ſubſequentis, deinde quatuor Octavarum. At ſi alicubi occurrat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, ut Compoſtellæ in Gallicia fit de prædicta Tranſlatione S. Jacobi Apoſtoli, ſed ſub ritu ſecundæ claſſis, ibi Capitulum de occurrente duplici, cum commemoratione S. Silveſtri, & Dominicæ ſequentis ſi occurrat, non verò Dominicæ præcedentis ſi occurrebat, deinde non

ſolùm Nativitatis, ſed etiam aliarum trium Octavarum, ut factum fuit in tribus præcedentibus Feſtis Univeſalibus S. Stephani, & S. Joannis, ac etiam SS. Innocentium.

Ubi autem S. Silveſter eſt Titularis, prout eſt 169
Venetiis in Parochiali & Collegiata Eccleſia eidem dicata, quam conſecravit Alexander Papa Tertius, Antiphonæ quidem ſunt *Tecum principium*, cum Pſalmis de Nativitate, ſed Capitulum de S. Silveſtro, cum commemoratione Dominicæ ſi ſubſequatur, & Nativitatis, non Dominicæ ſi præcedat, non S. Thomæ ſi de eo actum ſit in Feria ſecunda, non denique aliarum trium Octavarum. Quod ſi die trigeſima in Eccleſia, in qua S. Silveſter eſt Titularis agendum ſit de Dedicatione Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, Capitulum in Veſperis erit de Dedicatione tamquam de digniori, cum commemoratione Titularis tamquam minus digni, & Dominicæ ſi ſequatur, non ſi occurrat, deinde Nativitatis, omiſſis aliarum trium Octavarum commemorationibus. At ubi dicta die trigeſima occurrat Dedicatio propria, & cras Dedicatio Cathedralis, utraque in Officio duplici primæ claſſis: vel è contra, hodie Dedicatio Cathedralis, & cras Dedicatio propria: in prima concurrentià Capitulum erit de Dedicatione propria, cum commemoratione Dedicationis ſequentis, & Dominicæ ſi ſequatur, non ſi occurrat, & Nativitatis, non aliarum trium Octavarum: in ſecunda verò concurrentia, Capitulum Veſperarum dicetur de Dedicatione ſequenti, cum commemoratione Dedicationis præcedentis, & Dominicæ, ac Nativitatis, ut ſupra in prima concurrentia. Quod enim inter Dedicationem unius particularis Eccleſiæ, & Dedicationem Cathedralis, maior dignitas danda ſit Dedicationi particulari, ſæpè ſæpius reſolvit Sacra Rota Romana, & ſignanter *in Cæſarauguſtana Dedicationis* 14. *Decembris* 1624. *coram* Manzanedo, *deciſ.* 801. *à num.* 2. *uſq. ad* 5. & ſequendo meminit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 5. *ſub num.* 6.

§. XI.

§. XI.

169 *De Feſto S. Silveſtri Papæ, & Confeſſoris.*

Latitabat Silveſter, ne inveniretur: Quærebat Conſtantinus, ut inveniret. Quia verò non inquirebat perſequendo, factum eſt, ut proſequendo reperiret. Deſcenderat Jeſus de Monte ad eos qui venerant, ut ſanarentur à languoribus ſuis: Ediſcens à Magiſtro Silveſter, deſcendit etiam ipſe de Monte, ut ſanet Conſtantinum: ſcit enim, quòd *in excelſis infirmi eſſe non poſſunt*. Recognoſcit Imperator in Pontifice imagines Apoſtolorum: & benè recognoſcit, quia licèt non ſit Petrus in perſona, eſt revera Petrus in ſucceſſiva Dignitate. Recognoſcit etiam Pontifex in Imperatore incrementum Fidei, quia dum videt Conſtantinus Miracula Eccleſiæ, videt Silveſter Eccleſiæ exaltationem. Effundit igitur medicinam luſtralem, & fugit Lepra. Mundato Imperatore, Pontifex aperit Templa Chriſtianorum antea clauſa, & claudit Fana Gentilium antea aperta. Erigitur ſuper Altaria Crux Chriſti publicè veneranda: & ut una dumtaxat adoretur, omnes aliæ tolluntur. Deſcendit itaque Silveſter, ut erigat Eccleſiam. Sanitas Conſtantino cœlitùs reddita, ſanat itidem Fidem Catholicam ab Arìo infirmatam: ideoque Pontifex damnat Hæreſiarcham, ipſo in Conciliis præſente Imperatore. Lætetur ergo Orbis Terrarum, quia à tanto Pontifice tot Bona provenerunt Catholicæ Fidei. 170

Hoc Feſtum S. Silveſtri eſt præceptivum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici minori in colore albo. Græci agunt de hoc Feſto Kalendis Januarii, ut patet ex eorum Menologio, ubi Elogium, quod per extenſum ponit Baronius *in* 171

Notation. ad Martyrolog. Roman. In Eccleſia verò S. Dionyſii in Gallia transfertur ad diem ſecundam Januarii, ut ait Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 23. Quoad Officium, omnia ſumuntur ex Communi Confeſſoris Pontificis: Lectiones tamen omnium & trium Nocturnorum dicendæ ſunt, ut hodie in Breviario: ſed in primo Nocturno poſſunt alicubi variari, ut hac die legatur *Initium Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos*, ut ſupra diximus, cùm de Dominica infra Octavam locuti ſumus. Ad Laudes fit commemoratio quatuor Octavarum, Nativitatis, S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium, ut in Feſto S. Thomæ poſt ejus nonam Lectionem. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, cum clauſula Hymnorum ad omnes Horas *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* Si verò hodie occurrat Dominica infra Octavam Nativitatis, ejus *Initium* non legitur hac die, ſed Lectiones primi & ſecundi Nocturni dicuntur eo caſu in Sabbato præcedenti in Officio de Die infra Octavam, ut ſuo loco dictum eſt: At ſi alicubi in illo Sabbato actum ſit de Feſto proprias habente Lectiones primi Nocturni, legitur dictum *Initium* in hoc Feſto S. Silveſtri tunc occurrente in Dominica: & ad Matutinum dicitur nona Lectio ejuſdem Dominicæ, cum ejus commemoratione in Laudibus ante illas quatuor Octavarum.

Miſſa verò in Feſto S. Silveſtri habetur per extenſum hodie in Miſſali, quæ tamen ſumpta eſt ex 172
diverſis Communibus, nam Introitus eſt de Communi Confeſſoris Pontificis ex ſecundo loco: Orationes deprompta ſunt ex primo loco ejuſdem Communis: Epiſtola eſt de Communi Doctorum: Evangelium de primo loco Confeſſoris non Pontificis: Graduale denique, Offertorium, & Communio deſumuntur partim ex uno, partim ex altero loco Confeſſoris Pontificis. In hac Miſſa dicitur *Gloria*, fit commemoratio de quatuor Octavis, recitatur *Credo*; & Præfatio ac *Communicantes* ſunt de Nativitate. Quòd ſi occurrat Dominica, fit priùs de ea commemoratio, & legitur ejus Evangelium in fine,

cum aſperſione Aquæ benedictæ ante Miſſam ſolemnem. Hodie tamen poſſunt cantari quæcumque Miſſæ Votivæ pro re gravi, cum Præfatione propria, ſi habeant, ſed cum *Communicantes* de Octava, licèt in eis non ſit facienda commemoratio de Nativitate, & multò minus de aliis Octavis, ut ſupra diximus in Feſto S. Thomæ, ubi & caſum Rhodiginum attulimus de Votiva Beatæ Mariæ, quæ in hoc Feſto S. Silveſtri ex voto illius Civitatis quotannis cantatur, & in ea dicitur Præfatio Beatæ Virginis, cum *Communicantes* de Octava.

Ubi tamen S. Silveſter eſt Titularis, prout eſt Boniæ in Statu Eccleſiaſtico in Eccleſia Parochiali eidem dicata, omiſſis in primo Nocturno Lectionibus Epiſtolæ Paulinæ *ad Romanos*, ſumuntur ex ejus Communi, nempè, *Fidelis ſermo*, ut benè ſuggerit Piſcara *in Caremon. ſua Religion. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 15. *pag. mihi* 151. ubi etiam ait, & verum dicit, quòd fit commemoratio de ſola Nativitate, niſi venerit in Dominica, quia tunc legitur nona Lectio de ea, & fit ejus commemoratio in Laudibus ante illam Nativitatis, ita & in Miſſa, in cujus fine dicitur Evangelium ipſius Dominicæ. Idem reſpectivè dicendum, ſi hodie alicubi occurrat Dedicatio propriæ Eccleſiæ, quia ibi eſt duplex primæ claſſis. At ſi contingat fieri de Dedicatione Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ut apud Regulares, omnes erunt faciendæ commemorationes Octavarum, non ſolius Nativitatis, ut factum fuit ſupra in Feſtis duplicibus ſecundæ claſſis univerſalibus. 173

Veſperæ hodiernæ ſunt integræ de Circumciſione, ſine commemoratione S. Silveſtri, licèt ſit Feſtum duplex minus, quod in concurrentia duplicis ſecundæ claſſis debet habere ſuam commemorationem, vigore Rubricæ generalis Breviarii *tit.* 9. *de Commemor. ſub num.* 6. ubi habetur, quòd *in Feſtis ſecundi ordinis*, nempè ſecundæ claſſis, *fit in primis Veſperis commemoratio Feſti duplicis eo die celebrati*: At quia ſtatim additur, *niſi aliter in propriis locis notetur*, ideo in noſtro caſu attendenda eſt Rubrica ſpecialis poſita in primis Veſperis de Circumciſione, quæ 174

 ſic

ſic habet, *Et non fit aliqua commemoratio*: ex quo ſequitur, quòd neque facienda eſt de Dominica occurrente in Feſto S. Silveſtri, & hoc juxta Rubricam generalem, ac etiam ſpecialem. In Eccleſia tamen, in qua S. Silveſter eſt Titularis, Antiphonæ de Nativitate *Tecum principium* non habent ampliùs locum, terminatæ in primis Veſperis S. Silveſtri: ergo ſumendæ erunt de Communi Confeſſoris Pontificis, nempè, *Ecce Sacerdos magnus*, cum Antiphona ad Magnificat *Dum eſſet Summus Pontifex*, quæ omnibus convenit & ſolis Summis Pontificibus in ſecundis eorum Veſperis, & cum ſola commemoratione Circumciſionis, ut tenet Gavantus *in Theſaur. tom. 2. ſect. 6. cap. 6. num. 9.* & ejus Compilator Arnaudus *in Epitome, tract. 2. par. 4. tit. 7. num. 4.* Piſcara *in Caremon. ſua Religion. lib. 3. cap. 5. num. 15.* ac Baldryus *in Manuali, par. 4. cap. 2. num. 39.* Unde apud ipſos, ſi in Feſto S. Silveſtri occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ ſub ritu duplici primæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis Antiphonæ erunt *Domum tuam, Domine, decet Sanctitudo*, ut in Communi Dedicationis, cum commemoratione Circumciſionis.

Attamen meliorem, ut reor, opinionem, fortioremque ac Rubricæ magis adhærentem rationem, ad ſuſtinendas Antiphonas de Nativitate etiam in ſecundis Veſperis de S. Silveſtro Titulari, invenit Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 13. quæſt. 5. pag. 286. juxta editionem Venetam de Anno* 1729. Unde enim (ait hic Auctor) habetur, terminatas fuiſſe pridie illas Antiphonas Nativitatis, niſi quia hacce die Veſperæ fiunt de ſequenti Feſto Circumciſionis, quod proprias habet Antiphonas & Pſalmos? Sed poſito, quòd hacce die Veſperæ non ſint de Circumciſione, annon ſemper continuatur in Octava Nativitatis? adeoque locum habet Rubrica de iſtis Antiphonis & Pſalmis poſita in ſecundis Veſperis S. Stephani, *Et dicuntur etiam in aliis Feſtis infra hanc Octavam occurrentibus*. Et verò, ſi idem fieret Officium in Circumciſione ſeu Octava Nativitatis, quod fit in Die, annon ſtante præfacta Rubrica ut 175

eſt,

eſt, dicerentur in caſu propoſito prædictæ Antiphonæ? Certè nihil eis ſui juris adimit Officium Circumciſionis: ſed nec ipſa quidquam adimit celebritas Feſti proprii. Ita, & benè meo judicio Guyetus: nam ſi Veſperæ ſunt de S. Silveſtro Titulari, ſunt Veſperæ infra Octavam Nativitatis: ergo celebrandæ cum Antiphonis *Tecum principium*, cum Capitulo S. Silveſtri, & cum commemoratione Circumciſionis, non autem Dominicæ, ſi occurrat, & multò minus duarum aliarum Octavarum. Unde non placeret, ſi Arimini, die trigeſima prima Decembris in ſecundis Veſperis de S. Columba Virgines & Martyre illius Cathedralis, Titulari dicerentur Antiphonæ de ejus Communi, & non de Nativitate.

Sequitur ex dictis cum eodem Guyeto, quòd ſi hac die ultima Decembris occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, ſive ut tali die Menſis, ſive ut Dominica ultima Menſis, ſive ut Dominica infra Octavam Nativitatis, quæ in talem diem quandoque incidit, in ejus ſecundis Veſperis licèt duplicibus primæ claſſis, Antiphonæ erunt *Tecum principium* de Nativitate, non verò *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo*, de Communi Dedicationis, cùm non ſit major ratio de S. Silveſtro Titulari, quàm de Dedicatione Eccleſiæ. Quapropter, ſi verum fateri volo, mihi magis probatur, magiſque me movet hæc opinio Guyeti, quàm illa Gavanti, cùm ratio ſtet potiùs pro Guyetana Rubricæ adhærente, quàm pro Gavantina ſe potiùs removente à Rubrica. Non ſic tamen intelligendum venit, ſi Dedicatio Eccleſiæ hodie alicubi occurrens, ſit duplex ſecundæ claſſis, prout eſt Dedicatio Cathedralis apud Regulares, nam cùm ibi Veſperæ ſint de Circumciſione tamquam de digniori in paritate ritus, ceſſat in hoc caſu Antiphonæ de Nativitate, quia Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, licèt Rubrica in Circumciſione dicat, quòd in primis Veſperis nulla ſit commemoratio, quia loquitur de Veſperis, prout in Eccleſia Unverſali, non in caſu particulari, in quo duplex 176

ſecundæ claſſis minus dignum concurrit cum dupli-
ci ſecundæ claſſis digniori.

At ſi alicubi Circumciſio Domini ſit duplex primæ claſſis, prout eſt Abulæ in Hiſpania (ut patet ex annuo ejus Directorio, quod modò præ manibus teneo, & ſub oculos habeo, in quo vocatur duplex primæ claſſis in tota Diœceſi) dato, quòd in illa Civitate vel Diœceſi ſit aliqua Eccleſia, in qua S. Silveſter ſit Titularis, vel ibi occurrat propria Dedicatio, in Veſperis hodiernis neque dicendæ erunt Antiphonæ *Ecce Sacerdos magnus* pro S. Silveſtro, neque *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo* pro Dedicatione, neque *Tecum principium* de Octava Nativitatis: ſed ſicuti Veſperæ fient ex integro de Circumciſione, ſic etiam Antiphonæ erunt *O admirabile commercium*, cum ſola commemoratione vel S. Silveſtri Titularis, vel Dedicationis Eccleſiæ, prout dabitur concurrentia, nam cùm utrumque Feſtum ſit ibi duplex primæ claſſis, ubi non datur diſparitas ritus, intrat ratio majoris dignitatis: & ideo Circumciſio habet locum in Veſperis. 177

Quæri tamen hoc loco poteſt, an in ſecundis Veſperis de S. Silveſtro uti Titulari, vel de Dedicatione Eccleſiæ, facienda ſit commemoratio de Dominica hodie occurrente, ſtatim poſt commemorationem Circumciſionis. Ratio dubitandi eſt, quia duplex primæ claſſis, ut eſt Titularis vel Dedicatio, admittit in ſecundis Veſperis commemorationem hujuſmodi, ut clarè patet ex generali Rubrica Breviarii *tit.* 9. *de Commemor. ſub num.* 4. ſed duplex ſecundæ claſſis, ut eſt Circumciſio Domini, excludit in primis Veſperis commemorationem Dominicæ præcedentis, ex eadem Rubrica *ſub num.* 6. Unum igitur includit quod ei debetur: alterum excludit quod ei non convenit: Quid itaque agendum? Dubium meo judicio facilè reſolvitur. Cui dantur integræ Veſperæ, illud Feſtum conſequitur, quod permittit vel negat: ſed Veſperæ in caſu propoſito dantur integræ S. Silveſtro Titulari, vel Dedicationi: ergo Feſtum S. Silveſtri, vel Dedicationis con- 178

conſequitur, quod permittit: ergo commemoratio Dominicæ occurrentis facienda. Cùm igitur de Circumciſione fiat ſolùm commemoratio, per ſimplicem commemorationem non habet locum prædictus numerus ſextus Rubricæ de duplici ſecundæ claſſis, ſed quartus ejuſdem Rubricæ numerus de duplici primæ claſſis integras Veſperas tamquam ſui juris habente: & hoc tamen ſalvo ſemper meliori judicio.

177

179 Ad complementum denique hujus Diei ultimæ Decembris remanet obſervandum, quòd Oratio Circumciſionis eſt omninò eadem, quæ dicitur in concluſione Officii poſt *Alma Redemptoris*, nempe: *Deus, qui ſalutis æternæ*: Utraque nihilominus, etſi eadem, dicenda eſt, una nempe pro Veſperis, altera poſt Veſperas, ſi ſtatim èis cantatis terminetur Officium in Choro: nihil enim intereſt, quòd dicatur eadem oratio, & in fine Veſperarum tamquam principalis, & in concluſione illius Horæ tamquam finis illius Officii poſt Antiphonam de Beata Maria: Commutatio enim Orationis (de qua loquitur Rubrica Breviarii *tit.* 9. *de Commemor.*, *ſub num.* 8.) intelligitur de identitate & ipſeitate duarum Orationum in eadem Hora Canonica occurrentium, in qua fiunt commemorationes, non verò poſt eamdem Horam, ſive extra Horam, ut in hoc caſu. Sæpe, ut verum fatear, requiſitus fui à Scrupuloſis, quid agendum in hac (ut putabant) occurrentia? quibus etiam ſæpè reſpondi cum Regio Propheta, Pſalm. 52. quòd *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Et ideò, eos charitativè admonui, iſtam non eſſe occurrentiam, neque concurrentiam, nullamque Rubricam præcipere commutationem, tamquam nullo modo neceſſariam, quia oratio finalis dicitur poſt Veſperas ſatis ſuperque ex integro completas.

§. XII.

§. XII.

De Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis.

DUplici vocabulo appellatur Eccleſiaſticè Dies iſta, *Circumciſionis Domini* ſcilicet & *Octava Nativitatis*. Dicitur ergo *Circumciſio Domini*, quia Jeſus hodie fuit circumciſus: liberè tamen & ſpontè, non ex obligatione; quia ipſe erat, qui lege Circumciſionis à ſe lata non obligabatur: Et cùm Circumciſio eſſet inſtituta ad abolendum peccatum originale, nullum peccatum erat in Chriſto, ut teneretur ad Circumciſionem: unde S. Leo Papa *ſerm. 1. de Nativit. Dom.* ait: *Alienum ab hac Nativitate eſt, quod de omnibus legitur: Nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram: Nihil ergo in iſtam ſingularem Nativitatem de carnis concupiſcentia tranſivit, nihil de peccati lege manavit*. Dicitur præterea Dies iſta *Octava Nativitatis*, quia revera Dies erat Octavus à Nativitate Chriſti, quo ipſe juxta legem circumcidendus erat. Voluit autem circumcidi novem de cauſis remiſſivè videndis apud Cornelium à Lapide *in Comment. ad Evang. Luc. cap. 2. verſ. 21.* 180

A veritate non abhorret, Circumciſionis ſolemnitatem pridem Gallis innotuiſſe. Certè non ita multò poſt, Anno videlicet quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Concilium Turonenſe Secundum decrevit, Calendis Januarii, Ethnicorum ſuperſtitioni objiciendum eſſe cantum Litaniarum, & Sacrum Circumciſionis faciendum: Eadem autem eſt vis vocis illius *Sacrum* ſeu *Miſſa*, & Feſti Diei, inquit Thomaſſinus *in Commentar. de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 1. cap. 4. num. 12.* In antiquis tamen Ordinibus Romanis Officium erat de Octava Natalis tantùm, cum Collecta, *Deus, qui nobis nati Salvatoris Diem* 181

cele-

celebrare concedis Octavum, ut refert Grancolas in
Commentar. ad Breviar. Roman. cap. 24. ubi etiam
ait ex Joanne Beletho, quòd ſolebant duæ Miſſæ
hac die celebrari, altera de Virgine, altera de O-
ctava Natalis. Hoc Feſtum Circumciſionis, ut ad
nos deveniamus, eſt præceptivum cum obligatione
audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervili-
bus: Celebratur verò ſub ritu duplici ſecundæ claſ-
ſis, in colore albo. Licèt autem ſit duplex ſecun-
180 dæ claſſis, non tamen cedit in occurrentia Feſto
duplici primæ claſſis, ideoque ſi hodie alicubi oc-
currat Dedicatio Eccleſiæ, transfertur poſt Octa-
vam Epiphaniæ in primam diem non impeditam,
ut docet Rubrica Breviarii *tit.* 10. *de translat. Fe-
ſtor. ſub num.* 1. & clariùs patet *ex* 1. *Rubric. poſt
tabellam de Occurrentia.* Quoad Officium hodier-
num, omnia ſunt propria, ſed ad Laudes non ſit
commemoratio de Octavis. Ad Primam in Reſpon-
ſorio brevi dicitur Verſiculus: *Qui natus es de Ma-
ria Virgine*: & ad omnes Horas clauduntur Hymni
cum Strophe *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* Quod ſi oc-
currat Dominica, iſta erit *vacans*, & propterea
nihil de ea. Si verò poſt Laudes ſit terminandum
Officium in Choro, non intereſt, quòd poſt *Al-
ma Redemptoris* iterum dicatur Oratio *Deus, qui ſa-
lutis*, quæ jam dicta fuit in Officio, ut diximus in
primis Veſperis hujuſce Feſti.

Miſsa de Circumciſione Domini eſt propria, nec 182
ſit intra Annum Votiva, ut declaravit Sacra Ri-
tuum Congregatio de ordine Pauli V. apud Ange-
181 lum à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſæ Ri-
tus*, *ſub num.* 2. In hac Miſsa dicitur *Gloria*, uni-
ca Oratio, *Credo*, Præfatio, & *Communicantes* de
Nativitate. Ex priſca verò Eccleſiæ conſuetudine
recitabatur hodie alia Præfatio, quam ex Libro Sa-
cramentorum S. Gregorii Papæ deſumptam placet
hoc proprio loco inſerere, & erat ſequens, videli-
cet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare,
nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſan-
cte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Do-
minum noſtrum: Cujus hodie Circumciſionis Diem, &
Nati-*

Nativitatis octavam celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur. Quia, qua peperit, & Mater & Virgo eſt: Qui natus eſt, & Infans & Deus eſt. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, &c. Et ne omittamus, quoad antiquitatem Ritus, Benedictionem Epiſcopalem huic ſolemnitati convenientem, quæ, ut alibi diximus, tribuebatur in diebus Anni præcipuis, eam ex eodem Libro Sacramentorum depromptam extendimus, nempè: *Omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ne legem ſolveret quam adimplere venerat, corporalem ſuſcepit Circumciſionem, ſpiritali circumciſione mentes veſtras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, & ſuam in vos infundat Benedictionem.* Amen. *Et qui legem per Moyſem dedit, ut per Mediatorem noſtrum Benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum, & faciat perſeverare in novitate virtutum.* Amen. *Quo ſic in ſenarii numeri perfectione in hoc ſaculo vivatis, & in ſeptenario inter Beatorum Spirituum agmina, requieſcatis: quatenus in octavo reſurrectione renovati, & jubelai remiſſione ditati, ad gaudia ſine fine manſura perveniatis.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa S. Stephani.

Etiam Eccleſia Gallicana antiquis temporibus ſuam propriam in Die Circumciſionis recitabat Præfationem, quam in Miſſali Gothico exhibet Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib.* 3. & eam eo tranſumptam ſub oculos ponimus Lectoris Eccleſiaſtici priſcorum Rituum ſtudioſi, ſcilicet: *Verè æquum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, teque benedicere in omni tempore, omnipotens, æterne Deus: Quia in te vivimus, movemur, & ſumus: & nullum tempus, nullumquè momentum eſt, quo à beneficiis pietatis tuæ vacuum tranſagamus. His autem diebus, quod variis ſolemnitatum cauſis, ſalutarium nobis operum tuorum & munerum memoria ſignavit, vel innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni tempus agnoſcimus. Et propterea exultamus uberiùs, quia ſicut in recens gaudium, de venerabilis gratiæ recordatione reviviſcimus. Unde hodiernum diem à die ſalutiferi Natalis octavum, legitimà Domini ſecundùm carnem geniti, Circumciſione* 183

ſigna-

ſignatum, ordinata commemoratione recolentes, ſacrificium pacis in votis ſolemnibus honoramus, & tanta dignationis opus in Domini Altiſſimi pia humilitate veneramur. Qui ſicuti mortalitatem noſtram aſſumpſit ut mortem conſumeret, ita & jugum legis in ſua carne ſuſcepit, ut jugum diaboli à noſtra cervice diſcuteret. Circumciſus eſt in carne corporis noſtri, ut nos per verbum Spiritus ſui in corde purgati, ſine carnis vulnere circumcideremur in ſpiritu: Ut utrique ſexui proficeret circumciſio ſpiritualis, quia pro univerſitate generis humani Salvator advenerat. Unde utrumque ſexum ſacramentum Incarnationis amplexus eſt, ſuſcipiens Virum, natus ex Femina. Quamobrem, Domine, Sacrificium Circumciſionis ſolemnitate votiva pro noſtra aternitatis gaudio ſuppliciter offerentes, placido dignare conſpectu conſpicere, & offerentium preces placatus exaudi, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.

Ut autem Lector noſter, non ſolùm Eccleſiaſticæ vetuſtatis ſtudioſus, verùm etiam diverſorum Rituum in viridi obſervantia exiſtentium amator, ſciat, quid noſtris etiam temporibus ſit in praxi quoad hanc Miſſam Circumciſionis, aliam extendimus Præfationem ex particulari Ambroſianorum Miſſali tranſcriptam, quam recitant hodie, brevem quidem, ſed valdè Feſto convenientem: Eſt igitur ea, quæ ſequitur, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, aquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, aterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ut nos à gravi ſervitute legis redimeret, Circumciſionis legalis purificationem accepit. In qua & obſervationis antiqua probator exiſteret, & humanam in ſe naturam vetuſtate expolians innovaret. Prateriti Sacramentorum conſummator myſterii, idem legiſlator & cuſtos, pracipiens & obediens, dives in ſuo, pauper in noſtro. Quem una tecum, &c.* 184

Si hoc Feſtum Circumciſionis venerit in Dominica, erit quidem Dominica *vacans* quoad Officium, ſed non quoad aſperſionem Aquæ benedictæ ante Miſſam ſolemnem de more faciendam, illa tantùm ex- 185

cepta Eccleſia, in qua Epiſcopus forſitan Pontificaliter celebraret, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 31. §. 3. & 4. pag. 397. & ſeq.* licèt Epiſcopus non teneatur hodie ſolemniter celebrare, cùm tantùm debeat intereſse Miſsæ, paratus cum Pluviali, ut præſcribit idem Cæremoniale *d. lib. 2. cap. 15. §. 2. pag. 295. juxta noviſſimam editionem Romanam de Anno 1729. ſub Benedicto Decimotertio, cujus auctoritate recognitum & editum fuit.*

Non tamen dicuntur hodie Miſſæ Votivæ ſolemnes, licèt pro re gravi, ex ratione ſuperiùs allata in Feſto S. Stephani, ad quod Lectorem remittimus. Si occurrat idcircò aliqua occaſio rei gravis, Miſſa cantatur de Circumciſione, cum ſecunda oratione pro re gravi ſub unica concluſione, ut de SS. Sacramento ſi in aliqua Eccleſia ſit hodie exponendum pro Oratione quadraginta Horarum. Quamvis autem non poſſint cantari Votivæ, cani tamen poteſt Miſſa de Feſto forſan hodie occurrente, ſed transferendo, ut ſi alicubi occurrat Dedicatio, vel Feſtum cum concurſu Populi, quia Circumciſio non eſt unum de Feſtis exceptis in Rubrica Miſſalis *tit. 6. de translat. Feſtor.* unde ſequitur, quod ſi exceptio firmat regulam in non exceptis, dum non eſt excepta Circumciſio, ergo admittit alteram Miſſam ſolemnem de Feſto occurrente, ſed transferendo. Ex eo tamen, quod hodie cantari poteſt dicta Miſſa, non infertur, ergo poſſunt cani Miſſæ Votivæ, quia Miſſa de Feſto occurrente, ſed transferendo, eſt veluti ſecunda Miſſa de Die: Votiva autem, eſt Miſſa omninò extra Diem. 186

Poteſt autem hodie cantari Miſſa pro Defunctis in Die Obitus, præſente Corpore, nam licèt Circumciſio Domini ſit ſolemnitas, non ideo eſt una ex illis magnis celebritatibus, quas ad hunc effectum obſtare dicit, & ideo excipit Rituale Romanum *tit. de Exequiis, rubric. 5.* Præterquam quod ſacra Rituum Congregatio ſola excepit duplicia primæ claſſis, ut reſolvit *in Collen. ſub die 5. Julii 1698. in reſponſione ad octavum Dubium*: quam Reſolutionem 187

ego

ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii, & refert etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 525. Cùm igitur Circumciſio ſit ſecundæ claſſis, inde ſequitur, poſſe hodie cantari dictam Miſſam in Die Obitus, ſi tamen Corpus ſit præſens, quod intelligitur de præſentia in Eccleſia, non Domi. Anniverſaria verò Defunctorum non
186 poſſunt hac die cantari quoad Miſſam, nam Alexander Septimus conceſſit quidem hujuſmodi Miſſam etiam in duplicibus majoribus, ſed non ſecundæ claſſis ut eſt Feſtum iſtud Circumciſionis: quod denique declaravit Sacra Rituum Congregatio *in d. Collen. ad ſeptimum Dubium*. Nulla denique eſt prohibitio celebrandi hac die in Oratoriis privatis Apoſtolicum Indultum habentibus.

Sed veniamus ad ſecundas Veſperas Circumciſionis. Hæ ſunt integræ in Eccleſia Univerſali, cum 188
commemoratione de ſequenti Die Octava S. Stephani propriam habente Orationem, ab illa diſtinctam, quæ dicta fuit per Octavam. De aliis verò Octavis, S. Joannis ſcilicet & SS. Innocentium, nihil fit in his ſecundis Veſperis, quia de illis non fit Officium die ſequenti, ut ex Rubrica generali Breviarii *tit.* 9. *de Commemor. ſub numer.* 6. notat Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 12. & obſervat Piſcara *in Caremon. ſua Religion. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. *in fine*. Quòd ſi in Eccleſia particulari cras fiat de duplici ſecundæ claſſis, ut forſan de Dedicatione Cathedralis apud Regulares, vel alicubi de Feſto principali S. Stephani in hanc ejus Diem
187 Octavam translato in caſibus ſuo loco expreſſis: adhuc Veſperæ erunt ibi de Circumciſione, cum commemoratione Dedicationis ſub eodem ritu duplici ſecundæ claſſis, & de Die Octava S. Stephani; vel de Feſto S. Stephani tantùm. At ſi die ſequenti fiat de duplici primæ claſſis, ut de Dedicatione propriæ Eccleſiæ, vel Eccleſiæ Cathedralis per Civitatem apud Clerum Sæcularem, in hoc caſu Veſperæ ſunt ex integro de ſequenti, cum commemo-

memoratione Circumciſionis, & de Octava S. Stephani. Quia verò Abulæ in Hiſpania celebratur Circumciſio ſub ritu duplici primæ claſſis, ut ſupra innuimus, ſi cras in aliqua Eccleſia illius Civitatis vel Diœceſis occurreret Dedicatio, in hac ritus paritate locum haberet Circumciſio, ideoque in ejus ſecundis Veſperis fieret commemoratio ſequentis, & de Die Octava S. Stephani.

§. XIII.

De tribus Diebus Octavis S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium.

JAm in Feſto Circumciſionis complevimus Octavam Nativitatis Domini: ſed quia infra eam tres aliæ occurrebant Octavæ, quæ poſt Circumciſionem terminantur, ideò, ne relinquantur incompletæ, proſequendum eſt uſque ad Vigiliam Epiphaniæ excluſivè. In hiſce tamen tribus Diebus Octavis aliquid adhuc de ſuo habet Octava Nativitatis: retinet enim ad Primam in Reſponſorio brevi Verſiculum ſuum *Qui natus es de Maria Virgine*: Ad Hymnos omnium Horarum ſervatur clauſula *Jeſu tibi ſit gloria*: ſuamque Præfationem, ſed ſine *Communicantes*, facit de tempore in Miſſa, niſi fiat de Feſto propriam habente. Quoad dictam continuationem Verſiculi ad Primam, clauſulæ ad Hymnos, & Præfationis in Miſſa, reviviſcit quodammodò antiqua in quibuſdam Eccleſiis tunc temporis diù ſervata conſuetudo, juxta quam vel dicebantur hiſce tribus diebus Pſalmi de Feria, ſed Antiphonæ & Hymni erant de Nativitate: vel ſi inter Circumciſionem & Epiphaniam occurrebat Dominica, repetebatur Officium de Dominica infra Octavam Nativitatis: vel vocabatur Dominica poſt Circumciſio- 189

ciſio-

ciſionem, prout Pariſiis eſt etiam hodie in viridi obſervantia, ubi plura ſumuntur ex ipſa Circumciſione, quæ eſt Dies Octava Nativitatis. His paucis præmiſſis, incipiamus a prima Die Octava.

Dies igitur Octava S. Stephani Protomartyris fit ſub ritu duplici in colore rubeo. Sed quodnam duplex eſt. Duplex Dierum Octavarum communium, nempe, duplex per Annum, ſive majus ſive minus: ita ut ſi hodie alicubi occurreret Feſtum duplex majus, eſset transferendum, ut ex Rubrica generali Breviarii *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub num.* 2. & ex Tabella de Occurrentia infert Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 13. Et revera ita ſæpè declaravit Sacra Rituum Congregatio, ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numeris marginalibus* 950. 1174. *&* 1286. Sed & in Octavario Romano plures dantur caſus hujuſmodi translationis, & ſignanter die octava Maji fit de Die Octava SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & transfertur Feſtum duplex majus de Apparitione S. Michaelis Archangeli: Die verò prima Auguſti celebratur Dies Octava S. Jacobi Apoſtoli, & transfertur Feſtum duplex majus S. Petri ad Vincula: Ita etiam die quinta ejuſdem Auguſti agitur de Die Octava S. Marthæ Virginis, & transfertur Feſtum duplex majus S. Mariæ ad Nives. 190

Quoad Officium in hac Die Octava S. Stephani, omnia dicuntur, ſicut in die Feſti: Lectiones verò trium Nocturnorum ſunt propriæ; ita & Oratio, quæ hodie eſt alia ab illa Feſti. Ad Laudes poſt Orationem Diei fit commemoratio S. Joannis, & SS. Innocentium, ut in Breviario. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Vergine*: & ad omnes Horas in fine Hymnorum dicitur *Jeſu tibi ſit gloria*: Si hodie occurrat Dominica, erit vacans, & ideò nihil de ea in hoc Officio. Miſſa verò hodierna eſt ut in Die, excepta prima Oratione. Hæc Miſſa dicitur cùm *Gloria*, cum commemoratione duarum Octavarum, cum *Credo*, & cum Præfatione Nativitatis, ſed ſine ejus *Communicantes*. Quòd ſi in hanc Diem Octa- 191

vam incidat Dominica, licèt ſit vacans quoad Officium, ejus tamen ratione fiet de more ante Miſſam ſolemnem aſperſio Aquæ benedictæ in Eccleſiis, in quibus eſt facienda.

Si tamen alicubi transferendum ſit in hanc Diem Octavam S. Stephani principale ejus Feſtum in caſibus ſuo loco jam expreſſis, ego recitarem in primo Nocturno ſimul ſumptas Lectiones de Feſto & de hac Die Octava, binas ſcilicet pro una, ut integra legatur hiſtoria Martyrii: Sed hoc eſt conſilium, non præceptum: Sicuti Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 21. *ſub num.* 11. ponit ad arbitrium legentis plures Lectiones uno eodemque die recitandas in gratiam Martyrii Machabæorum, ſi deſit locus legendi totam eorum hiſtoriam. In hoc verò caſu, ad Laudes non fiet commemoratio S. Joannis, neque SS. Innocentium, quia cùm ſimus extra Octavam Nativitatis, intra quam hujuſmodi commemorationes admittebantur etiam in duplicibus ſecundæ claſſis, intrat Rubrica generalis Breviarii *tit.* 9. *de Commemor. ſub. num.* 6. ubi in prædictis duplicibus ſecundæ claſſis non fit commemoratio de die infra Octavam communem: Et ideò Feſtum S. Stephani in hanc ſuam Diem Octavam translatum recuperat ſuum jus, quod infra Octavam Nativitatis amiſiſſet, ſi plures occurriſſent in eo commemorationes diverſorum dierum infra alias Octavas. Transferri autem poteſt, etiamſi hodie occurrat Dominica, nam cùm hæc nullum habeat Officium, ex quo dicitur *vacans*; niſi reponeretur Feſtum principale, quodnam eſſet Officium recitandum? 192

Quòd autem Feſtum principale Octavam habens, transferri poſſit, ſi neceſſitas cogat, in ejus Diem Octavam, omnes uno ore conveniunt; inter quos Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *ſub numer.* 11. & ejus Compilator Arnaudus *in Epithom. tract.* 2. *par.* 4. *tit.* 5. *ſub num.* 5. *pag. mihi* 362. ac etiam Bauldryus *in Manuel. par.* 4. *cap.* 2. *ſub num.* 38. *pag.* 207. qui licèt reverà loquantur de Feſto SS. Innocentium in eorum Diem Octavam transferendo, ex illo tamen caſu, quid in ſimilibus ſit faciendum, oſten- 193

oſtenditur; cùm à ſimili valeat argumentum. At ne ſcrupuloſi cenſeant hunc caſum eſſe ſpecialem, & ideò non tradendum in exemplum, juxta axioma legale, Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 2. cap. 12. quaſt. 2. pag. 267. juxta noviſſimam editionem Venetam*, eos facit certiores de univerſalitate, nam ibi loquitur generaliter de omnibus & ſingulis Feſtis Octavam habentibus, transferendis, ſi opus ſit, in eorum Diem Octavam: deinde *ibid. quaſt. 8. par. 269.* ſpecialem facit mentionem de hiſce tribus Feſtis, S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium. Dies verò Octava erit ſemper libera, etiamſi eo die perpetuò occurrat Feſtum duplex majus, quia cùm Dies Octava numquam ſit transferenda; ſic nec in noſtro caſu locum umquàm habebit illud duplex majus: & ſicuti ſemper Dies illa eſt ſedes Diei Octavæ, ita ſemper erit ſedes Feſti principalis quandoque & alicubi in eam translati. Quod aliqui non benè intellexerunt, putantes, quod ſi Feſtum S. Marci in Eccleſiis, in quibus eſt Titulare, ſit impeditum uſque ad ejus Diem Octavam excluſivè, die ſecunda Maji agendum ſit de S. Athanaſio Epiſcopo & Confeſſore, & non de Feſto principali S. Marci ad ejus Diem Octavam translato. Impedimentum verò in aliis caſibus erit Dominica, quæ in preſenti caſu S. Stephani non officit, quia non habet Officium. In noſtro tamen caſu, ſicuti in ſimilibus obſtabit occurrentia duplicis primæ vel ſecundæ claſſis, & tunc Feſtum principale S. Stephani, vel aliud ſimile eſſet transferendum extra totam ejus Octavam, & reponendum prima die non impedita, juxta Rubricas.

Quòd ſi in Die Octava S. Stephani occurrat Dedicatio Cathedralis, ſive ſub ritu duplici primæ 194 claſſis, ut apud Clerum Sæcularem, ſive ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ut apud Regulares, in utraque Eccleſia totum Officium erit de Dedicatione, deſumendum integrè ex ejus Communi. Ad Laudes verò fiet quidem commemoratio de Die Octavà S. Stephani, ſed non de S. Joanne, neque de SS. Innocentibus: ita & in Miſſa, in qua dice-

tur Præfatio Nativitatis, cum *Communicantes*, ut in Canone. In hoc tamen caſu, in quo Dies Octava S. Stephani eſt impedita, recitarem die vigeſima ſexta Decembris in ejus Feſto principali Lectiones primi Nocturni de hac Die Octava ſimul cum illis de Feſto, & de ſenis facerem tres, ex ratione ſuperiùs allata, licèt Clerus non teneatur ad hujuſmodi recitationem, ſed tantùm poſſit, ſi velit: & ſi velit, totam audiet hiſtoriam Martyrii.

In ſecundis Veſperis de Die Octava S. Stephani 195
dicuntur Antiphonæ de Laudibus *Lapidaverunt Stephanum*, Capitulum verò eſt de ſequenti Die Octava S. Joannis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava S. Stephani, & SS. Innocentium. At ſi in hanc Diem Octavam S. Stephani translatum fuerit ejus Feſtum principale, in ſecundis Veſperis Antiphonæ itidem de Laudibus Pſalmi ex ejus Communi, Capitulum *Stephanus autem*, Hymnus *Deus tuorum Militum*, Verſiculus *Stephanus vidit*, Reſponſorium *Vidit & introivit*, ad Magnificat Antiphona *Sepelierunt Stephanum*, Oratio *Da nobis, quæſumus, Domine*, ut in Feſto, non verò *Omnipotens ſempiterne Deus*, ut in Die Octava, cum commemoratione de ſequenti Die Octava S. Joannis, ſed non SS. Innocentium. Quòd ſi hodie actum ſit alicubi de Dedicatione Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis vel etiam ſecundæ ut apud Regulares, in ſecundis Veſperis omnia ut in Communi Dedicationis, cum commemoratione de ſequenti Die Octava S. Joannis, deinde de præcedenti Die Octava S. Stephani, omiſſa illa de SS. Innocentibus. Si verò die ſequenti fiat in aliqua Eccleſia de Feſto principali S. Joannis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in ſuam Diem Octavam translato, Veſperæ hodiernæ erunt de ſequenti, nempe, Antiphonæ de Laudibus Feſti *Valde honorandus eſt*, Pſalmi ex ejus Communi, Capitulum *Qui timet Deum*, Hymnus *Exultet Orbis gaudiis*, Verſiculus *Valde honorandus eſt*, Reſponſorium *Qui ſupra pectus Domini*, ad Magnificat Antiphona *Iſte eſt Joannes*, Oratio *Eccleſiam tuam, Domine*, cum commemoratione de die

Octa-

Octava S. Stephani, ſed non SS. Innocentium. At ſi cras agendum ſit de Feſto duplici primæ claſſis, veluti de Dedicatione Eccleſiæ, Veſperæ hodiernæ erunt quidem ex integro de ſequenti, ut in ejus Communi, cum commemoratione de Die Octava S. Joannis, ſed non de præcedenti Die Octava S. Stephani, & multo minus de SS. Innocentibus. Et hæc ſatis de occurrentia, & concurrentia in Officio hujus Diei: Itaque deſcendamus ad ſecundam Diem Octavam.

Dies Octava S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ celebratur in colore albo, ſub ritu duplici ejuſdem qualitatis, cujus eſſe diximus diem Octavam S. Stephani. Quoad Officium, omnia dicuntur, ſicut in Die: Sed Lectiones trium Nocturnorum ſunt propriæ. Ad Laudes poſt Orationem Diei fit commemoratio SS. Innocentium. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*: & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum *Jeſu tibi ſit gloria*. Si hodie occurrat Dominica, erit *vacans*, & ideo nihil de ea in hoc Officio. Miſſa hujus Diei Octavæ eſt omnino eadem, quæ dicta fuit in Feſto: in qua *Gloria*, ſecunda Oratio SS. Innocentium, cum *Credo*; Præfatio vero, quæ in Die erat de Nativitate, hodie dicitur de Apoſtolis, cum *Communicantes*, ut in Canone: De Dominica occurrente nihil fit in hac Miſſa, & nihilominus ante Miſſam ſolemnem fit conſueta aſperſio Aquæ benedictæ. 196

At ſi in aliqua Eccleſia translatum ſit Feſtum principale S. Joannis in hanc ejus Diem Octavam in caſibus ſuo loco expreſſis (ut transferri poſſe, etiamſi occurrat Dominica, jam ſatis ſuperque diximus) neque in Laudibus, neque in Miſſa fit commemoratio SS. Innocentium, ex ratione ſuperiùs allata in Die Octava S. Stephani. Si verò hodie fiat alicubi de Dedicatione Eccleſiæ, in Laudibus fit commemoratio de ſola Die Octava S. Joannis, ita & in Miſſa, in qua dicitur Præfatio de Octava, ſcilicet, de Apoſtolis. Idem dicendum, ſi hac die occurrat aliud quodvis Feſtum duplex primæ 197

claſſis ; ut Patavii occurrit Tranſlatio S. Danielis Martyris, unius ex quatuor Patronis illius Civitatis, qui omnes ibi celebrantur ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava. Imò, licèt Feſtum occurrens, eſſet duplex ſecundæ claſſis, dumtaxat, adhuc in Laudibus & in Miſſa omitteretur commemoratio SS. Innocentium, ut ſi apud Regulares hodie fieret de Dedicatione Cathedralis, quæ apud ipſos celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis. Pariſiis verò fit hodie de S. Genovefa Virgine ſub ritu duplici majori, cum commemoratione de Die Octava S. Joannis; & SS. Innocentium, ſed ibi Dies Octava S. Joannis eſt ſemiduplex, prout ante Pium Quintum erat ubique, & facta fuit duplex ab eodem Pontifice, teſte Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *ſub num.* 14. De Officio hodierno S. Genovefæ meminit, ſed non ad rem noſtram, Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 27. Ritus autem duplex major patet *ex Directorio Pariſienſi*, quod modò præ manibus teneo, & ſub oculos habeo.

Veſperæ in Die Octava S. Joannis Apoſtoli & 198
Evangeliſtæ non dividuntur à Capitulo cum Die Octava SS. Innocentium, ſed integræ ſunt cum ſola commemoratione ſequentis: quamvis enim generalis Rubrica Breviarii *tit.* 11. *de Concurrent. ſub numer.* 7. dicat, quòd Die Octava concurrente cum alia Die Octava, a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis, ſtatim tamen ibidem additur, *excepto, quando aliter in propriis locis notetur*: Sed hodie in ſecundis Veſperis de Die Octava S. Joannis notatur ſola commemoratio ſequentis; ergo eſt exceptio Regulæ generalis: Rationem tamen convenientem affert hujus exceptionis Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 6. *ſub numer.* 13. quia ſcilicet Veſperæ ſunt de digniori, & hanc majorem dignitatem legitimè infert ex *dict. tit.* 11. *de Concurren. ſub numeri* 2. ubi revera dicitur, quòd inter Feſta æqualia ſervetur hic ordo, ut Feſta Angelorum & Apoſtolorum præferantur cæteris Feſtis Sanctorum: Cùm autem concurrentia conſideretur

in Veſ-

in Veſperis, & hodie occurrat Octava Dies unius ex Apoſtolis, rectè Veſperæ ſunt integræ de Apoſtolo, cum commemoratione de Die Octavâ SS. Innocentium.

Quòd ſi hodie actum ſit alicubi de Feſto princi- 199
pali S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, in hanc ejus Diem Octavam tranſlato majori ratione in ſecundis Veſperis de eo fiet tantùm commemoratio de Die Octava SS. Innocentium; quia præter majorem dignitatem S. Joannis, quam habet ut Apoſtolus, conſiderandus etiam venit ritus duplex ſecundæ claſſis, quam habet in Eccleſia Univerſali. Si verò in aliqua Eccleſia factum ſit Officium de Dedicatione, vel de alio quovis Feſto duplici primæ, vel etiam ſecundæ claſſis, in ſecundis ejus Veſperis commemoratio erit priùs de Die Octavâ S. Joannis, deinde de ſequenti Die Octava SS. Innocentium, quia ſi ex dictis S. Joannes præferendus eſt quoad integras ſecundas Veſperas, debet etiam habere locum in commemoratione. At ſi cras fiat de Feſto principali SS. Innocentium in ſuam Diem Octavam tranſlato, Veſperæ erunt de ſequenti, nempè, Antiphonæ de Laudibus Feſti *Herodes iratus*, Capitulum verò *Vidi ſupra montem Sion*, Hymnus Laudum *Salvete Flores Martyrum*, Verſiculus *Herodes iratus*, Reſponſorium *In Bethlehem Juda*, ad Magnificat Antiphona *Hi ſunt, qui cum mulieribus*, Oratio *Deus, cujus hodierna die præconium*, deinde fit commemoratio de Die Octavâ S. Joannis. Si verò craſtina die agendum alicubi ſit de Feſto duplici ſecundæ claſsis, in Veſperis de ſequenti facienda erit commemoratio priùs de Die Octavâ S. Joannis, deinde SS. Innocentium: & hujuſmodi caſus dari poteſt apud Regulares; ſi die ſequenti occurrat forſan Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, quæ apud ipſos celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis. Quia tamen poteſt cras in aliqua Eccleſia occurrere Feſtum duplex primæ claſsis, ut Dedicatio propria; eo caſu Veſperæ erunt quidem de ſequenti, cum commemoratione de Die Octavâ SS. Innocentium, ſed non de Die Octava S. Joannis.

Google

Sed quia hæc nobis ſufficiunt de Officio hujus Die, tranſeamus ad tertiam Diem Octavam.

Dies Octava SS. Innocentium Martyrum celebratur ſub ritu duplici de qualitate ſuperiùs expreſſa in Die Octava S. Stephani. Variatur autem hodie color, nam de violaceo fit rubeus, quia Dies Octava beatitudinem ſignificat, ait Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capitul.* 6. *ſub numer.* 3. in qua nihil mœſtitiæ: & ideo in hodierno Officio recitando, ut in Die, præter Lectiones trium Nocturnorum legendæ ut hodie in Breviario, non dicitur nonum Reſponſorium, ſed ejus loco *Te Deum laudamus*: attamen cùm Octavum Reſponſorium ſit hac die ultimum, addendum eſt ei *Gloria Patri*, cum repetitione Verſiculi *Vindica Domine*. Ad Primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui natus es de Maria Virgine*; & ad omnes Horas clauduntur Hymni cum Strophe *Jeſu tibi ſit gloria*. Quòd ſi hodie occurrat Dominica, ſicuti erit *vacans*, ſic nihil de ea in hodierno Officio. 200

Miſſa quoque in hac Die Octava SS. Innocentium ſumitur in omnibus & per omnia ex eorum Feſto, ſed in ea dicitur *Gloria*, cum unica Oratione. Poſt Epiſtolam, dicto Graduali cum *Alleluja* & verſu ſequenti, omittitur Tractus. In hac Miſſa non dicitur *Credo*, niſi occurrat Dominica, vel ſimus in Eccleſia eiſdem dicata, vel ſimul incidat alicubi dies infra aliam Octavam, ut Patavii hodie eſt dies ſecunda infra Octavam Tranſlationis S. Danielis Martyris. Non tamen dicitur *Credo*, ut reor, ratione Corporis vel inſignis Reliquiæ, ut debere dici in hac Die Octava tenet Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par.* 4. *capitul.* 2. *ſub numer.* 38. *pag. mihi* 207. nam ratione Corporis vel inſignis Reliquiæ dicitur quidem *Credo* in ipſo Die Feſto, ſed non attenditur ad totam ejus Octavam, niſi in Eccleſia Titulari: Ex eo enim, quod dicitur Symbolum in Feſto S. Joannis Baptiſtæ, ſi in eo veniat Dominica, vel alicubi ſimul occurrat Dies Octava, ut in Congregatione Regulari S. Hieronymi occurrit Dies Octava Beati Petri de Piſis Fundatoris: & 201

Piſis

Piſis etiam in Hetruria occurrit Dies Octava S. Raynerii Confeſſoris: non inde infertur, quòd *Credo* dicendum ſit etiam ibi diebus ſequentibus infra Octavam Præcurſoris: Et quod dicitur de Feſto S. Joannis Baptiſtæ, intelligitur de Feſto S. Laurentii Levitæ, ſi in illud incidat Dominica, vel alicubi Dies Octava, ut Concordiæ in Foro Julii, & Paſſavii in Auſtria incidit Dies Octava de Inventione S. Stephani Protomartyris: Unde ſi in Die Feſto dicitur *Credo* ratione Corporis vel inſignis Reliquiæ, non dicitur ex eadem ratione infra Octavam, & conſequenter neque in Die Octava, quod mihi eſt pro indubitato. In hac Miſſa de Die Octava SS. Innocentium Præfatio eſt de Nativitate, ſed ſine ejus *Communicantes*, & terminatur cum *Ite miſſa eſt*, quod habet correlationem cum *Te Deum* in Officio, ex Rubrica Miſſalis *tit.* 8. *ſub num.* 3. Quòd ſi hodie occurrat Dominica, ante Miſſam ſolemnem fit conſueta aſperſio Aquæ benedictæ, licèt nihil agendum ſit de ea tamquam vacante.

Si ad hanc Diem Octavam SS. Innocentium tranſ- 202
ferendum ſit alicubi eorum Feſtum principale in caſibus ſuo loco expreſſis (ut de hujuſmodi tranſlatione ſupra diximus in Die Octava S. Stephani) in ſecundo Nocturno unirem tribus Lectionibus de Feſto etiam tres Lectiones pulcherrimas de hac Die Octava, quia licèt non ſint de eodem ſermone S. Auguſtini, ſunt tamen de eodem Auctore; & quod me magis monet, perbellè faciunt ad rem: non tamen cogo ut uniantur, ſed tantùm hortor ut recitentur, cùm cæteroquin hoc non ſit de præcepto, ſed ſolùm de conſilio. At ſi hodie in aliqua Eccleſia occurrat Dedicatio, ad Laudes & in Miſſa ſit commemoratio de die Octava SS. Innocentium, ſive Dedicatio ſit duplex ſecundæ claſſis, ut Dedicatio Cathedralis apud Regulares, ſive etiam duplex primæ claſſis, ut Dedicatio ejuſdem Cathedralis apud Clerum Sæcularem. In prædicto tamen caſu occurrentis Dedicationis, vel alterius Feſti duplicis primæ aut ſecundæ claſſis, ſicuti impedita remanet

Dies

Dies Octava SS. Innocentium, ſic die vigeſima octava Decembris anticipatè recitarem in eorum Feſto principali Lectiones ſecundi Nocturni de hac Die Octava ſimul cum illis de Feſto, ne omittatur Sermo ad rem tam benè faciens, ut ſupra diximus: ſed hoc ex recitantium arbitratu, non ex neceſſitate recitationis.

Quiſnam verò color erit adhibendus, ſi in hac Die Octava SS. Innocentium reponendum ſit eorum Feſtum principale translatum? Dicendum videtur, quòd adhiberi debeat violaceus, nam aliud eſt quòd celebretur Dies Octava, quæ repræſentat Beatitudinem poſt Martyrium acquiſitam: & aliud eſt quod celebretur Dies ipſa Martyrii licèt translata, in qua Rachel plorat Filios ſuos, & non vult conſolari, quia non ſunt. Dum igitur à Feſto incipimus, deperdita Octava; color etiam Feſti nempe violaceus eſſet adhibendus; ex quo etiam videtur ſequi, quòd nonum Reſponſorium ſit recitandum ad Matutinum, omiſſis pariter *Gloria*, *Alleluja*, & *Ite Miſſa eſt* in Miſſa. Nihilominus Gavantus *tom. 2. ſect. 6. cap. 6. ſub num. 11.* ait, quòd in hoc caſu, quia non ſit de SS. Innocentibus Octava, poterit dici *Te Deum*, cum conſequentibus, unà cum Eccleſia Univerſali: & idem habet Bauldryus *in Man. par. 3. cap. 2. ſub num. 38. pag. mihi 207.* 203

Secundæ Veſperæ de Die Octava SS. Innocentium dicuntur integræ, ut in Breviario, cum commemoratione de Vigilia Epiphaniæ, ac de S. Teleſphoro Papa & Martyre. Fit autem in his Veſperis commemoratio de dicta Vigilia contra rationem Vigiliarum, quarum Officium nonniſi à Matutino incipit, ex quo uno conſtare hanc Vigiliam eſſe ad inſtar Dominicæ; ait Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 12. quæſt. 7. pag. 269.* Eedem modo ordinandæ ſunt hæ ſecundæ Veſperæ in ea Eccleſia, in qua actum hodie ſit de Feſto principali translato SS. Innocentium. At ubi celebrata forſan fuit hac die Dedicatio Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ut apud Regulares, in ſecundis Veſperis Dedi- 204

cationis fit commemoratio de Die Octava SS. Innocentium, & Vigiliæ Epiphaniæ, ac S. Teleſphori. Quod ſi factum fuit alicubi de Feſto duplici primæ claſſis, in ſecundis Veſperis de illo Feſto fit commemoratio de Die Octava SS. Innocentium, & Vigiliæ, ſed non S. Teleſphori. At ſi cras occurrat duplex minus, Veſperæ ſiunt à capitulo de ſequenti, cum commemoratione de Die Octava SS. Innocentium, & Vigiliæ, ac S. Teleſphori. Si verò craſtina die agendum ſit de duplici majori, ut Paſſavii in Auſtria fit de S. Severino Abbate ſub dicto ritu, Veſperæ hodiernæ ſunt de ſequenti, cum commemorationibus de Die Octava, de Vigilia, & de S. Teleſphoro. At ſi cras fiat de duplici ſecundæ claſſis, in Veſperis de ſequenti fit quidem commemoratio de Die Octava, & de Vigilia, ſed non de S. Teleſphoro: Occurrente denique die craſtina Feſto duplici primæ claſſis, Veſperæ erunt de ſequenti, cum commemoratione Vigiliæ, non verò de præcedenti Die Octava, & multo minus de S. Teleſphoro.

Ut autem in compendium redigantur hujus Octavæ Privilegia: ea eſt privilegiata, quia ad Veſperas vult ſemper ſuas Antiphonas & ſuos Pſalmos: quia nullam admittit Præfationem; niſi Nativitatis, etiam in Feſtis propriam habentibus, ſolis exceptis Votivis ſolemnibus ſi propriam habeant, in quibus tamen ſuum retinet *Communicantes*: quia fit de ea commemoratio in quocumque Feſto etiam primæ claſſis: quia non admittit Votivas privatas, neque de *Requiem*, neque ſolemnes in Anniverſariis Defunctorum: quia recipit de nocte Miſſam Solemnem, in toto Anno cæteroquin prohibita: quia Miſſæ de Feſto, vel de Octava, ſuffragantur ad Altare Privilegiatum, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis: quia in Feſtis duplicibus ſecundæ claſſis fit commemoratio de aliis Octavis extra præſcriptum Rubricæ generalis: quia Dominicæ infra Octavam nihil tribuit de Pſalterio, ſed totum de Feſto: quia eidem Dominicæ concedit locum etiam in die non feſti-

feſtivo, ſi non poteſt habere feſtivum; quia denique præter Octavas, quas continet, nullas alias admittit, niſi ex ſpeciali conceſſione Sedis Apoſtolicæ.

Hucuſque dicta, ſatis ſuperque cenſemus dicta 206
de Octava Nativitatis Domini, & de cæteris Octavis infra eam occurrentibus: quapropter finem imponimus, alium finem reportare inde ſperantes, juvandi hiſce noſtris ſcriptis utrumque Clerum; quod Deus faxit, à quo Bona cuncta procedunt.

DE

DE
OCTAVA PRIVILEGIATA
EPIPHANIÆ DOMINI.
CAPUT II.

SEcunda ex Octavis Privilegiatis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa de Epiphania ſeu Teophania, utraque vox Græca, qua Theologi Græci, & ex eis Latini, uſi ſunt ad ſignificandam Chriſti Apparitionem; nam hodie tripliciter Chriſtus manifeſtatus eſt. Hiſce tamen tribus Apparitionibus diverſum nomen Durandus adſcribit, ait enim *in Ration. Divinor. Offic. lib. 6. cap. 16. ſub num. 1. 5. & 7.* quòd dicitur *Epiphania* ex apparitione Domini hodie Magis facta per Stellam: *Theophania* ex apparitione Domini hodie quidem, ſed revolutis annis, facta in Baptiſmo, quia ibi tota Trinitas apparuit, Pater ſcilicet in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in Columba: Dicitur denique *Bethphania* ex apparitione Domini hodie, ſed non eodem anno, facta in Domo Nuptiarum, ubi aperto Miraculo mutata fuit Aqua in Vinum; De quibus tribus Apparitionibus fit hodie mentio in Officio Veſperarum ad Antiphonam Cantici, videlicet: *Tribus Miraculis ornatum Diem ſanctum colimus.* Licèt autem Græci hac die agant Feſtum Baptiſmatis Chriſti in Jordane, unde in hujuſmodi memoriam multis cæremoniis benedicunt Aquam: Eccleſia tamen Latina præcipuè Magorum adorationem celebrat. 207

Quia verò hodie principaliter Magi adoratores conſiderantur, ſciendum etiam eſt, quòd ſicut iſti valdè periti erant in Aſtronomia, ſic clariſſimè cognoverunt, quia Stella illa non erat ex conſtitutis ab initio, Itaque cognita ex mirabili ſigno majeſta- 208

te

te magni Regis, ſecum tulerunt myſtica munera: erat quippe antiquus mos deferendi pretioſa dona ad Reges, ut de Regina Saba Regem Salomonem viſitante, habetur *lib.* 3. *Reg. cap.* 10. Quem verò Regem cognoverunt Magi muneribus, recognoverunt adorationibus Deum: unde S. Fulgentius ſerm. de Epiph. *Attende (inquit) quid obtulerint, & agnoſce quid crediderint*: Et S. Leo ſerm. 1. itidem de Epiph. *Scienter Divinam Humanamque naturam in unitate venerantes: quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur*: Sed clarè hoc patet ex Evangeliſta; nam *procidentes, adoraverunt eum*. At quia crediderunt, ideo cœlitùs admoniti, *per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam*, relicto Herode illos anxiè expectante, cui callidè requirenti nullum dederant reſponſum de reditu, ſed ſolummodò *cùm audiſſent Regem, abierunt*. De his autem Regibus, de Stella, & Nativitate Domini videtur illud à Regali Propheta prædictum Pſalm. *Ambulabunt Reges in ſplendore ortûs tui*. Hi autem tres Magi in magna ſunt veneratione, non ſolùm Coloniæ Agrippinæ, ubi tria eorum Capita honorificè aſſervantur, ſed etiam per totam Germaniam: nulla enim reperitur janua Domorum, in qua unà cum Anno currente non ſint interpoſitæ très primæ literæ eorum Nominum, hoc ordine, 1. G. 7. M. 3. B. 8. ſcilicet: *Gaſpar, Melchior, Balthaſar*, 1738. quod ego ubique vidi, dum illam ferè totam perluſtravi Regionem: imò & mecum tuli plura devota Brevia ibidem impreſſa cum ſacris eorum Imaginibus, & cum tribus ſequentibus exametris Carminibus.

Gaſpar fert Myrrham, Melchior Thus, Balthaſar Aurum:
Hæc tria qui ſecum portarit Nomina Regum,
Solvitur à Morbo, Domini pietate, caduco.

Epiphania igitur eſt Solemnitas ab ipſis Apoſtolis inſtituta, ut ait Macrius *in Hierolexic. ver. Epiphania*, ubi etiam refert, quòd pro impiis habebantur Imperatores, ſi huic ſolemniſſimo Feſto non interveniebant: quam demonſtrationem ſimulare voluit idemmet Julianus Apoſtata, dum in Gallia morabatur 109

rabatur : quod etiam fecerunt alii Auguſti, licèt Ariani fuiſſent. Certè in Eccleſia Dei celebratur hoc Feſtum cum magna lætitia, ita ut gaudio concepto de Nativitate Domini, novum immediatè ſuccedat de ejus apparitione : & ideo poſſumus jure merito dicere cum S. Leone ſerm. 2. de Epiph. *Epiphania nobis veneranda Feſtivitas dat perſeverantiam gaudiorum, ut inter cognatarum Solemnitatum vicina ſacramenta, exultationis vigor, & fervor Fidei non tepeſcat*. Hinc eſt, quòd præcedit feſtiva campanarum pulſatio : adornantur Eccleſiæ cum omni pompa : ad Miſſas & Veſperas pretioſiora Paramenta adhibentur : & ad quodvis Altare benè compoſitum plures accenduntur cerei, ut ex illa majori illuminatione devotè inferamus, quanta luce fulſerit Stella illa mirabilis, de qua Magi interrogati reſponderunt Herodi : *Stellam vidimus fulgentem ; cujus ſplendor illuminat Mundum*, ut læta canit Eccleſia quarta die infra hanc Octavam, in Antiphona ad Magnificat : Et ideo hodie legitur illud Iſaiæ 60. *Illuminare, Jeruſalem, quia venit lumen tuum*. Hæc autem major Eccleſiarum illuminatio ſuum habet fundamentum ab antiqua hujuſce Solemnitatis denominatione, nam præter alios, *Feſtum Luminum* appellat Nazianzenus apud dictum Macrium *loco ſuperius citato*, ſed ante eum, hoc idem retulerat Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 2. cap. 7. §. 2. pag. mihi* 53. Non tamen candelas accendimus ad fugandas tenebras rutilante Sole, ſed in ſignum ſpiritualis lætitiæ, quia lumine Fidei & Gratiæ à Chriſto illuſtrati, à tenebris infidelitatis & ignorantiæ eruti ſumus ; & hæc eſt potiſſima ratio, qua S. Hieronymus convincit Vigilantium veræ lucis inimicum.

§ I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Vigiliam Epiphaniæ Domini.

HUic Feſto Epiphaniæ præcedit ſua Vigilia, in qua tamquam Aurora Diem præcurrente Sanctus Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis Felicem cæcum Dei virtute illuminavit, ut hodie refert Baronius *in Notat. ad Martyrolog. Roman.* Eſt tamen hæc Vigilia ſine Jejunio, *ex Concilio Turonenſi II.* celebrato anno 567. *cap.* 13. & ſatis ſuperque hoc exprimit Rubrica tum Breviarii *titul.* 6. *ſub num.* 6. tum etiam Miſſalis *tit.* 3. *ſub num. itid.* 6. ob Nativitatem Domini, ait Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *ſub num.* 14. nam ob Natalis Chriſti lætitiam, duodecim illi Dies, qui à Natali uſque ad Epiphaniam intercidunt, olim jejunio vacabant, inquit Menardus *in Notis ad Libr. Sacramentor. S. Gregor. Pap. nota* 139. *pag.* 301. Ex eodem Turonenſi Canone diſcimus, nullum jejuniis relictum fuiſſe locum, ne in Cœnobiis quidem, in Epiphaniæ Pervigilio, nam Lanfrancus Cantuarienſi Infula poſtea auctus, in pauca contraxit mores Benedictinæ diſciplinæ, & Pervigilium Epiphaniæ nullis coli jejuniis ſtatuit, dicendo: *In Vigilia Epiphania non jejunetur.* Et Uldaricus quidquam ſimile pro Cluniacenſibus præſtitit, ac idem ſic teſtatur: *Ea die non jejunamus*, ut refert eruditiſſimus Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib.* 2. *cap.* 6. *ſub num.* 14. *pag. mihi* 51. 210

Officium hujus Vigiliæ celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore albo. Ad Matutinum dicitur Invitatorium, Antiphonæ, & Pſalmi, ut in Circumciſione Domini, quæ eſt etiam Octava Nativitatis. Lectiones verò omnium & trium Nocturnorum ſunt propriæ, cum Reſponſoriis tamen de dicta Circumciſione; 211

ciſione: & in fine nonæ Lectionis dicitur *Te Deum*. Ad Laudes autem, Antiphonæ & Hymnus de Die Octava Nativitatis: reliqua verò uſque ad Veſperas excluſivè ex Dominica infra Octavam ejuſdem Nativitatis. Poſt Orationem Diei fit commemoratio S. Teleſphori Papæ & Martyris, nec dicuntur Sanctorum Suffragia. Ad primam in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, ſine Precibus: & ad omnes Horas uſque ad Nonam incluſivè, terminantur Hymni cum Strophe *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine*. Si occurrat Dominica, nihil fit de ea, & ideo inſcribitur *vacans*, nec ejus ratione transfertur hæc Vigilia anticipatè in Sabbatum præcedens, ſicuti fit de aliis Vigiliis, ex Rubrica Breviarii *titul. 6. ſub numer. 2.* & Miſſalis *titul. 3. ſub num. itid. 3.* nam nullum Officium haberetur recitandum hac die quinta menſis, quia Dominica dicitur vacare, quia caret Officio.

Quòd ſi in hac Vigilia Epiphaniæ occurrat alicubi Feſtum ſemiduplex, illud transferatur poſt Octavam ejuſdem Epiphaniæ in primam diem non impeditam, quia in paritate ritus præcedit Vigilia, quæ cùm etiam habeat rationem Dominicæ, non admittit, niſi Feſta, quæ fieri poſſunt in Dominica, Biſſus *in Hierurg. tom. 2. lit. V. ſub num.* 52. & habere rationem Dominicæ tenet Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 6. quæſt. 5. verſ. De Feſto ſemiduplici, pag. mihi* 250. ubi remiſſivè *ad dict. lib. 4. cap. 12. quæſt. 7. verſ. Quod autem, pag.* 269. Gavantus quoque *tom. 2. ſect. 6. cap. 7. ſub numer. 1.* abſolutè transfert Feſtum ſemiduplex in hac Vigilia occurrens, ſubdens quod hæc ipſa Vigilia eſt longè ſuperior, quàm Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, in qua fit de ſemiduplici translato, licèt & ea ſit ſemiduplex. Etiam Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 29. obſervat, quòd hæc Vigilia multum habet de ratione Dominicæ, ait enim: *Nihil in toto hodierno Officio referri poteſt ad titulum*: In Vigilia Epiphaniæ, *id eſt ad Epiphaniam: totum eſt, ſicut in Dominica infra Octavam Nativitatis*, E-

vangelium tantùm proprium eſt: unde Bergomi in Dominio Veneto transfertur Feſtum ſemiduplex Sancti Domnonis Martyris hodie ibi occurrens.

At quid agendum, ſi alicubi occurrat hodie aliqua Dies infra Octavam, quæ ibi ſive ex privilegio Apoſtolico, ſive ex immemorabili conſuetudine celebretur; cùm ex nova lege ab Urbano Octavo lata, à die decimaſeptima Decembris uſque ad diem Epiphaniæ non ſint celebrandæ Octavæ? Certè agendum erit de Vigilia; cum commemoratione de Die infra Octavam: nam ſi Vigilia ex dictis habet locum à Feſto ſemiduplici, cui Feſto ſemiduplici cedit Dies infra Octavam; multò magis debet habere à Die infra Octavam, juxta illud communiter receptum Axioma: *ſi vinco vincentem te, multo magis vinco te*. Unde Patavii in Dominio Veneto rectè fit hodie de Vigilia Epiphaniæ cum commemoratione de Die tertia infra Octavam Inventionis S. Danielis Martyris, unius ex quatuor Patronis illius Civitatis; qui omnes ibi celebrantur ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava. Guyetus tamen, qui ex uſu Romano approbat Officium de Vigilia cum commemoratione de Die infra Octavam *lib. 4. cap. 12. quæſt. 7. pag. 269.* non reprobat tamen uſum Pariſienſem: ait enim, quòd in Breviario Pariſienſi edito anno 1636. in quo poſita eſt Octava S. Genovefæ, die quinta Januarii ſic inſcribitur: *De Octava S. Genovefæ, cum commemoratione Vigiliæ Epiphaniæ*. At Directorium Pariſienſe, quod Domi retineo, & modò ſub oculos habeo, editum Pariſiis pro Anno 1699. ordinat vice verſa, nempè: *Vigilia Epiphaniæ, cum commemoratione de Die tertia infra Octavam S. Genovefæ*: ex quo ſequitur, quòd vel Praxis Pariſienſis eſt contraria ordinationi illius Breviarii, vel ordinatio Breviarii fuit poſtmodum correcta: Unde exemplum Guyetanum, ſaltem hiſce temporibus, non valet ad commendandum uſum particularem agendi principaliter de Die infra Octavam in Vigilia Epiphaniæ. 213

Quòd ſi in hac Vigilia occurrat in aliqua Eccleſia Feſtum duplex, prout Paſſavii in Bavaria occur- 214

rit

rit Feſtum duplex majus S. Severini Abbatis, fit quidem Officium de eo, ſed cum nona Lectione Vigiliæ ad Matutinum, ejuſque commemoratione in Laudibus, deinde etiam S. Teleſphori. Idem dicendum, ſi occurrat duplex ſecundæ claſſis, imò etſi eſſet Feſtum primæ claſſis, in quo tamen omittenda eſſet commemoratio S. Teleſphori, ut de Feſto etiam duplici primæ claſſis clarè & benè ſentit Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 4. quæſt. 5. pag. mihi* 250. & ratio eſt, quia Vigilia Epiphaniæ non comprehenditur in Rubrica Miſſalis *tit. 3. ſub num.* 2. ubi ſic habetur: *Quòd ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea, ſicut nec in Officio*: illa etenim Rubrica loquitur de Vigiliis communibus: Vigilia autem Epiphaniæ eſt privilegiata, & ſatis ſuperque excipitur in Rubrica Breviarii *tit. 6. de Vigil. ſub numer.* 2. ibi: *Si autem in Vigilia occurrat Feſtum ſolemne alicujus Loci, vel ex ſolemnioribus infra Annum (ut ſi in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ venerit Feſtum Corporis Chriſti) nihil tunc prorſus, nec commemoratio fit de Vigilia: excepta Vigilia Epiphaniæ.* Itidem & in alia Rubrica ejuſdem Breviarii clarè habetur per exceptionem, quòd de Vigilia Epiphaniæ fit commemoratio in duplici primæ claſſis occurrente, nam *tit. 9. de Commemor. ſub num.* 4. ita legitur: *Niſi illud Feſtum novem Lectionum fuerit ſolemne principale alicujus Loci, nam in primis Veſperis, & Laudibus hujuſmodi Feſti, nulla fit commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ: excepta Vigilia Epiphaniæ.*

Feſtum verò translatum, etiamſi fuerit duplex 215
primæ claſſis, non reponitur in hac Vigilia, tum quia eſt ſemiduplex occurrens, diſtinctum à Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, quæ licèt ſit ſemiduplex, admittit tamen etiam ſemiduplex translatum, & in Feſto duplici primæ & ſecundæ claſſis ſuam admittit commemorationem, vigore Rubricæ ſic clarè ibi loquentis: tum etiam quia, ut patet ex dictis, hæc Vigilia non recipit niſi Feſta, quæ fieri poſſunt in Dominica: ſed in Dominica

non ſit de quovis duplici tranſlato: ergo neque in hac Vigilia. Gavantus tamen *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 7. *ſub numer.* 1. ait, quòd Hiſpanis conceſſum fuit a Gregorio Decimotertio, poſſe in hac Vigilia fieri Officium tranſlatum (licèt ſemiduplex) de S. Thoma Cantuarienſi ob Feſtum Tranſlationis S. Jacobi Apoſtoli, quod ibi die ſequenti ſub ritu duplici occurrit: ſed ſtatim addit: *eſt ſingulare Privilegium, non Lex*. Quia verò non refert ipſe verba Bullæ Gregorianæ ad hanc rem emanatæ anno 1573. *ſub die* 30. *Decembris*, & incipientis *Paſtoralis officii*: ideò ea nos volumus hoc ſuo loco ponere, ut viſis & benè conſideratis conceſſionibus in ea contentis, clarè pateat quid dicat, & cui Privilegium concedat. Verba igitur fideliter tranſumpta, ſunt ſequentia, videlicet:

Et quoniam in Regno Caſtellæ in pluribus Eccleſiis celebratur die trigeſima Decembris Tranſlatio S. Jacobi Apoſtoli, Hiſpaniarum Patroni, præcipuum Duplex, & in Breviario ponitur die vigeſima nona feſtivitas S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris, Semiduplex: & in anno, quo feſtivitas S. Thomæ occurrit in Dominica, juxta Regulam Breviarii transfertur in diem ſequentem, quo die in eo Regno celebratur ſupradicta feſtivitas S. Jacobi, poſteaquàm per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua poſſit celebrari feſtivitas prædicti S. Thomæ: volumus, ut in eo anno Feſtum ipſum S. Thomæ transferatur ad primam diem Duplici non impeditam, quæ erit Vigilia Epiphaniæ, & tunc de Vigilia fiat tantùm commemoratio. Hactenùs Gregorius Decimuſtertius. Cum autem Gavantus videatur intelligere de omnibus Regnis Hiſpaniæ: colligitur primò ex verbis Bullæ, quòd huiuſmodi Privilegium omnibus & ſolis Eccleſiis in dicto Regno Caſtellæ exiſtentibus conceſſum eſt: ergo extra illas Eccleſias non eſt facienda eadem tranſlatio in ipſam Vigiliam. Colligitur ſecundò, quòd non quovis anno in iiſdem Eccleſiis Caſtellæ transfertur feſtivitas S. Thomæ, ſed dumtaxat, quando occurrit in Dominica. Colligitur tertiò, quòd ſi in aliqua ex prædictis Eccleſiis Caſtellæ Feſtum S. Thomæ 216

æ ſit duplex, ceſſat ibi translatio, quia celebratur in Dominica. Dictum tamen Privilegium Caſtellæ eſt valdè conſiderandum: nam ſi in hac Vigilia non poteſt ex dictis fieri de Feſto ſemiduplici occurrente, multo minùs de translato: & ſi non celebratur Duplex translatum, multo minùs Semiduplex. At quia Gregorius XIII. ſupradictus reſtringit Privilegium ad ſolum Regnum Caſtellæ, alia Regna Hiſpaniæ non poſſunt eo uti: ſiquidem in materia Sacrorum Rituum non datur communicatio Privilegiorum: & ſic ubi non extenditur Privilegium, ſervandæ ſunt Rubricæ de translatione Feſtorum.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam & Veſperas in Vigilia Epiphaniæ Domini.

Miſſa de Vigilia Epiphaniæ eſt propria, quæ 219
tamen, excepto Evangelio, eſt tota de Dominica infra Octavam Nativitatis Domini. In hac Miſſa dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione S. Teleſphori, & tertia *Deus, qui ſalutis*, ſine *Credo*. Ubi tamen occurrit Dies infra Octavam, ſecunda Oratio erit de ea, & tertia de S. Teleſphoro, cum Symbolo ſi Octava illud requirat, ut dicitur Patavii ratione diei tertiæ infra Octavam S. Danielis Martyris, Urbiſque Patroni. Præfatio verò etiam hodie eſt de Nativitate Domini, ſed abſque ejus *Communicantes*. Antiquitùs tamen legebatur in hac Vigilia Præfatio diverſa, quam habet per extenſum Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pagina decimaquinta, & erat ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domi-*

ne ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Et te laudare mirabilem Dominum in omnibus operibus tuis, quibus ſacratiſſimi regni tui myſteria revelaſti. Hanc enim Feſtivitatem Dominicæ Apparitionis index Stella præceſſit, quæ natum in Terra Cœli Dominum, Magis ſtupentibus, nunciaret, Ut manifeſtandus Mundo Deus, & cœleſti denunciaretur indicio, & temporaliter procreatus; Signorum temporalium miniſterio panderetur. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, &c. Sed & Eccleſia Gallicana, juxta priſcam ejus conſuetudinem, recitabat hodie aliam Præfationem ſibi propriam, relatam à Mabillonio *in Liturg. Gallic. lib. 3. pag. mihi* 207. & ſequentibus verbis conceptam, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, nos te laudare, omnipotens ſempiterne Deus : Quia notam feciſti in Populis virtutem tuam, & ſalutare tuum cunctis Gentibus declaraſti, hodiernum declarans Diem, in qua ad adorandam veri Regis infantiam, excitatos de Mundi partibus viros clarior cæteris ſideribus Stella perduceret : & Cœli ac Terræ Dominum, in ſalutem omnium corporaliter natum, radius tuæ lucis oſtenderet. Propterea profuſis gaudiis totus per orbem terrarum Mundus exultat : Sed & ſuperna concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ, ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Vidimus quas recitabant Præfationes Antiqui: videamus modò, quam recitent à præmiſſis remotam, ſed Feſto proximam Ambroſiani : nam etiam noſtris temporibus legunt in Miſſa hujus Vigiliæ ſequentem Præfationem, in qua tria currentis Solemnitatis Miracula perbellè comprehenduntur: eſt igitur ea brevis, quæ hìc extenditur, fideliter ſumpta ex eorum particulari Miſſali, nempè : *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Quia puerperio cœleſti intulit Mundo ſua miracula Majeſtatis. Ut adorandam Magis oſtenderet Stellam : & tranſacto temporis intervallo, aquam mutaret in vinum; & ſuo quoque Baptiſmate ſanctificaret fluenta Jordanis idem Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Quem unà, &c.*

Quotieſcumque Dominica venerit in hac Vigilia 218
Epipha-

Epiphaniæ, nihil fit de ea, quia vacat: ejus tamen ratione dicitur *Credo*: & ante Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *libr. 2, capit. 31. §. 3. pag. mihi* 397, Si tamen occurrat hodie in aliqua Eccleſia Feſtum duplex, etiam primæ claſsis, fiet quidem Miſſa de eo, ſed cum commemoratione Vigiliæ, & cum ejus Evangelio in fine, quia habet Evangelium proprium, & ideo non omittendum, Guyetus *lib. 4. cap. 4. quæſt. 5. pag.* 250. In dicta occurrentia Feſti duplicis, facienda erit vel omittenda commemoratio S. Teleſphori, juxta qualitatem duplicis occurrentis. An verò in dicta occurrentia Feſti duplicis, in Cathedralibus & Collegiatis cantandæ ſint duæ Miſſæ? Ego, ut fatear quod ſentio, unam tantùm admitterem de Feſto, cum commemoratione Vigiliæ: non ratione non jejunandi hac die, ſed ratione Officii ſemiduplicis: ex quo videtur convenire opinio Guyeti *loco proximè citato* dicentis, quòd etiam Vigilia Aſcenſionis eſt ſine jejunio, & tamen duæ imò tres cantantur: nam Vigilia Aſcenſionis habet quidem paritatem cum Vigilia Epiphaniæ quoad carentiam jejunii, non tamen habet quoad ritum: cùm enim illa ſit ritus ſimplicis, admittit plures Miſſas ſolemnes: Vigilia autem, de qua modò loquimur, celebratur cum Officio novem Lectionum, & habet ex dictis (ipſo concedentes Guyeto) rationem Dominicæ: ſed in Dominica impedita non cantantur duæ Miſſæ, una ſcilicet de Feſto duplici, & altera de Dominica: ergo neque in hac Vigilia, quæ habet rationem Dominicæ.

Cùm enim hæc Vigilia habeat rationem Dominicæ, habet etiam rationem Feſti novem Lectionum: 219
ſed nomine Feſti novem Lectionum venit etiam Dominica, ut declaravit Sacra Congregatio Rituum anno 1618. ſub die 12. Martii, apud Biſſum *in Hierurg. tom. 1. verb. Feria, ſub num.* 18. §. 8. *pag.* 426. ergo (infert ex eadem declaratione Gavantus *tom. 1. p. 1. tit. 7. ſub n.* 2.) ergo Dominica non eſt Feria prima, neque in ea duæ Miſſæ ſunt

cantandæ. Unde ſi vera Dominica eſt Vigilia iſtæ Epiphaniæ, ut veram eſſe tenet ipſe Guyetus *d. lib. cap. 4. quæſt. 5. pag.* 250. & clariùs etiam *cap.* 12. *quæſt.* 7. *ead. lib. 4. pag.* 269. non poſſum cum eo exiſtimare, Rubricæ de Vigiliis futurum conformius, ſi duæ Miſſæ cantentur, cum de duobus Feſtis eodem die celebrandis unica dumtaxat ſit cantanda: & ideo Rubrica de Vigiliis intelligenda venit de Vigiliis communibus ritum ſimplicem habentibus. Caſus denique unius Conventus Pariſienſis Minorum duas Miſſas cantantis in Dominica impedita à Feſto duplici, cæteroquin relatus de viſu ab eodem Guyeto *lib. 4. cap. 2. quæſt. 5. pag.* 246. mihi videtur parùm probare: tum quia eſt unicus in una Eccleſia unius Civitatis, & non per totam Civitatem: tum quia, ſi eſſet etiam per omnes Eccleſias unius Civitatis, adhuc eſſet caſus ſpecialis: caſus autem ſpecialis unius Urbis, non traditur in exemplum totius Orbis: & licèt non improbem, ſi alicubi ſit uſus cantandi duas Miſſas in caſu noſtro, non tamen poſſum illum dicere Rubricis de Vigiliis conformem, & praxi univerſalis Eccleſiæ.

In hac tamen Vigilia Epiphaniæ non ſunt dicendæ Miſſæ Votivæ privatæ, neque de *Requiem*, ex duplici Sacræ Rituum Congregationis Reſolutione earumdem Miſſarum prohibitiva. Quia verò aliqui in Kalendariis Locorum, de hoc benè conſcii, affirmant eſſe hac die prohibitas: & aliqui è contra, hujuſmodi notitia carentes, aut in dubium revocantes, apertè negant: ut ea, qua decet, uniformitate conveniant, omneſque ex tuta Decretorum exiſtentia certò ſciant, non poſſe hodie celebrari dictas Votivas privatas, ponimus hìc per extenſum utrumque Decretum, quod ego Domi retineo, ut in annuis Diœceſum Directoriis una eademque ſit Cleri admonitio de hujuſmodi prohibitione. Primum igitur eſt tenoris ſequentis, videlicet: *Panormitana. Cùm Joſeph Gamba Confeſſarius Monialium S. Benedicti Panormi, Sacra Rituum Congregationi humiliter ſupplicaverit, reſponderi infraſcriptis* 220

pris quæſitis : *Quinto* (cæteris omiſſis ad noſtram rem non facientibus) *An in Vigilia Epiphaniæ dici poſſint Miſſæ privatæ Defunctorum , in qua à Capitulis S. Petri , & S. Joannis Lateranenſis non fit de S. Teleſphoro Papa & Martyre occurrente in dicta Vigilia ? Sacra eadem Rituum Congregatio , ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Colloredi , cenſuit reſpondendum : Ad Quintum , Negativè . Et ita declaravit . Die* 27. *Aprilis* 1697. Secundùm verò ſimile eſt primo , & quidem clarius , in quo inſuper habetur mandatum de ejus obſervantia , hiſce ſequentibus verbis , ſcilicet : *Æſina . Cùm ex parte Magiſtri Cæremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Æſinæ , Sacra Rituum Congregationi pro declaratione Dubii humillimè ſupplicatum fuerit : An in Vigilia Epiphaniæ Miſſæ Votivæ & Defunctorum celebrari poſſint ? Sacra eadem Rituum Congregatio reſpondit , Negativè : & ità decrevit ac ſervari mandavit . Die* 10. *Decembris* 1718. Quia tamen ubique Locorum non pervenerunt dicta Decreta , ideò iterum propoſito Dubio hujuſmodi , ſacra eadem Rituum Congregatio *in una Ordinis Hieroſolymitani. anno* 1730. *ſub die* 16. *Septembris* , ad Septimum Dubium : *An in Vigilia Epiphaniæ Domini poſſint celebrari Miſſæ privatæ de Requiem , & Votivæ?* ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Zondadarii , reſcribendum cenſuit , *Negativè , & ita decrevit & ſervari mandavit* : hoc autem Decretum , una cum aliis ex eadem die emanatis , ſed modò ad noſtram rem non facientibus Domi aſſervo , ex benignitate Reverendiſſimi Magiſtri Melitenſis Cæremoniarum ad me tranſmiſſum : & poſtmodum refert etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *part.* 2. *in Indice , ſub num.* 651. Cùm autem prohibitio unius ſit conceſſio alterius , ideo ex prohibitione Votivarum privatarum inſurgit permiſſio Votivarum ſolemnium , quæ omnes poſſunt pro re gravi celebrari in hac Vigilia.

Veſperæ hodiernæ dicuntur ex integro de Epi- 222
phania per Antiphonam *Ante luciferum genitus* , cum reliquis , ut in Breviario . Non fit in his Veſperis aliqua

aliqua commemoratio, niſi alicubi in hac Vigilia actum ſit de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, de quo erit commemoratio facienda: ſicuti & de Die Octava, ſi cras in Feſto Epiphaniæ in aliqua Eccleſia ſimul occurreret ex privilegio vel ex immemorabili conſuetudine. Hymnus, qui in his Veſperis dicitur, Sedulio adſcribitur, ait Grancolas *in Comment ar. ad Breviar. Roman. c.* 30. *verſ. Hymnus*, ubi obſervat comprehendi in eo tria hujus Feſti objecta, nempè, adorationem Magorum, *Ibant Magi*: Jeſu Chriſti Baptiſmum, *Lavacra puri gurgitis*: & primum Miraculum, *Novum genus potentia*. In Collecta tamen adoratio Magorum tantùm commemoratur, quia, ut ſupra diximus, Eccleſia Latina præcipuè celebrat dictam Magorum adorationem. In Cathedrali tamen Eccleſia cantantur hodie Veſperæ Pontificales, ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *pag. mihi* 184. Quoad aſſociationem Epiſcopi, Pſalmorum decantationem, Benedictionem finalem, ſive Indulgentiarum publicatione, vide quæ diximus in primis Veſperis Pontificalibus de Nativitate Domini. Cantante autem ſolemnes Veſperas Epiſcopo in ſua Cathedrali, valdè congruum eſt, ut Prior ſeu quovis nomine nuncupata prima Dignitas cantet in Collegiata, in Monaſteriali Abbas, in Conventuali Superior Localis, ut de Prælato Conventus advertit Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *libr.* 3. *cap.* 5. *ſub nu.* 20. *pag.* 152. *juxta primam editionem*, *ipſo corrigente Auctore*, *Neapoli facta anno* 1613. Ad Hymnum denique Completorii ultima Strophe mutanda eſt, dicendo ejus loco *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui apparuiſti Gentibus*. Cæterum extra Officium, hac nocte in Cæna facienda eſt Benedictio Menſæ (ubi ſcilicet fieri ſolet) per verba *Reges Tharſis*, *&c.* cum reliquis, ut in fine Breviarii.

Ne tamen aliquid deſit quod ad hanc Vigiliam 222
Epiphaniæ poſſit pertinere, illud dumtaxat cenſeo remanere dicendum, quod eſt muneris Pontificalis. Benedictus etenim Decimuſtertius Pontificalem ordinavit Aquarum Benedictionem cum Indulgentia intereſ-

intereſſentibus conceſſa, quam voluit faciendam in hac Vigilia, & quam idcircò veluti novam Functionem ab ipſo Pontificalem appellatam, Pontificali Romano addendam eſſe reor. Hanc tamen Aquarum Benedictionem à me diligenter collatam cum illa, quæ in fine Ritualis Romani Pauli Quinti paucis ab hinc annis legebatur impreſſa, inveni totaliter concordare: & in hoc dumtaxat una differt ab alia, quòd illa ſæpè in Rubricis dat Officiatori nomen *Sacerdotis*, iſta verò Benedicti Decimitertii dat nomen *Pontificis*.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Feſtum Epiphaniæ Domini.

Epiphania Domini celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo, eique affixum 228
eſt præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Nulla particularis Celebritas, quamtumvis ſolemnis, locum habet ab hac univerſali Feſtivitate: unde ſi hodie occurrat alicubi Dedicatio Eccleſiæ, vel tamquàm affixa huic Diei ſextæ Januarii, vel tamquàm conſignata Dominicæ primæ Menſis in hanc Diem quandoque incidentis, transfertur poſt Octavam ejuſdem Epiphaniæ, non verò infra Octavam, ut clarè patet ex inferiùs dicendis. Aliquibus in Eccleſiis Germaniæ & Poloniæ fit ſolemnis Benedictio Auri, Thuris, & Myrrhæ, in devotam trium Munerum memoriam à Magis hodie Jeſu Chriſto parvulo oblatorum. Feſtum autem Epiphaniæ erat antiquitùs unum ex illis ſtatutis Diebus, in quibus fiebat ab Epiſcopo Benedictio Virginum: ita enim ſtatuitur in Epiſtola Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Lucaniæ:

Deus-

Devotis quoque Deo Virginibus, niſi aut Epiphaniarum Die, aut in Albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum Natalitiis, ſacrum minimè velamen imponant: ut in ſacra eruditione benè verſatus refert Menardus *in notis ad Libr. Sacramentor. S. Gregorii Pp. nota* 603. Ratione verò Baptiſmi Chriſti non confertur hodie ſolemniter, hoc eſt cum Benedictione Fontis, Baptiſma: cùm enim quidam in hac Feſtivitate baptizaſſent, & hic mos in Sicilia inoleviſſet, ſuſtulit S. Leo Papa *Epiſt.* 4. Et cùm etiam in Gallia idem mos obrepſiſſet, ſaltem in Neuſtria ſeu Normandia, ſublatus eſt in Concilio Rothomagenſi, celebrato anno 1072. ibi: *Vigilia, vel Die Epiphaniæ, ut nullus, niſi infirmitatis neceſſitate, baptizetur, omninò interdicimus*: prout habet dictus Menardus *ibidem, nota* 391. *pagin.* 398.

Quoad officium in Feſto Epiphaniæ recitandum, habetur hodie aliquid à communi ritu alienum & ſingulare: nam ad Matutinum dictis ſecreto de more *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, extra morem omittuntur *Domine labia mea aperies*, *Invitatorium* & *Hymnus*, & incipitur abſolutè ab Antiphona primi Pſalmi *Afferte Domino filii Dei*. Non dicimus enim Invitatorium, in quo eſt invitatio ad adorationem Chriſti: tum quia Magi ad adorandum Chriſtum non invitati venerunt: tum quia privatim reverſi ſunt in Regionem ſuam, evitando Herodem jam fingentem ſe velle adorare Chriſtum, ut conſcius perderet, fraudolenter idcircò eis dicens: *ut & ego veniens, adorem eum*: ſic enim videtur voluiſſe exponere Beleth *in explicat. Divinor. Officior. capit.* 73. Licèt autem hac die non dicatur Invitatorium, dicitur tamen in tertio Nocturno Pſalmus invitatorius nonageſimus quartus, ſcilicet, *Venite, exultemus Domino*, cum intercalari Antiphonæ repetione, & hoc non ſine myſterio: oſtenditur enim, quòd in tertio tempore, nempè, tempore gratiæ, ſufficienter invitata eſt Eccleſia de Gentibus, & nullus ſe excuſare poteſt de adoratione Chriſti, quia *in omnem terram exivit ſonus eorum*, inquit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. libr.* 6. *cap.* 16. *ſub nu.* 9. 224

nu. 9. *pag. mihi* 185. ubi etiam obſervat, quòd dictus Pſalmus invitatorius diciturad ſeptimam Antiphonam, ad denotandum quòd per Baptiſma datu Spiritus ſeptiformis.

Satis autem congruè in aliquibus Eccleſiis ſolem- 225
ni cantu, in principio dicti tertii Nocturni, à Can-
toribus ex utraque parte Chori ad hoc deſignatis,
alternatim cantantur Verſus dicti Pſalmi nonage-
ſimi quarti, Antiphona verò ſemper à toto Chori
repetitur: quem morem commendat Piſcara *in*
Prax. Caremoniar. lib. 3. *ſect.* 3. *cap.* 1. *ſub. numer*
2. *pag. mihi* 369. Primum Reſponſorium hujus Ma-
tutini, *Hodie in Jordane*, eſt diſtinctum ab illo
quod dicendum eſt infra Octavam: nec dicitur ho-
die tantùm, ſed & in Dominica, & in Die Octava
ut ſuo loco patebit. Ad ſeptimum autem & octavum
Reſponſorium non genuflectitur, dum pronunciantur
verba illa; *& procidentes, adoraverunt eum*, ut docet
Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 2. *ſub numer.* 4. ubi
tamen, quod ſtandum erit. Ad Laudes omnia ſunt
propria, quæ concluduntur cum unica Oratione
Feſti, niſi alicubi occurrat Dies Octava, vel ex
privilegio Apoſtolico conceſſa, vel ex immemora-
bili conſuetudine introducta, nam in hoc caſu fie-
ret de ea commemoratio. Ad Primam in Reſpon-
ſorio brevi dicitur verſiculus *Qui apparuiſti hodie*,
qui in Urbana Hymnorum correctione retentus
fuit de antiquo ſine tamen *Alleluja*, licèt addatur
ad ceteras Horas, ad quas omnes ſicut & ad Pri-
mam clauduntur Hymni cum Strophe *Jeſu tibi ſit*
gloria, qui apparuiſti Gentibus. Quòd ſi hoc Feſtum
venerit in Dominica, illa erit vacans, & conſe-
quenter nihil de ea in Officio.

§. IV.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Feſto Epiphaniæ Domini.

Miſſa in Die Epiphaniæ eſt propria, cum *Gloria*, & cum unica Oratione, niſi facienda ſit in aliqua Eccleſia commemoratio de Die Octava, ratione Privilegii Apoſtolici vel conſuetudinis immemorabilis. Dicitur *Credo* ſine tamen Orgàno in ſolemni, expectante Celebrante integram ejuſdem Symboli decantationem antequàm proſequatur, de quibus ſatis ſuperque dictum eſt ſupra in ſecunda Miſſa de Nativitate Domini. Præfatio quoque hodierna eſt propria, ſcilicet, *Quia cùm Unigenitus tuus*, cum ſuo *Communicantes* itidem proprio: quæ quidem Præfatio ex antiquiſſimo tempore recitatur in hac Miſſa, nam eadem eſt numerò *in Libr. Sacramentor. S. Gregorii Pp. pag.* 16. ubi & habetur Benedictio, quam juxta illius temporis conſuetudinem Epiſcopus Populo largiebatur, antequàm Euchariſtiam ſumeret, ut fuſiùs patet ex ſuperiùs dictis in Miſſa de Nocte Nativitatis Domini: & ſicuti in quolibet Feſto erat propria, ſic pro hoc Feſto Epiphaniæ Benedictio Epiſcopalis ſequentibus erat precationibus efformata, videlicet: *Deus lumen verum, qui Unigenitum ſuum hodierna die, Stella duce, Gentibus voluit revelare, ſua vos dignetur Benedictione ditare.* Amen. *Quo exemplo Magorum, myſtica Domino Jeſu Chriſto munera offerentes, ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum, ad æternam Patriam redire valeatis per viam virtutum.* Amen. *Detque vobis veram mentium innocentiam qui ſuper Unigenitum ſuum Spiritum Sanctum demonſtrare voluit per columbam: eaque virtute mentes veſtra exercean-*

ceantur ad intelligenda Divina Legis arcana, qua in Cana Galilea lympha eſt in vinum converſa. Amen. *Quod ipſe praſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.*

Duas tamen alias Præfationes ad hanc Miſſam 227
ſpectantes volumus etiam extendere ad eruditionem: quarum una jam recitabatur antiquitùs: alterius verò recitatio eſt adhuc in viridi obſervantia. Et prima quidem eſt Eccleſiæ Gallicanæ, quæ ſuam habebat hodie Præfationem propriam, à Romana diverſam, & quæ tunc temporis vocabatur *Conteſtatio*. Hanc ponit per extenſum Mabillonius *in Liturg. Gallicana lib.* 3. *pag.* 209. & nos ex eo, eratque ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Qui nobis ſuper Jordanis alveum de Cœlis vocem in modum tonitrui præbuiſti, ut Salvatorem ſæculi demonſtrares, & Patrem luminis æterni oſtenderes: Cœlos aperuiſti, aerem benedixiſti, fontem purificaſti, & tuum Unicum per columbam Sancti Spiritus demonſtraſti. Susceperunt fontes hodie benedictionem tuam, & tulerunt maledictionem noſtram: ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant; & Deo filios regenerando faciant ad vitam æternam, quos ad temporalem vitam carnalis nativitas fuderat. Nam quos mors per prævaricationem ceperat, hos vita æterna à morte recipiens, ad Cœlorum regna revocat. Unde debita exultatione voces noſtras jungimus confeſſionibus Angelorum, qui gloriam tuam mirabile ſacramento hodierna Solemnitate venerantes, pro apparitione Jeſu Chriſti Domini noſtri, & pro noſtra vocationis exordio ſacrificium tibi laudis offerimus, per ipſum Dominum noſtrum: Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Secunda verò Præfatio, quæ noſtris etiam temporibus dicitur hac die, eſt Ambroſianorum; & ex particulari eorum Miſſali, deſumpta, extenditur integra hoc loco, omninò quidem diſtincta à Romana ſed paucis mutatis, paucíſque demptis, concordat cum Gallicana: eſtque ea, quæ ſequi-

ſequitur, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui te nobis ſuper Jordanis alveum de Cœlis in voce tonitrui præbuiſti, ut Salvatorem Cœli demonſtrares, & te Patrem æterni luminis oſtenderes. Cœlos aperuiſti, aerem benedixiſti, fontem purificaſti, & tuum unicum Filium per ſpeciem columbæ, Sancto Spiritu declaraſti. Suſceperunt hodie fontes benedictionem tuam, & abſtulerunt maledictionem noſtram. Ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant, & Dei filios adoptione faciant ad vitam æternam. Nam quos ad temporalem vitam carnalis nativitas fuderat; quos mors per prævaricationem ceperat, hos vita æterna recipiens, ad regni Cœlorum gloriam revocavit. Per eumdem, &c. Per quem, &c.*

Si Feſtum Epiphaniæ venerit in Dominica, nihil 228
prorsùs agendum erit de ea, quia vacat etiam quoad commemorationem in Miſſa: ejus tamen ratione fit aſperſio Aquæ benedictæ ante Miſſam ſolemnem, excepta Eccleſia, in qua Epiſcopus Pontificaliter eſt celebraturus, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 31. §. 3. & 4. pag. 397. & 398. ſecundum editionem Romanam de Anno 1727. ſub Benedicto Decimo tertio ejuſdem Cæremonialis recognitore.* Data verò hoc proprio loco occaſione, moveor dicere, quòd qui benedicit Aquam poſtea aſpergendam, debet prius purgare conſcientiam ſuam, ſi indigeat, deinde ad benedictionem devenire: hæc eſt enim vox Dei ſic loquentis *in Deuteronom. cap. 21. ibi: Sacerdotes accedant ad me, & benedicant in nomine meo*: Accedant ſcilicet ad me per debitam contritionem, & benedicant per fervidam orationem; cùm enim magni ponderis ſit munus Aquæ benedicendæ, cavendum eſt, ne accedatur ad benedicendum abſque Divinæ Gratiæ argumentis: Unde Beatus Vincentius de Valentia *de benedict. Aqua, diſt. 21.* notat, quod qui in peccatis mortiferis fuerint, à benedicendo abſtineant. Ut autem proſequamur quod ad rem noſtram ſpectat: Epiſcopus ipſe deberet hodie in ſua Cathedrali celebrare, ſi poterit, quod valde conveniens

eſſet,

eſſet, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 15. §. 3. *pag. mihi* 295. In quacumque verò Eccleſia cantetur hac die Miſſa cum Miniſtris, cantari debet ab eo, qui primas peregit Veſperas ſolemnes, ut ſupra dictum eſt: & dum ad Evangelium cantantur verba illa *Et procidentes, adoraverunt eum*, Celebrans, & omnes de Choro genuflectant, versùs Altare converſi: Diaconus tamen converſus ad Librum, etiam ipſe genuflectit, Subdiacono & Ceroferariis ſtantibus, qui numquam moventur, ut ex Rubrica Miſſalis *tit.* 17. *de ord. genuflect. ſub num.* 4. ait Piſcara in Praxi Cæremoniarum *lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 1. *ſub num.* 3.

Cantatò in Miſſa ſolemni per Diaconum Evan- 229
gelio, publicantur Feſta mobilia currentis Anni, & hoc ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine: nam ex Concilio Aurelianenſi Quarto, de anno 541. *Canone primo*, hunc laudabilem morem cepiſſe, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 3. *ſub num.* 14. & refert etiam Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. cap.* 30. *verſ. Antiquus mos*, ubi addit verba illius Canonis primi, nempè: *Epiphaniorum die in Eccleſia Populis denuncietur Paſcha*. Hæc autem Feſtorum publicatio non eſt neceſſariò facienda per Diaconum Evangelii, ſed fieri poteſt ab illo, cui de conſuetudine demandari ſolet: unde quoad hoc ſic habet Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 15. §. 3. *pag.* 295. *Quo die, cantato Evangelio, aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius, juxta conſuetudinem Loci, paratus Pluviali, aſcendet ambonem, vel pulpitum, & ibidem Populo publicabit Feſta mobilia Anni currentis in forma, prout in Pontificali Romano*. Dicta verò forma Pontificalis Romani remiſſivè citata à prædicto Cæremoniali, habetur *par.* 3. *in principio*, in qua inſertam cernes etiam Diem Synodi Diœceſanæ, qui certè Dies cùm pendeat ab arbitrio Epiſcopi, nec ſemper ſit eadem, ſit eo anno mobilis. Ut autem omnibus innoteſcat ipſa forma publicationis, ea hìc ponitur per extenſum, ex dicto Pontificali fideliter tranſumpta, cui tantùm de anno in annum addendus erit Dies, & Menſis pròprius,

in quibus Feſta mobilia annuatim occurrent: Forma igitur eſt ea, quæ ſequitur, videlicet, *Noveritis, Fratres chariſſimi, quòd, annuente Dei miſericordia, ſicuti de Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti gaviſi ſumus, ita & de Reſurrectione ejuſdem Salvatoris Noſtri gaudium vobis annunciamus. Die... Menſis ..... erit Dominica in Septuageſima. Die ... Menſis ..... Dies Cinerum, & initium Jejunii ſacratiſſimæ Quadrageſimæ. Die ... Menſis ..... ſanctum Paſcha Domini Noſtri Jeſu Chriſti cum gaudio celebrabitis. Dominica ſecunda (vel alia Die, quo erit habenda) Menſis ..... Diœceſana Synodus habebitur. Die ... Menſis ..... erit Aſcenſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Die ... Menſis ..... Feſtum Pentecoſtes. Die ... Menſis ..... Feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti. Die ... Menſis ..... Dominica prima Adventus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Licèt autem Pontificale Romanum in prædicta 230
forma publicationis Feſtorum in Die Epiphaniæ poſt Evangelii decantationem faciendæ, non habeat, niſi Synodum Diœceſanam, non erit tamen omittenda publicatio Concilii Provincialis, ubi & ſi habenda fuerit, tam in Metropolitana, quàm in Cathedralibus Provinciæ, aliiſque Eccleſiis. Iſta enim fuit prima Actio Concilii Provincialis Primi, ab Eminentiſſimo Cardinale Vincentio Urſino Archiepiſcopo Beneventano (poſtea Summo Pontifice ſub nomine Benedicti Decimitertii) laudabiliter celebrati anno 1693. de quo in ejus Vita à me Italicè conſcripta: & patet *ex Synodico, in Append. ad præfat. Concil. ſub num. 24. pag. 592. ſecundùm editionem Romanam de Anno* 1724. & eſt juxta Cæremoniale Epiſcoporum, in quo hoc expreſsè demandatur, *lib.* 1. *cap.* 31. §. 3. *pag.* 178. ſequentibus præciſis verbis, videlicet: *Et ut pleniùs Dies Concilii Provincialis habendi & inchoandi divulgetur, in Die Epiphaniæ, dum frequenti Populo intra Miſſarum ſolemnia Feſtivitates ejus Anni ſolemniores denunciantur, poterit loco ſuo inter ipſos Dies feſtos pronunciari & promulgari, tam in Eccleſia Metropolitana, quàm in quibuſcumque aliis Cathedralibus ei ſubjectis.*

Sed

Sed & alia Feſta, ut reor, erunt quandoque publicanda in Die Epiphaniæ, quæ aliquo Anno poſſunt fieri mobilia. Et quidem in Eccleſia Univerſali, quando Feſtum Annunciationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ occurrit in Feria ſexta Paraſceves vel in Sabbato Sancto, transfertur unà cum præcepto ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis: ex duplici Decreto Alexandri Octavi de Anno 1690. *ſub diebus* 11. *Februarii*, *&* 11. *Martii*. Eo igitur caſu eveniente, dictum Feſtum fit mobile, & conſequenter videtur eo Anno in Die Epiphaniæ proprio loco inter Feſta mobilia publicandum. In Eccleſia verò particulari dari poteſt caſus ſimilis. Ubi enim Feſtum Patroni Loci occurrit in uno ex dictis diebus Paraſceves vel Sabbati Sancti, & ei ex hac ratione per conceſſionem Apoſtolicam ſit affixa aliqua Dies poſt Octavam Paſchæ unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, non video, cur non poſſit hodie inſeri inter Feſta publicanda. Sic Ferrariæ hoc Anno, in quo hæc ſcribo, milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo quarto, celebratum fuit ex Indulto Apoſtolico de Anno 1732. ſub die 23. Auguſti Feſtum S. Georgii Martyris illius Civitatis Patroni principalis Feria tertia poſt Dominicam in Albis cum tranſlatione præcepti ad eamdem Diem, quia occurrebat ibidem die vigeſima quarta in Sabbato Sancto, ut patet ex Directorio ſeu Kalendario illius Diœceſis, quod modò præ manibus teneo, & ſub oculos habeo: Poterat igitur (meo judicio) ibi publicari hoc Anno dictum Feſtum inter alia mobilia in Die Epiphaniæ. 231

Hæc tamen Miſſa Epiphaniæ dici non debet uti Votiva infra Annum: cùm enim propria ſit hujus dumtaxat Solemnitatis, ideò extra propriam Diem, ejuſque Octavam, celebrari non poſſe declaravit *Sacra Rituum Congregatio de ordine Pauli Quinti*, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſæ Ritus*, *ſub num.* 2. *pag. mihi* 332. *juxta ſextam editionem Romanam de Anno* 1717. cui ego in fine noviſſimas Additiones adnexui ſeptuaginta quinque 232

Decretorum ad Regulares ſpectantium. Qui verò rarò celebrat, debet hodie neceſſariò celebrare, nam cùm Sacerdos teneatur quater vel quinquies in Anno ſacrificare ex vi præciſa Ordinis, & quidem in præcipuis Feſtivitatibus, una ex illis eſt proculdubio hodierna Epiphaniæ Solemnitas, in qua, juſto impedimento ceſſante, non celebrando, peccat mortaliter, ut tenent Quartus, Paſqualigus, & Reiffenſtuel, ad hanc rem ſuperiùs citati in Die Nativitatis Domini. Huc etiam accedit, quòd ſi hodie alicui Eccleſiæ ſit conceſſa Indulgentia, ea non intelligitur extenſa ad totam Octavam, niſi in Brevi conceſſionis fiat expreſſa mentio de ipſa Octava, ſine qua mentione ſpecifica non valet Indulgentia, niſi pro ſolo Die Feſto, nam verba hujuſmodi Brevium tantum valent, quantum ſonant.

Cæterùm in Die Epiphaniæ non dicitur Miſſa Votiva de SS. Sacramento pro Oratione quadraginta Horarum: ſed ſi hodie in aliqua Eccleſia occurrat ejus Expoſitio, cantatur Miſſa de Epiphania, cum Collecta *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili*, & quidem ſub unica concluſione, ut præcipit Clemens Undecimus in Inſtructione ad hanc rem emanata, quæ reperitur *in ejus particulari Bullario, par. 2. Conſtitut. 9.* & habetur etiam *in noviſſ. Bullar. Rom. tom. 8. par. 2. Conſtit. itid. 9.* §. 10. Dicta tamen Collecta omittenda eſt in Miſſis privatis, nam in Feſtis primæ & ſecundæ claſſis non eſſe dicendam, ad quartum Dubium reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Lateranenſium anno* 1684. *ſub die 2. Decembris*, apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par. 2. tit. 13. formul. 1. pag. 51. ſub num. 2.* & refert etiam P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 471. Quòd ſi non poteſt hac die cantari Votiva de SS. Sacramento, quod eſt majus: non poterit profectò cantari alia quævis Votiva pro re gravi, quod eſt minus: ſed ſicuti de SS. Sacramento poteſt dici Collecta ſub unica concluſione in Miſſa ſolemni de Epiphania, ſic etiam dici poterit pro alia Votiva, quæ eſſet alicubi, cæteroquin hodie 233

cantanda, de qua tamen non dicetur Collecta in Miſſis privatis, quia in eis neque dicitur pro SS. Sacramento expoſito, ut clarè patet ex ſuperiùs dictis. Unde ſi in Feſto Epiphaniæ forſan alicubi occurrat Anniverſaria Dies Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, erit quidem dicenda ejus Collecta in Miſſa ſolemni, ſed non in privatis. Ad hanc rem teneo Domi ſequens particulare Dubium cum ſua reſponſione: Quæſitum enim fuit à quodam Eccleſiaſtico mihi in amicitiam, dum viveret: conjunctiſſimo: *An occurrente Die Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi in Feſto primæ claſſis, debeat celebrari Miſſa, vel ſaltem dici Oratio ejuſdem Anniverſarii in Miſſis dicti Feſti primæ claſſis*. Et reſponſum ei fuit à Viro, cæteroquin præſtantiſſimo, & de Sacris Ritibus benè merito, hoc modo: *In Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 35. apertè diſponitur, quòd Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi incidente in aliquo Die feſtivo (quod utique intelligi debet de feſtivo impediente celebrationem Miſſæ Conſecrationis Epiſcopi, prout ſunt Feſta primæ & ſecundæ claſſis) Miſſa ſolemnis celebrari debeat de Feſto, cum commemoratione pro Epiſcopo, quam dici congruum eſt ſub unica concluſione, juxta praxim univerſalem omnium Eccleſiarum.*

Attamen ille quæſierat de Miſſis, iſte verò ritè & rectè reſpondit de Miſſa, nam revera Cæremoniale non loquitur de Miſſis privatis, ſed de Miſſa ſolemni, ut clarè patet legenti. Quare cùm Amicus ille meus intelligere voluerit de Miſſis privatis, fecit per plures Annos adnotari in Kalendario Diœceſis ſecundam Orationem pro Epiſcopo in Miſſis privatis de Feſto Patroni principalis illius Urbis, quæ meo judicio non erat adnotanda. Quòd ſi ſupra in ſecunda Miſſa de Nativitate Domini dixi faciendam eſſe commemorationem, etiam in Miſſis privatis, de hujuſmodi Die Anniverſaria, ſi alicubi occurrat, prout occurrit Patavii in Dominio Veneto pro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Epiſcopo Joanne Minotto Otthobono, ideò hoc dixi, quia illa Miſſa ſecunda non eſt tantæ ſolemnitatis, quantæ eſt prima & tertia, & idcircò in ea fit 234

etiam commemoratio de Feſto ſimplici S. Anaſtaſiæ: ex quo non eſt inferendum ad noſtrum caſum. Sicuti igitur mihi ſemper diſplicuit, quòd Kalendariſta Tarviſinus, cæteroquin peritus, per totum tempus Epiſcopatus Illuſtriſſimi quondam & Reverendiſſimi D. Fortunati Mauroceni ordinaverit die vigeſima ſeptima Aprilis in Miſſis privatis Collectam pro eo in Feſto S. Liberalis Confeſſoris, illius Civitatis Patroni principalis: ſic mihi placet ſilentium Kalendariſtæ Ferrarienſis, qui, cùm die vigeſima-quarta Aprilis occurrat ibi Dies Anniverſaria Electionis Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Thomæ Rufi in Feſto S. Georgii Martyris, præcipui illius Urbis Patroni, admonet de Anniverſario, ſed tamen tacet Collectam ſcienter, ut nihil dicendo, ſciant Diœceſani non eſſe dicendum, ſed in hujuſmodi Feſti impedimento, recordentur Sacerdotes de Epiſcopo ſuo in *Memento vivorum*. Sed quoad hoc habemus Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Lycien. de Anno 1705. ſub die 4. Aprilis, tenoris ſequentis, videlicet: *Quando Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ claſſis, infra Hebdomadam Majorem, in Diem Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alio ſolemniori, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de Die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione, ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum*: ita enim refert digniſſimus teſtis de viſu, Reverendiſſimus P. Cajetanus Maria Merati, ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultor, *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 693. Locus autem ejuſdem Cæremonialis eſt ille ſupra citatus. Dum autem in dicto Decreto dicitur, *vel alio ſolemniori*, quis non incluſum intelliget hunc etiam Diem ſolemnem Epiphaniæ?

Neque in hac Die Epiphaniæ cantanda eſt Miſſa de Feſto alicubi forſan occurrente, & neceſſariò transferendo, licèt ſit duplex primæ claſſis, & cum Populi concurſu, juxta ſpecificam hujuſce Feſti exceptionem in Rubrica Miſſalis *titul. 6. de translat. Feſtorum*. Imò & Miſſa pro Defunctis ſolemnis in 235

Die

Die Obitus, etiam præſente Corpore in Eccleſia, hodie non habet locum, tum quia Epiphania eſt una ex magnis Celebritatibus, quas obſtare dicit, & ideò excipit Rituale Romanum *titul. de Exequ. rubrica* 5. tum etiam quia non eſſe cantandam hujuſmodi Miſſam in duplicibus primæ claſſis, declarando reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Collenſi, ad octavum Dubium, ſub die* 5. *Julii* 1698. quam Reſponſionem, ſeu potiùs Decretum quia reſpicit totam Eccleſiam, ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii. Ex hoc Decreto corruit opinio tum Gavanti *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 5. *ſub num.* 2. *lit.* X. tum etiam Quarti *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 5. *dub.* 2. *pag. mihi* 57. tenentium, quòd ſi quis moriatur in Die Paſchæ, Corpus ejus ſit reſervandum in ſequentem diem, ſepeliendum cum Miſſa: nam ſequens Dies eſt duplex primæ claſſis: quare ex eorum aſſertione benè poterat inferre Paſqualigus, *ergo in duplicibus primæ claſsis cantari poteſt Miſſa in Die Obitus*, prout infert *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *qu.* 285. Unde, licèt non viderit Reſponſionem à me ſuperiùs citatam, meliùs tamen intelligit Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Rom. tit.* 34. *ſub num.* 44. ubi magnam Diei celebritatem à Rituali exceptam optimè explicat de celebritate non ſolùm univerſalis, ſed etiam particularis Eccleſiæ, ſi in iſta ſepeliendus ſit Defunctus eo die, quo ibi occurrat Feſtum Dedicationis, vel Titularis, quæ ſunt Feſta primæ claſſis. In privatis denique Oratoriis Pontificium Indultum habentibus non eſt hac Die celebrandum, nam præterquàm quòd in hujuſmodi Brevibus excipiuntur ſemper Feſta ſolemniora, inter quæ pro indubitata eſt hodierna Solemnitas: ſpecificè, & expreſsè hoc Feſtum Epiphaniæ inter alia Anni præcipua excepit Sacra Rituum Congregatio *in Decreto emanato ſub die* 17. *Novembris* 1607. ut citata Doctorum caterva illud referentium, dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 293. *pag.* 88. *juxta editionem Paternam de Anno*

 1730.

1730. & tandem tradit etiam P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num. 74. pag.* 1361.

In ſecundis Veſperis de Epiphania, nulla occurrit facienda commemoratio, niſi hoc Feſtum venerit in Sabbato, quia tunc fiet commemoratio de ſequenti Dominica infra Octavam, ut mox dicemus: & hoc quidem in Eccleſia Univerſali. In Eccleſia verò particulari dari poteſt vel commemoratio de aliqua Die Octava hodie forſan alicubi occurrente ex Privilegio Apoſtolico aut ex immemorabili conſuetudine: vel poteſt fieri commemoratio de ſequenti duplici primæ claſſis, ſi tamen cras occurrat, ut Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Juliani (cujus ego ſum Parochianus à nativitate) occurrit die ſeptima Januarii Feſtum ſui Titularis Martyris, & conſequenter in ſecundis hodiernis Veſperis de Epiphania fit ibi commemoratio ſola de eo. Sed & ſi alicubi cras occurret Dedicatio Eccleſiæ, adhuc Veſperæ eſſent integræ de Epiphania, cum commemoratione Dedicationis, quia in paritate ritus attenditur major dignitas Feſti, quæ certo certius danda eſt Epiphaniæ. In Cathedrali verò Eccleſia ſecundæ Veſperæ poterunt per Epiſcopum eàdem ſolemnitate celebrari, quà primæ, nam licèt Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pag. mihi* 184. loquens de ſecundis Veſperis ab Epiſcopo Pontificaliter celebrandis, dicat, quòd Epiſcopus poterit celebrare ſecundas Veſperas *ſaltem in Dominica Reſurrectionis, & in Die Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ, & Sancti Patroni Civitatis*: Ly tamen *ſaltem* eſt quidem reſtrictivum ad quatuor Feſta expreſſa, ſed non excluſivum aliorum Feſtorum ejuſdem ſolemnitatis. Nihilominùs hoc eſt arbitrarium Epiſcopi. 236

§. V.

§. V.

De Diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus.

PRiſcis Eccleſiæ temporibus, ſingulis hujuſce Octavæ Diebus tres tantùm dicebantur Pſalmi, & tres Lectiones, cum ſuis Antiphonis, & Reſponſoriis, ut refert Benedictus, Canonicus S. Petri Romæ, qui Ordinem Romanum conſcripſit ante Annum 1145. & ex eo aſſerit Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap.* 31. Hic tamen antiquus mos celebrandi Dies infra Octavas cum tribus Pſalmis, & tribus Lectionibus, adhuc retinetur in Diebus infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, de quibus ſuo loco ſermo erit. Horum tamen Dierum Officium celebratur modò ſub ritu ſemiduplici in colore albo, cum novem Antiphonis, novemque Pſalmis, & totidem Lectionibus: totumque deſumitur ex Feſto, iis tantùm exceptis, de quibus ſtatim. Ad Matutinum enim dicitur more ſolito Verſus *Domine, labia mea aperies:* & Invitatorium, quod in Feſto omiſſum fuit, in hiſce Diebus infra Octavam admittitur, nempè, *Chriſtus apparuit nobis, Venite adoremus*, diciturque in perſona Magorum, aliis, qui non viderant, nunciantium, ait Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap.* 16. *ſub num.* 9. Omiſſo quoque primo Reſponſorio *Hodie in Jordane*, aliud ejus loco dicitur, videlicet, *Tria ſunt munera*, ut clarè patet ex Rubrica Breviarii in Feſto poſita. Variatur itidem in tertio Nocturno prima Antiphona cum primo Pſalmo *Venite*, ne bis dicatur in Invitatorio, & in tertio Nocturno, inquit Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 2. *ſect. 6. cap. 7. ſub num.* 6. & ideo dicitur Antiphona *Homo natus eſt*, cum ſuo Pſalmo *Fundamenta ejus*. 237

Quinque

Quinque autem habentur dumtaxat Dies infra hanc Octavam in Breviario: & in hoc differt iſta Octava ab aliis Octavis, quæ communiter ſex habent Dies, ex quibus ille tamen omittitur, in quem incidit Dominica, ut obſervat Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 6. *ſub num.* 5. *pag.* 153. Nihilominus eſt Octava perfecta, nam ſi quinque illis Diebus addimus Dominicam, ſunt proculdubio ſex Dies, qui unà cum Feſto, ejuſque Die Octavá, integrum nobis conſtituunt octo Dierum circulum. Sciendum tamen eſt, quòd Dominica intercedens non computatur in hoc Dierum numero, tamquàm ſi non intercederet: ex quo fit, ut die ſequenti proſequamur Diem infra Octavam à numero Sabbati præcedentis: ut ſi Dominica venerit die octava Januarii, quæ cæteroquin eſt Dies tertia Octavæ, quia verò in Sabbato actum fuit de Die ſecunda infra Octavam, ideò in Feria ſecunda agetur de Die tertia, non autem de Die quarta: ita ut ſemper continuetur in Feria ſecunda ille numerus Dierum infra Octvam, qui poſitus fuit in Sabbato, non enumerata quoad hoc Dominica interpoſita: nam licèt Dominica ſit revera unus ex octo Diebus Octavæ, non eſt tamen unus ex Diebus infra Octavam in hoc caſu, qui (ut ſupra diximus) differt ab aliis Octavis. Tunc autem omnes iſti quinque Dies ſucceſſivè ponentur ſine aliqua interpoſitione, quando Epiphania occurrerit in Dominica: eo etenim caſu, in Sabbato ante Diem Octavam fiet de Dominica infra Octavam extra diem feſtivum, ut ſuo loco dicemus. 238

In prædictis quinque Diebus infra Octavam Epiphaniæ Officia ſunt propria quoad omnes Lectiones trium Nocturnorum, & quoad Antiphonas ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*: reliqua verò, una cum Oratione, ſumuntur ex Feſto. Pro commemoratione autem Octavæ datur quandoque aliqua verborum ipſeitas in Veſperis ratione Dominicæ concurrentis, de qua identitate neceſſariò varianda dicemus, cùm de ipſa Dominica ſuo loco erit differendum. In primo Nocturno cujuſque ex dictis quin- 239

que

que Diebus ponuntur Lectiones Paulinæ *de Epiſtola ad Romanos*, quæ tunc omnes leguntur in Eccleſia Univerſali, quando die ſeptima Januarii fuerit Feria ſecunda. At ſi Dominica intercedat in ſuo Die feſtivo, in ea ponitur *Initium Epiſtolæ primæ ad Corinthios*, & de illa Epiſtola legitur diebus ſequentibus, omiſſis dictis Lectionibus *ad Romanos* per tot dies, quot recurrent poſt dictam Dominicam: & tunc omnes Lectiones *ad Romanos* omittuntur, quando Epiphania venerit in Sabbato, nam quotieſcumque caſus hujuſmodi contigerit, die ſequenti erit Dominica, in qua, ut diximus, erit dicendum *Initium ad Corinthios*. Ad Laudes horum Dierum infra Octavam omnia dicuntur ut in Feſto, excepta Antiphona propria ad *Benedictus*, ſumenda ex Die occurrente infra Octavam, & nulla fit commemoratio, niſi de Feſto ſimplici, ſi occurrat, ut de S. Hygino Papa & Martyre die undecima Januarii in Eccleſia univerſali: vel de S. Erhardo Epiſcopo & Confeſſore die octava ejuſdem Menſis, ut Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi: vel alibi, ſi Feſtum ſimplex ibidem occurrat. Ubi autem fiat de alia Octava, etiam de illa facienda erit commemoratio in hiſce Laudibus, ut Paſſavii in Bavaria pro S. Valentino Epiſcopo & Confeſſore, cujus Feſtum ibi celebratur die ſeptima Januarii: ut Venetiis pro S. Laurentio Juſtiniano, Primo Urbis Patriarcha & Confeſſore, occurrente ejus Feſto die octava ejuſdem Menſis: ut Feltriæ in Dominio Veneto pro Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, quæ occurrit die decima Januarii. Sicuti verò infra Octavam Epiphaniæ non fit, niſi de Feſto duplici primæ claſſis occurrente (ut paulò poſt dicemus) ſic ſi alicubi occurrat Dies Octava, celebratur etiam iſta per ſolam commemorationem, ut Patavii die decima Januarii fit commemoratio de Die Octava Inventionis S. Danielis Martyris, cujus Feſtum occurrit ibidem die tertia dicti Menſis: Ad Primam dicitur quotidie Verſus *Qui apparuiſti hodie*: & ad omnes Horas toto hoc octiduo clauduntur Hymni cum Strophe *Jeſu tibi ſit gloria, qui apparuiſti Gentibus*.

Quoad

Quoad Feſta , quæ fieri poſſunt infra Octavam 240
Epiphaniæ : tranſlatis Feſtis ſemiduplicibus alicubi occurrentibus , nec non & duplicibus , ſive minoribus , ſive majoribus , ſive etiam ſecundæ claſſis , ſola Feſta duplicia primæ claſſis celebrantur , ſi tamen occurrant . Dixi , *ſi occurrant* , nam Rubrica Breviarii poſita ſtatim poſt ſecundas Veſperas Feſti , ſic habet : *Infra Octavam Epiphaniæ ſi occurrat Feſtum duplex vel ſemiduplex transfertur poſt Octavam , niſi fuerit Patroni , vel Titularis Eccleſiæ , vel Dedicationis ejuſdem , ut dicitur in Rubrica de Octavis* . Ubi duo obſervo , quæ in hac Rubrica continentur : Primò quidem , quòd ly *ſi occurrat* , non habet relationem tantùm ad Feſta transferenda , ſed etiam habet ad celebranda infra hanc Octavam : Secundò verò , quòd Feſta ſive transferenda , ſive celebranda , debent occurrere infra Octavam , non autem ante Octavam . Idem enim eſt , ac ſi diceretur : *ſi occurrat duplex vel ſemiduplex , & quidem infra Octavam , transfertur : quòd ſi occurrat duplex primæ claſſis , & itidem infra eamdem Octavam , celebratur* . Et quia in dicta Rubrica ſubjungitur : *ut dicitur in Rubrica de Octavis* : videamus modò , quid Rubrica iſta dicat ad hanc rem ; igitur *tit.* 7. *de Oct. ſub num.* 3. ita lego : *Infra Octavam Epiphaniæ , fit tantùm de Patrono , vel Titulari Eccleſiæ , & Dedicatione eiuſdem : non tamen in Die Octava* . Ex qua ſecunda Rubrica ſic argumentor : Si quoad primam partem poſſum agere infra Octavam cum Guyeto inferiùs citando , de duplicibus primæ claſſis tranſlatis : ergo quoad ſecundam partem , poſſum in Die Octava celebrare Feſtum duplex primæ claſſis occurrens : nam idem eſt , ac ſi diceretur : *Infra Octavam fit de duplicibus primæ claſſis etiam tranſlatis : ſed in Die Octava non fit , niſi de duplici primæ claſſis occurrente* : Neutrum tamen dici poteſt , tum quia in Rubricis verbum *occurrere* non importat tranſlatum , ut in prima Rubrica : tum quia particula *Non* excludit occurrens , ut in ſecunda Rubrica . Ergo ſenſus Rubricæ eſt , quòd poteſt fieri de duplici primæ claſſis occurrente infra Octavam , ſed de ta-

Digitized by Google

de tali duplici occurrente fieri non poteſt in Die Octava: nam Officium, quod in Die Octava fieri non poteſt, debet eſſe ejuſdem naturæ, cujus eſt illud, quod fieri poteſt infra Octavam: ſed in Die Octava non poteſt fieri de duplici primæ claſſis occurrente: ergo infra Octavam fieri poteſt de hujuſmodi duplici itidem occurrente.

At quia præmiſimus rationes pro parte affirma- 241
tiva occurrente, ante opinionem Auctoris ſuperiùs citati, & negativam partem tenentis: nunc reſtat videndum, quid dicat Guyetus. Hic igitur *in Heortolog. lib. 4. cap. 8. quæſt. 8. pag.* 261. quærens, in quem diem transferenda ſint Feſta, ſi ſuo die fuerint impedita; abſolutè reſpondet hiſce præciſis verbis: *Infra Octavas Epiphaniæ, & Corporis Chriſti ſola duplicia prima claſſis tranſlata à die ſuo, locum habent*. At ego ſic arguo: Infra Octavam Corporis Chriſti, quia Rubrica ſe exprimit, habent locum duplícia primæ claſſis translata: ergo, quia Rubrica infra Octavam Epiphaniæ non ſe exprimit; dicta duplicia primæ claſſis translata non habent locum. Ex una igitur Rubrica non infertur ad aliam: neque enim pari paſſu currunt iſtæ duæ Octavæ. Rubrica itaque Breviarii *tit.* 10. *de tranſlat. Feſtor. ſub num.* 1. ſic expreſsè loquitur de Octava Corporis Chriſti: *Si Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem*: Dies autem ſequens eſt proculdubio infra Octavam ipſius Corporis Chriſti: & ex hac ſola Rubrica dicimus poſſe infra dictam Octavam Corporis Chriſti fieri de duplici primæ claſſis translato. At quænam, quæſo, Rubrica vel clarè vel obſcurè nos docet, poſſe agi de duplici primæ claſſis translato infra Octavam Epiphaniæ? Concludendum igitur videtur cum illo communiter recepto Axiomate: *Si Papa voluiſſet, expreſſiſſet*, ut expreſſit infra Octavam Corporis Chiſti: *non expreſſit* infra Octavam Epiphaniæ: *ergo noluit*. Unde de ſola occurrentia Feſti duplicis primæ claſſis intelligit Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 6. *ſub num.* 5. *pag. mihi* 154. nec non & Halden

in

in Ephemerolog. par. 2. tit. 1. ſub numer. 6. pag. 7. columm. 1. Quapropter, ſi in aliqua Eccleſia occurrat propria Dedicatio in Dominicà prima Menſis Januarii (ut ante novam conſtructionem noſtris temporibus factam, occurrebat Venetiis in Eccleſia S. Rocchi Confeſſoris, ubi aſſervatur ejus Corpus) & hæc Dominica veniet in Feſto Epiphaniæ, non fit in Feria ſecunda infra Octavam de dicta Dedicatione, quæ fuit heri, ſed transfertur poſt Octavam in primam diem non impeditam.

In prædictis Feſtis duplicibus primæ claſſis infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus, fit commemoratio Octavæ in utriſque Veſperis, & Laudibus, quia cùm hæc ſit Octava privilegiata, neque in dictis duplicibus ſuam amittit commemorationem, prout in hujuſmodi caſibus amittunt Octavæ communes: & hoc ſatis ſuperque patet ex duplici Rubricarum documento, ſcilicet *de Octav. tit. 7. ſub num.* 3. nec non & *in rubric. 5. poſt Tabell. de Occurrentia*: Sic Paſſavii in Bavaria die ſeptima Januarii fit de S. Valentino Epiſcopo & Confeſſore: ſic Venetiis die octava ejuſdem Menſis fit de S. Laurentio Juſtiniano, Primo Urbis Patriarcha & Confeſſore: Sic Feltriæ die decima dicti Januarii fit de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis: Omnia & tria præmiſſa Feſta ſunt in dictis Locis duplicia primæ claſſis, ibique fit in quolibet ex eis commemoratio Octavæ. Quòd ſi alicubi una cum duplici primæ claſſi occurrat alia Octava, non fit de ea commemoratio, tum ex dicta Rubrica *de Octav. titul. 7. ſub numer.* 3. tum etiam *de Commemorat. titul. 9. ſub numer.* 4. tum denique *de Concurren. Offic. titul. 11. ſub numer.* 4. unde Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Juliani die octava Januarii fit de prædicto Feſto Diœceſano S. Laurentii Juſtiniani ſub ritu duplici primæ claſſis, cum commemoratione quidem de Epiphania, ſed non de die ſecunda infra Octavam ſui Titulari: Nec itidem fit commemoratio de Feſto ſimplici, nam Rubrica Breviarii poſita ſtatim poſt ſecundas Veſperas Epiphaniæ admittit hujuſmodi commemo- 242

ratio-

rationem in Officio de Die infra Octavam, non verò in Feſto duplici infra eam occurrente: & ideo ſi die octava Januarii in aliqua Eccleſia Diœceſis Brixinenſis in Tyrolenſi Comitatu occurrat Dedicatio, fit in ea commemoratio Epiphaniæ, ſed non de Feſto ibi ſimplici S. Erhardi Epiſcopi Confeſſoris: & ideo ſi die undecima ejuſdem Januarii fiat alicubi in Orbe de Feſto duplici primæ claſſis occurrente, facta in eo commemoratione Epiphaniæ, omittitur commemoratio de Feſto ſimplici univerſali S. Hygini Papæ & Martyris. In dictis verò duplicibus primæ claſſis, ad Reſponſoria brevia Horarum non adduntur duo *Alleluja*, quia hæc additio ſpectat dumtaxat ad Officium de Octava. Ad Primam tamen in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui apparuiſti hodie*: omneſque Hymni ejuſdem metri ſumunt clauſulam ex Feſto Epiphaniæ, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria, qui apparuiſti Gentibus*.

§. VI.

De Miſſa, & Veſperis in Diebus infra Octavam Epiphaniæ.

Miſſa infra Octavam Epiphaniæ eſt ſemper eadem, quæ dicta fuit in Feſto: In ea dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione *Deus, qui ſalutis*, & tertia *Eccleſia*, vel *pro Papa*: quæ quidem Oratio *pro Papa* deberet alternatim dici, ita ut una die legatur *Eccleſia*, altera verò die *pro Papa*, licèt Rubrica det Sacerdoti libertatem dicendi qualemcumque velit ex illis duabus aſſignatis, ut ly *vel* clarè oſtendit: ea tamen die, qua dicitur *Eccleſia* in una Eccleſia, omnes Sacerdotes deberent eam uniformiter recitare: & ſic altera die, ſi dicatur 243

Digitized by Google

catur Oratio *pro Papa* . Benè tamen facerent Kalendariſtæ Locorum , ſi tali modo diſponerent in annuis Diœceſium Directoriis : & ipſi Eccleſiarum Sacriſtæ, ſi ſuis Sacerdotibus uniformitatem inſinuarent : aliter eſset Oratio ſupervacuè poſita , quod non eſt tam facilè credendum. At ſi Sedes Apoſtolica vacaverit, tertia Oratio erit *Eccleſiæ* & quarta pro eligendo Summo Pontifice , ut in ejus Miſſa , quia eſt pro re gravi , & ideò addenda . Si quis autem ex Sacerdotibus haberet ex Litteris particularibus ſibi Roma tranſmiſſis certam ſed privatam notitiam de jam ſecuta novi Pontificis creatione , cum expreſſione Nominis ſibi impoſiti , non ideo debet infra hanc Octavam dicere tertiam Orationem *pro Papa* , ſed tenetur expectare ſignum publicum per feſtivam campanarum pulſationem, nam hujuſmodi notitia ſumitur à ſuperioribus, non verò à privatis.

Quòd ſi infra hanc Octavam Epiphaniæ occurrat Feſtum ſimplex (ut ſupra diximus occurrere Brixinæ die octava Januarii, & in Eccleſia Univerſali die undecima ejuſdem Menſis) in Miſſa de Octava erit ſecunda Oratio de ſimplici, & tertia de Beata Maria *Deus , qui ſalutis* . Idem dicendum quoad ſecundam Orationem, ſi alicubi occurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem : quæ quidem ſecunda Oratio Octavæ particularis , ſi ſumenda ſit ex Miſſa *In virtute tua* , ut in primo loco de Communi unius Martyris non Pontificis , varianda erit *Secreta* de Beata Maria , cujus loco dicetur , *Tua* , *Domine* , ut in altera ejus Miſſa Votiva , juxta Rubricam in Dominica Septuageſimæ poſitam , quia erit idem caſus , & ideò eadem regula ſervanda. Si verò dicta commemoratio de Die infra Octavam particularem ſumi debeat , vel ex Miſſa *Sacerdotes Dei* , ut in Communi unius Martyris Pontificis de ſecundo loco , vel ex Miſſa *Salus autem Juſtorum* , ut in Communi plurimorum Martyrum , commutanda erit *Poſtcommunio* de eadem Beata Maria , cujus loco dicetur , *Sumptis* , *Domine* , ut in eadem Miſſa Votiva : niſi tamen occurrat Dominica, vel Feſtum 244
ſim-

ſimplex, quia in primo caſu ſecunda Oratio erit de Epiphania, & tertia de alia Octava: ſed in caſu ſecundo ſecunda Oratio erit de alia Octava, & tertia de ſimplici. Licèt autem de Die Octava particulari, ſi occurrat, non fiat, niſi ſola commemoratio, quia tamen eſt duplex, non dicitur in Miſſa de Epiphania tertia Oratio, ut Patavii in Dominio Veneto die decima Januarii in Miſſa dicitur ſecunda tantùm Oratio de Die Octava Inventionis S. Danielis Martyris: quod intelligitur, niſi facienda ſit aliqua alia commemoratio, ut ſimul occurrat Dominica, nam in Miſſa de Dominica erit ſecunda Oratio de Die Octava particulari, & tertia de Epiphania. Illud inſuper notandum venit, quòd ratione ſolius commemorationis, quæ alicubi fit de Die infra Octavam Dedicationis Eccleſiæ, non eſt in Miſſa dicenda tertia Oratio *Concede*, aſſignata cæteroquin Diebus infra Octavam ejuſdem Dedicationis; quia cùm acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, dum Miſſa eſt de Octava Epihaniæ, etiam Orationes debent eſſe de aſſignatis infra ejus Octavam. Poſt Octavam verò Epiphaniæ Dedicatio aſſumit ſuum jus in re per ſuas proprias Orationes: unde Feltriæ die decima ſexta Januarii in Miſſa S. Marcelli dicitur ſecunda Oratio de Die ſeptima infra Octavam Dedicationis Cathedralis, cum tertia Oratione *Concede*. Quod autem ait Notandum textum *poſt Tabellam Breviarii de Occurrentia*, nempè, non eſſe faciendas Octavas particulares à die decimaſeptima Decembris uſque ad Epiphaniam, intelligitur de Octavis, quæ celebrantur alicubi, vel ſine immemorabili conſuetudine, vel abſque Indulto Apoſtolico. Nec tamen in hujuſmodi prohibitione incluſus eſt circulus Dierum infra Octavam Epiphaniæ recurrentium, ita ut dicendo *uſque ad Epiphaniam*, intelligendum veniat *uſque ad Diem Octavam Epiphaniæ*, *incluſivè*, cùm debeamus intelligere *uſque ad Diem ipſam Epiphaniæ incluſivè*, & non ulteriùs, ut benè notat Guyetus *Heortolog. libr. 1. cap. 18. quæſt. 11. verſ. Secundum tempus, pag. 84.*

At ſi facienda ſit expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, in Miſſa privata de Octava Epiphaniæ ſecunda Oratio erit de Beata Maria, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; & quarta de SS. Sacramento, quia hæc Oratio in hujuſmodi caſibus ſuperadditur aſſignatis infra hanc Octavam, & ſic nulla ex eis erit omittenda: & hoc videtur inferri ex iis, quæ habet Gavantus *tom. 1. par. 1. tit. 9. ſub num. 16.* ac eſſe cenſeo juxta Reſolutionem Sacræ Rituum Congregationis emanatam ſub die 2. Decembris 1684. de qua in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin. 992. pag. 318.* & refert etiam P. Merati *tom. 2. par. 2. in Indice, ſub num. 476.* Idem dicendum de Die Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi, ſi infra hanc Octavam occurrat, ita ut in Miſſa de Epiphania ſecunda Oratio ſit de Beata Maria, tertia *Eccleſiæ*, non autem pro Papa, quia quarta eſt pro Epiſcopo, & bis diceretur eadem Oratio, cum ſola Nominis commutatione. Laudabilis autem in Eccleſia viguit antiquus uſus, ut Dies Anniverſaria ageretur, qua quis alicui Sedi præfectus eſſet Epiſcopus: id etenim tam in Occidentali Eccleſia, quàm in Orientali etiam obſervatum, innumera ferè docent exempla, ait Baronius *in Notation. ad Martyrolog. Roman. ſub die 18. Januar.* Cæterùm in hac Miſſa de Octava Epiphaniæ genuflectitur ad illa verba Evangelii: *Et procidentes, adoraverunt eum.* Dicitur in ea *Credo*, cum Præfatione, & *Communicantes*, ut in Feſto. Quòd ſi dicenda ſit Miſſa de Feſto duplici primæ claſſis occurrente, fit in ea commemoratio de Epiphania, cum ejus Præfatione, & *Communicantes*: Imò ſi Feſtum propriam haberet Præfationem, adhuc *Communicantes* eſſet de Octava, ut fit in Feſtis infra Octavam Aſcenſionis occurrentibus, & propriam habentibus Præfationem: de quo aſſervo Domi ſequentem Sacræ Rituum Congregationis Reſolutionem in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii, nempè: *Ad ſecundum Dubium: An occurrente infra Octavam Aſcenſionis Domini* 245

mini

mini Feſto SS. Philippi & Jacobi, ſeu Inventionis Sanctæ Crucis, quæ habent propriam Præfationem, & non admittunt commemorationem prædictæ Octavæ, ſit dicendum in Miſſa Communicantes de Aſcenſione? Et Sacra Rituum Congregatio cenſuit eſſe dicendum. Die 28. *Auguſti* 1627. Et rationem affert Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 12. *ſub lit. g. in fine*, quia ſcilicet *Communicantes* habet infra illam Octavam quaſi rationem de tempore, ſicuti haberet etiam Præfatio de Octava in prædictis Feſtis, ſi propriam Præfationem non haberent. Ex quo ego infero: Si *Communicantes* de Aſcenſione habet rationem de tempore intra ſuam Octavam: ergo à pari etiam *Communicantes* de Epiphania, & ideo dicendum in Feſtis primæ claſſis infra hanc Octavam occurrentibus, quamvis propriam haberent Præfationem.

Cantari poteſt infra hanc Octavam Epiphaniæ 246
Miſſa de Feſto occurrente & transferendo, & hoc ratione concurſus ſi adſit: hi enim Dies non ſunt excepti in Rubrica Miſſalis *titul.* 6. *de translat. Feſtor.* ubi tamen duæ præſcribuntur Miſſæ cantandæ, una ſcilicet de Die, alia de Feſto: Neque dicas, quòd de Die infra Octavam, & de Feſto non cantantur duæ Miſſæ, nam hìc non agitur de Feſto, de quo fiat Officium, ſed de Feſto transferendo. Imò & cantari poteſt Votiva ſolemnis de SS. Sacramento pro Oratione quadraginta Horarum: hos enim Dies non excipit Clemens Undecimus *in Inſtruct. pro hujuſmodi Expoſit.* de qua in ejus particulari Bullar. *part.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 10. & poſtmodùm etiam *in Bullar. Rom. noviſſimæ editionis Luxemburgenſis tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut. itid.* 9. ubi etiam quòd celebranda erit poſt Nonam, & ultra Conventualem in Eccleſiis, in quibus adeſt obligatio eam cantandi. In dicta Votiva ſolemni de *SS.* Sacramento nulla fiet commemoratio Octavæ, cum Præfatione quidem *Quia per incarnati Verbi myſterium*, ſed cum *Communicantes* de Epiphania. Licèt autem cantari poſſit prædicta Miſſa Votiva de SS. Sacramento ratione Orationis quadraginta Horarum, non tamen poteſt cantari Votiva de Ve-

nerabili in cantu fundata: hujuſmodi enim Miſſa non eſt cantanda in duplicibus, neque in aliis diebus duplicia excludentibus: ſed cantari debet de Feſto, vel de Die, cum applicatione Sacrificii: ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri reſolvit, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, quam abuſum eſſe declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 24. *Julii* 1683. apud Piſartum *in Expoſit. Rubricar. Miſſal. Rom. par.* 1. *tit.* 4. *de Miſſ. Vot. ſub num.* 8. *pag.* 8. & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 463. & intelligitur de Miſſa relicta, vel ordinata à ſolis Benefactoribus. Omnes etiam aliæ Miſſæ Votivæ ſolemnes pro re gravi poſſunt dici. Quæ autem non ſunt pro re gravi, non ſunt cantandæ, niſi habeatur ſpeciale Indultum Apoſtolicum, prout habet Congregatio Valliſoletana Ordinis S. Benedicti cantandi quotidie Miſſam Votivam de Beata Maria, paucis exceptis diebus, inter quos eſt quidem ipſa Dies Epiphaniæ, ſed non ejus Octava, ut confirmando conſuetudinem immemorabilem, indulſit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 19. *Novembris* 1633. apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canon. Jacobi Pignatelli*, *par.* 2. *tit.* de Miſſæ Sacrificio, *pag.* 31. *juxta editionem Venetam*: & etiam in hac Miſſa Præfatio dicenda eſt de Beata Maria, cum *Communicantes* tamen de Epiphania. Receptio autem ad Habitum, & Profeſſionem Religioſam non venit ſub nomine rei gravis, ut poſſit cantari Votiva de Spiritu Sancto hiſce diebus, ita S. R. C. *in Ruremunden.* 1683. 24. *Julii*.

247 Non tamen celebrari poſſunt infra hanc Octavam Miſſæ Votivæ privatæ, neque pro Defunctis, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, de quo Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *ſub numer.* 3. *lit.* O. & nos extendimus ſupra *in Vigilia Nativitatis Domini*. Unica tamen ſolemnis pro Defunctis in Die Obitus, inſepulto Corpore, cantari poteſt, quia nec obſtat magna Diei celebritas, de qua Rituale Romanum *titul. de Exequ. rubric.* 5. nec impedit Decretum ſuperiùs citatum *in die E-*

piphania

piphania, quia ſola excipit duplicia primæ claſſis. Gavantus *loco citato*, *tit.* 5. *lit. X.* per ly *inſepulto Corpore* intelligit præſentiam Corporis in Eccleſia, quod licèt non deſint qui negent, nihilominus hæc Miſſa ſolemnis mihi videtur conceſſa Corpori præſenti, quæ eſt ratio potiſſima conceſſionis: & hoc expreſsè habetur in Rituali *dict. tit. de Exequ. rub.* 4. ibi: *Quod antiquiſſimi eſt Inſtituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa præſente Corpore Defuncti pro eo celebretur, antequam Sepulturæ tradatur*: & iterum loquitur de præſentia Corporis *ſeq. rubr.* 5. videlicet: *Si quis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro Defunctis præſente Corpore celebrari poterit, &c.* ergo conceſſio hujuſmodi Miſſæ ſolemnis reſpicit Corporis ſepeliendi præſentiam; & benè notat Baruffaldus *in Commentar. ad dict. Rituale tit.* 34. *à numer.* 36. *ad* 38. Quoad illam verò quæſtionem, quàm ſtudiosè movet, & eruditè reſolvit Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 5. *de Miſſ. Defunctor. ſub numer.* 3. ſcilicet: an Dies Obitus ſit idem, ac Dies Depoſitionis, vel unus differat ab alio? Ego revera ejus rationibus innixus, cenſeo, eſſe duos Dies diſtinctos: nam hujuſmodi Miſſa inſcribitur non ſolùm *in Die Obitus*, ſed etiam *ſeu Depoſitionis*: ubi ly *ſeu* videtur ſignificare differentiam: Unde Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 18. *ſub num.* 9. poſtquam dixiſſet quòd S. Ambroſius *ſerm.* 70. accipit Depoſitionis vocabulum tam pro Sepultura, quàm pro Obitu, ſtatim ſubdit: *licèt Eccleſia videatur diſtinguere inter Obitum, & Depoſitionem.* Nihilominus, dum loquimur de Miſſa ſolemni præſente Corpore cantanda, unum Diem facimus, & quidem illum, quo Cadaver eſt in Eccleſia eodem Die ſepeliendum.

Quia tamen diximus ſupra, unicam poſſe cantari Miſſam in Die Obitus, & quidem præſente Corpore, infra Octavam Epiphaniæ: hinc infero, quòd ſi plura conveniant Capitula ad eam Eccleſiam, ubi adeſt Cadaver, non poſſit unumquodque illorum cantare Miſſam pro illo Defuncto: licèt enim reſpectu uniuſcujuſque Capituli diſtincti una revera 248

ſit Miſſa ſolemnis, reſpectu tamen Eccleſiæ, in qua una tantùm conceditur cantata, ſunt proculdubio plures Miſſæ ſolemnes in Die Obitus: & ideò in hujuſmodi caſibus dignius Capitulum (ut reor) cantare debet, cæteris præſentibus, & ſolemniter Celebranti reſpondentibus, ſi teneantur aſſiſtere Exequiis. Hæc autem Miſſæ ſolemnis unicitas videtur etiam inferri ex Miſſa unica Sabbati Sancti ſtatuta in Collegiata inſigni Baſilica S. Ambroſii Mediolanenſis. Cùm enim duo ibi extent Capitula, unum Canonicorum Sæcularium, alterum verò Monachorum Ciſtercienſium; & utrumque quotidie canat Miſſam Conventualem, unum ſcilicet poſt alterum: tamen in Sabbato Sancto una tantùm canenda eſt ab illo, cui per turnum, ut decrevit *Urbanus Octavus in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtit.* 151. quæ incipit: *Gregis Dominici*; Ergo plura Capitula non poſſunt à ſimili canere plures Miſſas eodem Die, in eadem Eccleſia, pro eodem Defuncto: quia ſi in Sabbato Sancto una tantùm numero conceditur de Die, infra Octavam Epiphaniæ una tantùm numero permittitur in Die Obitus.

Ex præmiſſis tamen oritur Dubium, an infra Octavam Epiphaniæ cantari poſſit in Die Obitus pro eo, de cujus morte remotè ſecuta habetur hiſce diebus certa notitia? Ratio dubitandi eſt, quia ad hoc, ut poſſit hujuſmodi Miſſa cantari infra hanc Octavam, debet concurrere Dies Obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti, cum effectiva Corporis præſentia in Eccleſia: Neutrum verificatur in caſu propoſito: Ergo non eſt cantanda hæc Miſſa. Attamen, cùm omnis Regula ſuas habeat exceptiones, videtur nihilominùs amplectenda pars affirmativa, quia prima certa notitia conſideratur pro Die Obitus, & ad favorem illius Defuncti cenſetur præſens ejus Cadaver. Nam & Vivi ipſi gaudent ſpiritualibus Vivorum privilegiis, etiam extra tempus aliis aſſignatum: ſiquidem & Nautæ cum omnibus ſuis, poſt diuturnam Maris trajectionem, cùm primùm pervenerint ad Locum, ubi jam completus eſt Jubilæus, ipſammet nihilominùs lucrantur Indul-

249

dulgentiam, perinde ac ſi perveniſſent in tempore aliis generaliter ſtatuto. Sic & remotè Defuncti potiri debent Mortuorum privilegiis, cùm primùm per mortis notitiam pervenerint ad Loca Suorum, licèt ibi non currat pro ipſis verus Dies Obitus, nec eorum revera adſint in Eccleſiis realiter Cadavera. Hoc enim tamquam regulam certam & generalem tradit Fagiolus *in Kalendario perpet. ration. in Annotat. ad Januarium, ſub numer.* 33. *pag.* 78. *juxta alteram editionem Bononienſem de Anno* 1705. Et pro Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſium, patet de Miſsa in Die Obitus ex iis, quæ ſequuntur, nempe: *Prior Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis S. Mariæ de Pace in Urbe, pro onere ſui Officii, ſupplicavit apud Sacram Rituum Congregationem pro reſolutione ſequentium Dubiorum, videlicet: Secundò*: (cæteris omiſſis, ad noſtram rem non facientibus) *Ex diſpoſitione Conſtitutionum Congregationis Canonicorum Lateranenſium, cùm primùm accipitur Nuncium de obitu in Loco diſſito alicujus de gremio ejuſdem Congregationis, in quolibet Monaſterio cantatur Miſſa de* Requiem, *ut in Die Obitus, pro ejus Anima: Quæritur, an dicta Miſſa de* Requiem *cantari poſſit in Feſto duplici majori vel minori, non tamen de præcepto, ſtatim ac Nuncium accipitur de obitu, ut citiùs ſuffragetur Animæ Defuncti? Et eadem Sacra Rituum Congregatio, ad prædicta Dubia* (nota benè) *tranſmiſſa priùs per manus Eminentiſſimorum Cardinalium eidem Sacræ Congregationi Præpoſitorum, reſpondit ut infra: Ad ſecundum: Indulgeri poſſe, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici minori occurrente, quatenùs adſit obligatio cantandi. Die* 4. *Maji* 1686. Hanc Reſponſionem, unà cum aliis, Domi aſſervo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii: & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 484. Gavantus tamen *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 18. *ſub num.* 15. tenet, quòd pro eo, qui proximè obiit, longè tamen à nobis, prima vice poſſit dici Miſſa in Die Tertio, omiſſo verbo *Tertium*. Attamen ſi longè à nobis obiit, Dies Tertius

non videtur poſse inſervire, nam longitudo itineris
ſupponit majorem numerum dierum, & ideo ultra
Tertium: unde potiùs debemus incipere à Die O-
bitus, quàm à Die Tertio.

In Anniverſario verò Defunctorum non poteſt hi- 250
ſce Diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus
Miſsa cantari, nam licèt Alexander Septimus in-
dulſerit, ut hujuſmodi Miſsæ, etiam in Feſto du-
plici majori cantari poſſint, ut patet ex ejus De-
creto, de quo in mea Collectione de Sacris Riti-
bus *ſub numer. margin.* 838. *pag.* 260. quia tamen
hæc Octava Epiphaniæ neque admittit Feſta dupli-
cia ſecundæ claſſis etiam occurrentia, conſequens
eſt, ut neque cantentur Anniverſaria, ſi occurrant.
Attamen omiſſis ſpeculativis illationibus, Sacra Ri-
tuum Congregatio noviſſimè & clariſſimè Anniver-
ſaria prohibuit in omnibus Diebus infra Octavas
privilegiatas occurrentibus, ut videre eſt in ſequen-
ti Reſponſione, quam Domi retineo in forma au-
thentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptio-
ne Illuſtriſſimi D. Secretarii, nempe: *Supplicanti-
bus humiliter Capitulo & Canonicis Cathedralis Cellen-
ſis Sacra Rituum Congregationi pro declaratione infra-
ſcriptorum Dubiorum, videlicet: Nonum:* cæteris omiſ-
ſis ad noſtram rem non facientibus) *An infra Octa-
vas privilegiatas poſſit cantari Miſſa Defunctorum in
Anniverſario, & Officio ſolemni? Sacra eadem Rituum
Congregatio reſpondit: Ad Nonum: Negativè.* Miſsæ
tamen privatæ de Die infra Octavam Epiphaniæ,
celebratæ ad Altare Animabus quomodolibet Privi-
legiatum, ſuffragantur, perindè ac ſi celebratæ fuiſ-
ſent pro Defunctis, juxta formam Privilegiorum,
ut confirmando Decretum Sacræ Rituum Congre-
gationis, declaravit *Innocentius Undecimus in Conſtit.
qua incipit*: Aliàs poſtquàm, *emanata Anno* 1688.
ſub die 4. *Maji*, quam habes per extenſum tum a-
pud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.*
16. *formul.* 6. *pag.* 330. tum etiam apud Matthæuc-
cium *in Officiali Cur. Eccleſiaſt. cap.* 4. *ſub num.* 3.

Spectat etiam ad Miſsam hujus Octavæ, quod ve- 251
nit in conſequentiam ex ſolemnium aperitione Nu-
ptia-

ptiarum, quæ fit die ſeptima Januarii, nam ſi infra hanc Octavam benedicendæ ſint Nuptiæ, in Miſſa de Epiphania dicenda erit quarto loco Oratio pro Sponſo & Sponſa, cum reliquis, quæ pro Communione, & complemento Benedictionis habentur in Miſſa propria in fine Miſſalis. Dixi *quarto loco*, nulla enim omittenda eſt ex aſſignatis: ideoque ſecunda legetur de Beata Maria, tertia *Eccleſiæ* vel *pro Papa*, & quarta pro Sponſis: niſi ſit Dominica, quia ſecunda dicetur de Octava, & tertia Sponſorum: at ſi in Dominica occurrat Simplex, Oratio pro Sponſo & Sponſa erit adhuc quarto loco dicenda, quia ſecunda recitabitur de Octava, tertia de Simplici: idem dicendum quacumque Die infra Octavam occurrat Simplex, quia ſecunda dicetur de Simplici, tertia *Eccleſiæ* vel *pro Papa*, & quarta Sponſorum: ſed & alicubi poni poteſt quinto loco, ut quando die undecima Januarii eſt Dominica, Paſſavii in Bavaria legetur ſecunda Oratio de Epiphania, tertia de Die quinta infra Octavam S. Valentini Epiſcopi & Confeſſoris, quarta de S. Hygino Papa & Martyre, & quinta (ſi benedicendæ ſint Nuptiæ) pro Sponſo & Sponſa: ita Venetiis, ubi tertia Oratio eſt de Die quarta infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani: ita etiam Feltriæ, quia ibi tertia Oratio dicitur de Die ſecunda infra Octavam Dedicationis Cathedralis. Licèt autem Rubrica ſtatim ante hanc Sponſorum Miſſam poſita, dicat, quòd ſi Nuptiarum Benedictio facienda ſit Die Dominico, vel alio Die Feſto, in Miſſa de Dominica vel Feſto ſit commemoratio Sponſorum, & ita etiam exponit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 17. *ſub num.* 22. nihilominùs intelligenda venit dicta Rubrica etiam de Diebus Miſſas Votivas privatas excludentibus, ut ſunt iſti infra Octavam Epiphaniæ, infra quos (ſi benedicendæ ſint Nuptiæ) erit ſuo loco dicenda Oratio pro Sponſis, tamquam Oratio pro re gravi: nam ſi occurreret Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, diceretur Collecta pro eo: & ſi Epiſcopus ordinaret extra tempora vigore Brevis Apoſtolici, legeret Orationem

pro

pro Ordinandis, quam etiam dicit in Sabbato Sancto, quod eſt majus, ut clarè patet ex Pontificali Romano, *par.* 1. *tit.* 2. *de Ordinib. conferen. inter rubric. verſ. Si verò Sabbato Sancto.*

Sicut autem diebus permiſſis propria Miſsa pro Sponſo & Sponſa, ſic dicta Sponſorum Oratio, cum reliquis, quæ pro Communione & complemento Benedictionis habentur in eadem Miſsa in fine Miſsalis, non poteſt dici infra hanc Octavam Epiphaniæ, niſi à proprio Parocho, cùm Nuptiarum Benedictio ſit de Jure Parochiali, & conſequenter de jure fieri debeat ab ipſo proprio Parocho, ut ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Matrim. cap.* 1. notat Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Rom. tit.* 42. §. 7. *ſub num.* 73. *pag.* 251. ubi etiam addit (& verum addit) niſi ab Ordinario, vel à Parocho, alteri Sacerdoti data ſit facultas benedicendi. Hinc eſt, quòd etiam Regulares poſsunt hujuſmodi Benedictionem facere, cum licentia tamen Parochi: unde cum tali licentia poſse Carmelitas benedicere Sponſos, reſpondit *Sacra Congregatio Concilii in Aquen. Jurium Parochialium ſub die* 9. *Junii* 1708. ut habetur in particulari Bullario Clementis Undecimi *par.* 3. *Conſtitut.* 3. *quæ incipit:* Ægrè ferens, *ad octavum Dubium.* Nam hanc Sponſorum Benedictionem non eſse generaliter à Regularibus faciendam abſque Curatorum conſenſu, multò antea ſtatuit *Leo Decimus* apud Cherubinum *in Bullario Rom. tom.* 1. *Conſtitut. quæ incipit:* Dum intra, §. 13. *edita anno* 1516. *ſub die* 19. *Decembris*, ut egomet retuli in mea Collectione de Matrimonio *tom.* 1. *ſub numer. margin.* 8. & iterum in altera itidem mea Collectione de Regularibus *tom.* 1. *ſub numer. margin.* 599. *pag.* 244. Non poteſt tamen Parochus, nec qui ab eo facultatem habet, Benedictionem hujuſmodi facere extra Eccleſiam, cùm fieri debeat in Eccleſia, ut reſcripſit *dicta Sacra Congregatio Concilii in Britinorien. anno* 1649. *ſub die* 17. *Aprilis*; quod & ex Paſcuccio *in Compend. ad Conſultat. Canon. Jac. Pignatel. par.* 2. *tit. de Matrimonio*, egomet dicebam in mea Collectione pro 252

Paro-

Parochis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 898. *pag.* 285. *juxta tertiam Paternam editionem*: in Eccleſia, inquam, & quidem inter Miſſarum ſolemnia, ut declaravit *dicta Congregatio Concilii in Piſauren.* a-
251 pud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. Collect.* 523. *de Nuptiis, ſub num.* 4.

Explicatis, quæ ad Miſsas ſpectabant tum priva- 253
tas tum etiam ſolemnes in Diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus celebrandas, reſtat modò, ut de Veſperis eorumdem Dierum diſseramus. Veſperæ igitur hujus Octavæ dicuntur ſemper integræ, ut in ſecundis Veſperis Feſti: quod tamen non eſt ſpeciale horum Dierum, ſed omnibus convenit & ſolis Octavis ſive privilegiatis ſive communibus, vigore Rubricæ Breviarii *de Octav. tit.* 7. *ſub numer.* 5. ubi ſic expreſsè præſcribitur: *In Veſperis infra Octavam omnia dicuntur, ſicut in ſecundis Veſperis Feſti*: & quidem abſque ulla commemoratione. Dixi, *integra*, quia ſuppono, quòd die ſequenti fiat Officium de eadem Octava, nam in tali caſu Veſperæ debent revera eſse integræ, cùm non detur ulla ratio diviſionis à Capitulo, & ideo dicuntur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, excepta tamen Antiphona ad *Magnificat*, quæ quolibet die eſt propria. Dixi, *abſque ulla commemoratione*, quia plerumque nulla habetur commemoratio facienda, niſi die ſequenti occurrat Feſtum ſimplex, ut die decima Januarii facienda eſt in Veſperis commemoratio S. Hygini Papæ & Martyris cras occurrentis in Eccleſia Univerſali: ita Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi in Veſperis Diei ſeptimæ ejuſdem Menſis fit commemoratio Sancti Erhardi Epiſcopi & Confeſſoris, de quo ibi agitur die octava Januarii, ſub ritu ſimplici. Quòd ſi alicubi occurrat Dies infra aliam Octavam, facienda eſt in Veſperis commemoratio de ea: ita Paſſavii in Bavaria per totam Octavam Epiphaniæ fit in Veſperis commemoratio de Die infra Octavam S. Valentini Epiſcopi & Confeſſoris, cujus Feſtum celebratur ibi die ſeptima Januarii ſub ritu duplici primæ claſſis. At ſi infra hanc Octavam Epiphaniæ occurrat in aliqua Eccleſia vel

per

per Civitatem Feſtum duplex primæ claſſis, utræque Veſperæ erunt de eo, cum commemoratione Epiphaniæ: niſi Veſperæ unius Feſti duplicis primæ claſſis concurrant cum alio Feſto duplici ejuſdem ritus, quia tunc Veſperæ erunt de digniori, cum commemoratione de minus digno, deinde de Epiphania: ita Feltriæ in primo caſo, die nona Januarii Veſperæ ſunt de ſequenti Dedicatione Cathedralis, cum commemoratione Octavæ, de qua etiam die decima fit commemoratio in ſecundis Veſperis ejuſdem Dedicationis: ita Venetus in ſecundo caſu, in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Juliani Martyris die ſeptima Januarii in ſecundis Veſperis de ſuo Titulari fit commemoratio de ſequenti Feſto Diœceſano S. Laurentii Juſtiniani, & de Octava Epiphaniæ. Quoad verò concurrentiam Diei infra Octavam ipſius Epiphaniæ cum Dominica infra eamdem Octavam, dicemus ſuo loco, cùm de hac Dominica ſermo erit, ubi & de aliqua commutatione, ratione ipſeitatis verborum.

§. VII.

De Dominica infra Octavam Epiphaniæ Domini.

HÆc Dominica duas ſortitur denominationes: ſiquidem per unam nuncupatur *Dominica prima poſt Epiphaniam*: per alteram verò appellatur *Dominica infra Octavam Epiphaniæ*. Hæ duæ tamen denominationes ferè ſemper ſimul concurrunt: & ſemel tantùm fit de eis diviſio: ex qua earum ſeparatione, Dominica infra Octavam, novam acquirit ſedem in Sabbato extra diem feſtivum. Tunc igitur ambæ denominationes uniuntur, quando Dominica occurrit à die ſeptima Januarii uſque ad diem duodecimam ejuſdem Menſis incluſivè: vocatur enim in tali caſu *Dominica prima poſt Epiphaniam*, & ſimul *Dominica infra Octavam*. Tunc 254

verò

verò dividuntur, quando Dominica feſtiva incidit in Diem Octavam Epiphaniæ, nam in hujuſmodi caſu dicitur tantùm *Dominica prima poſt Epiphaniam*: & in Sabbato præcedenti fit Officium de Dominica, quæ in tali caſu nominatur dumtaxat *Dominica infra Octavam Epiphaniæ*. Ut Dominica prima poſt Epiphaniam habet in primo Nocturno *Initium Epiſtolæ primæ ad Corinthios*. Ut Dominica ſolummodò infra Octavam & in Sabbato poſita extra Diem Feſtum, habet in primo Nocturno continuationem Epiſtolæ *ad Romanos*. Quando Dominica occurrit die ſeptima Januarii, per totam Octavam omittuntur Lectiones *ad Romanos*: quando autem venit in Die Octava, per totam Octavam omittuntur Lectiones *ad Corinthios*: quia tunc incipiunt in ipſa die Octava occurrente in Dominica: Quacumque verò alia die occurrerit infra eamdem Octavam, partim legitur *ad Romanos*, & partim *ad Corinthios*, juxta occurrentiam ipſius Dominicæ, ita ut ante Dominicam ſemper legatur *ad Romanos*, & in Dominica ac deinceps ſemper *ad Corinthios*. His præmiſſis, Officium Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ, incipit plerumque in primis Veſperis à Capitulo, ſiquidem Antiphonæ & Pſalmi Veſperarum ſumuntur ex ſecundis Veſperis Feſti. Capitulum igitur eſt proprium, ſicuti etiam Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio: quæ quidem Oratio priſcis Eccleſiæ temporibus erat diverſa, & in Evangelio hujus Dominicæ fundata, ac deſumpta ex Romanis Sacramentariis refertur a Grancolas *loco inferiùs citando*, cui tamen addo congruentias: ſequentibus ergo verbis concipiebatur, nempè: *Deus, qui temporalem Filii tui pueritiam*, quia deſcribitur conſtitutus in ætate duodecim annorum: *feciſti mirabilem*, quia inventus fuit in Templo in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans eos, cum omnium ſtupore: *quique illum Parentibus temporaliter ſubdi voluiſti*, quia erat ſubditus illis: *ſpiritu prudentiæ*, propter reſponſa: *corda noſtra, quæſumus, illuſtra, atque humilitatis*, propter ſubjectionem: *& pietatis*, propter exiſtentiam in Templo; *muneribus miſeratus nos informa*.

Per

Per eumdem, *&c.* In prædictis primis Veſperis de Dominica, fit commemoratio Octavæ cum Antiphona propria cuilibet Diei infra Octavam aſſignata, ſed cum Verſiculo & Reſponſorio, ut in dictis primis Veſperis Dominicæ, & hoc ad varietatem, ne bis dicantur pro Dominica, & pro Octavæ commemoratione. Quòd ſi Dominica venerit die ſeptima Januarii, in ſecundis Veſperis de Feſto Epiphaniæ fit commemoratio Dominicæ, cujus Verſiculus cum ſuo Reſponſorio erit mutandus propter identitatem cum illo de Feſto, ideoque ejus loco erit dicendus Verſiculus *Omnes de Saba*, *&c.* cum ſuo Reſponſorio *Aurum*, *& Thus*, *&c.* At ſi Sabbatum incidat in diem decimam Januarii, quia tunc agitur de Die quinta infra Octavam, in qua ad *Magnificat* ponitur Antiphona *Omnes de Saba*, ideo in primis Veſperis de Dominica pro commemoratione Epiphaniæ variabitur Verſiculus cum ſuo Reſponſorio, quia eſt idem cum Antiphona Diei quintæ eo caſu occurrentis infra Octavam, & ideo dicetur *Adorate Deum*, *&c.* ut in Laudibus Feſti. Præter commemorationem Octavæ dari poteſt in primis Veſperis de Dominica etiam commemoratio de Feſto ſimplici, ſi ſimul occurrat in dicta Dominica: imò & alterius Octavæ alicubi occurrentis: ſi ergo Dominica veniat die undecima Januarii, Venetiis die decima in primis Veſperis Dominicalibus poſt commemorationem Epiphaniæ fit commemoratio tum de Die tertia infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani, tum etiam S. Hygini. Attamen occurrente in Sabbato vel in ipſa Dominica Feſto duplici primæ claſſis: in primo caſu, in ſecundis Veſperis de Feſto fit commemoratio Dominicæ, & Octavæ: in ſecundo verò caſu, Veſperæ erunt de Feſto, cum iiſdem commemorationibus Dominicæ, & Octavæ: & hoc contingere poteſt Feltriæ, quando Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, quæ ibi celebratur die decima Januarii, veniat in Sabbato, vel in Dominica.

Ad Matutinum verò, Dominica nihil habet de 255
Pſalterio, ut antiquitùs ſumebat ex eo, ſicuti aliæ

Dominicæ occurrentes infra Octavas communes, ut refert Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 31. verſ. Quoad Dominicam. pag.* 249. Antiphonæ igitur, & Pſalmi omnium & trium Nocturnorum ſunt de Feſto. In primo tamen Nocturno, ſi ſimul ſit Dominica prima poſt Epiphaniam & Dominica infra Octavam, legitur Initium *ad Corinthios*: Si autem ſit tantùm Dominica infra Octavam, ſicuti celebrabitur in Sabbato extra diem feſtivum, ſic ſuas retinebit Lectiones *ad Romanos*, quia Initium prædictum legetur in Dominica prima tunc occurrente in Die Octava, ut ſuo loco dicemus. In ſecundo & tertio Nocturno Lectiones ſunt propriæ in ipſa Dominica infra Octavam, ſed Reſponſoria de Feſto, quorum tamen primum *Hodie in Jordane*, non autem *Tria ſunt munera*. Ad Laudes omnia dicuntur, ut in Breviario, & poſt Orationem Dominicæ fit commemoratio Octavæ per Antiphonam Feſti, non Diei infra Octavam, quia, ut ſupra diximus, Dominica non computatur inter illos Dies: Verſiculus tamen cum ſuo Reſponſorio pro commemoratione Octavæ eſt *Omnes de Saba* ad varietatem, ne bis dicatur in eàdem Hora *Adorate Deum*, quia dicitur pro Dominica in hiſce Laudibus. Ad Primam omittitur Pſalmus *Confitemini*, & Symbolum *Quicumque*, ſed in Reſponſorio brevi dicitur Verſus *Qui apparuiſti hodie*: Et ad omnes Horas terminantur Hymni cum Strophe de Octava *Jeſu tibi ſit gloria, qui apparuiſti Gentibus*. At ſi in hac Dominica occurrat alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, fit de eo, ſed ad Matutinum legitur nona Lectio de Dominica, & in Laudibus fit ejus commemoratio ante illam Octavæ: Initium autem *ad Corinthios* dicto caſu eveniente ponitur in Feria ſecunda: ut ſi Dominica incidat in diem ſeptimam Januarii, Paſſavii in Bavaria, propter Feſtum duplex primæ claſſis ibi eo die occurrens S. Valentini Epiſcopi & Confeſſoris, transfertur dictum *Initium Epiſtolare* ad Feriam ſequentem, quæ eſt ſecunda & ſi Feria ſecunda ſit itidem impedita ſimili Feſto, *Initium* transfertur ulteriùs: ut Venetiis, ſi dicta

die

die ſeptima Menſis occurrat Dominica, fit de Feſto duplici primæ claſſis S. Juliani Martyris in ejus Eccleſia Parochiali & Collegiata: die verò octava Januarii fit ibidem de Feſto Diœceſano S. Laurentii Juſtiniani ſub eodem ritu, & conſequenter *Initium ad Corinthios* transfertur in dicta Eccleſia ad Feriam tertiam. Quando tamen Dominica prima ſit ſeparanda à Dominica infra Octavam, eo quod occurrat in Die Octava Epiphaniæ; ſicuti dicta Dominica infra Octavam, tunc fiet in Sabbato præcedenti, ſic nulla erit facienda mutatio Lectionum in primo Nocturno, ſed legetur de Epiſtola *ad Romanos*, prout ſtat & jacet in ipſa Dominica infra Octavam: de qua tamen Dominica tunc in Sabbato ſic repoſita fiet nona Lectio ad Matutinum, & commemoratio in Laudibus, ſi die duodecima Januarii celebratur alicubi Feſtum duplex primæ claſſis occurrens, tamquam ſi eſſet Dominica veniens in die feſtivo.

§. VIII.

De Miſſa, & Veſperis in Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Miſſa de Dominica infra Octavam eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum ſola ſecunda Oratione Octavæ, juxta Rubricam Miſſalis *de Orat. tit.* 9. *ſub numer.* 10. Idem dicendum, ſi hæc Dominica celebretur in Sabbato extra Diem Feſtum, quia dicta Rubrica abſolutè præſcribit, in Dominicis infra Octavas dicendas eſſe duas tantùm Orationes: & cùm Lex non diſtinguat inter Dominicam in Die Feſto, & Dominicam extra Diem Feſtum, nec nos debemus diſtinguere: quod & intelligit Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 3. ſub num.* 16. 256

16. & ſentit Piſartus *in Expoſit. Rubricar. Miſſal. Rom. par. 4. tit. 3. ſub num. 1. pag.* 129. Rubrica tamen intelligenda venit, quòd non dicatur tertia Oratio *Deus qui ſalutis*, quæ aſſignatur in Miſſa de Die infra Octavam, non autem, quòd non fiant commemorationes, quotquot poſſunt occurrere: ex quo ſequitur, poſſe in hac Dominica dici tres, quatuor, & etiam quinque Orationes: de tribus quidem in Eccleſia Univerſali, quando Dominica occurrit die undecima Januarii, nam ſecunda Oratio eſt Octavæ, & tertia S. Hygini: de quatuor verò, Venetiis in eadem occurrentia Dominicæ in die undecima, nam ſecunda Oratio eſt de Epiphania, tertia de Die quarta infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani, & quarta de S. Hygino: Quinque denique Orationes dicuntur in Eccleſia S. Juliani Venetiarum, quia ſecunda eſt Epiphaniæ, tertia de quinta Die infra Octavam ſui Titularis, quarta de Die quarta infra Octavam dicti S. Laurentii Juſtiniani, & quinta S. Hygini. Præterquàm quòd dici etiam poteſt in privatis Collecta de SS. Sacramento, ſi ſit expoſitum: de Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi, ſi occurrat: de Gratiarum actione, ſi ſit reddenda: de Benedictione Nuptiarum, ſi facienda ſit, &c.

In dicta Miſſa de Dominica infra Octavam dici- 257
tur quoque *Credo*, cum Præfatione, & *Communicantes* de Epiphania. Eamdem numero Præfationem habet etiam in hac Dominica Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina decima ſeptima*; ſed non habet eamdem Benedictionem Epiſcopalem, quæ in Feſto: & idcircò tunc temporis erat ea, quæ ſequitur, conformis antiquæ Orationi ſupra extenſæ in primis Veſperis hujuſce Dominicæ, videlicet: *Deus, qui Filii ſui temporalem pueritiam fecit eſſe mirabilem, ſpiritu prudentia cordis veſtra illuſtrare ac docere dignetur*, Amen. *Quinque illum Parentibus temporaliter ſubdi voluit, ipſe vos humilitatis & pietatis muneribus miſeratus informet*. Amen. *Et qui eum ſapientia, ætate, & gratia proficere tribuit, ſpiritalium vobis profectuum incrementa propitius largiatur*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in

 Feſto

Feſto Epiphaniæ. Attamen Ambroſiani, etiam hodie, diverſam recitant Præfationem, quam ex particulari eorum Miſſali depromptam hic extendimus, ut ſi Lector Eccleſiaſticus de antiqua Eccleſiæ conſuetudine quoad Benedictionem factus eſt conſcius, videat etiam quid varietatis quoad Præfationem ſit adhuc alicubi in viridi obſervantia. Hodierna igitur Præfatio Ambroſiana eſt ſequens, ſcilicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare; nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Ut, qui, te auctore, ſubſiſtimus; te diſpenſante dirigamur. Non noſtris ſenſibus relinquamur, ſed tua reducti tramite veritatis, hæc ſtudeamus exercere quæ præcipis; ut dona poſſimus percipere quæ promittis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

At ſi in hac Dominica infra Octavam Epiphaniæ 258 (ſive in Die Feſto celebretur, ſive in Sabbato extra Diem Feſtum) occurrat Feſtum duplex primæ claſſis, Miſſa quidem dicitur de eo, ſed fit commemoratio Dominicæ ante illam Octavæ, cum Evangelio ejuſdem Dominicæ in fine: ſine tamen commemoratione aliarum Octavarum alicubi occurrentium, ut ſi Dominica occurrat die Octava Januarii Venetiis in Eccleſia Parochiali S. Juliani dicitur Miſſa de Feſto Diœceſano S. Laurentii Juſtiniani, quod ea die occurrit, cum commemoratione quidem Dominicæ, & Epiphaniæ, ſed non de Die ſecunda infra Octavam ſui Titularis: Imò in dicta Miſſa de Feſto duplici primæ claſſis occurrente in hac Dominica non fit commemoratio de Feſto ſimplici ſimul incidente: ut ſi alicubi die undecima Januarii veniat Dedicatio Eccleſiæ, & hæc ſimul Dominica, poſt commemorationem Dominicæ; & Epiphaniæ, omittitur in Miſſa Oratio quarta de S. Hygino, ſive autem Miſſa ſit de hac Dominica, ſive de Feſto duplici primæ claſſis in hanc eamdem Dominicam incidens, ante Miſſam ſolemnem facienda eſt aſperſio Aquæ benedictæ, juxta id, quod de omnibus Dominicis præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 31. §. 3. pag. mihi* 397. niſi

illud Feſtum foret de Titulari Cathedralis Eccleſiæ, vel de ejus Dedicatione, & Epiſcopus (ut decet) Pontificaliter celebraret quia eo caſu omittenda eſſet dicta aſperſio; ut habetur in dicto Cæremoniali *loco citato*, §. 4. vel niſi agatur de eadem Dominica in Sabbato extra diem feſtivum.

An autem cantandæ ſint duæ Miſſæ, ubi datur 259 occurrentia Feſti duplicis primæ claſſis, & ſimul hujuſce Dominicæ infra Octavam? Negat Gavantus *in Theſaur. Sacror. Rit. tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 7. *ſub num.* 2. quia, inquit ex Francolino, ambæ cantandæ eſſent poſt Tertiam: & diſtinguenda eſt Dominica à Feriis majoribus: nec adeſt ulla Rubrica de duabus Miſſis dicendis de quatuor Temporibus, & de Vigiliis S. Matthæi & S. Thomæ, ſi in eumdem incidant diem, quia eſſent ambæ cantandæ poſt Nonam: Dominica verò venit ſub nomine Feſti novem Lectionum, ut intelligit Sacra Rituum Congregatio ſub die 12. Martii 1618. ergo non eſt Feria prima, neque in ea duæ Miſſæ ſunt cantandæ. *Huc uſque Gavantus*, cujus tamen auditis rationibus non libenter adhæret Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 5. *pag.* 246. commendat enim, ſi quibus in Eccleſiis ritus ille indutus eſt, ut præter Miſſam Feſti occurrentis, Miſſa alia de Dominica perindè cantetur, atque Miſſa de Feria in die Jejunii, præſertim in Dominicis Quadrageſimæ, quando contingit eas ſic impediri, cùm in nullo die per hebdomadam reſumi poſſint: *Ita Guyetus*: At, ſi verum fateri volo, & in hoc Dubio tutiorem partem ſequi, quoad hoc ſtandum eſt Gavanto, & non Guyeto, nam prima opinio roborata poſtmodùm fuit ſequenti Decreto: Supplicantibus enim humiliter Capitulo & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi, pro declaratione nonnullorum Dubiorum, inter quæ decimumquartum (cæteris omiſſis, ad noſtram rem non facientibus) fuit tenoris ſequentis, videlicet: *An in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de duplici primæ claſſis, ſint cantandæ duæ Miſſæ?* Sacra eadem Rituum Congregatio ad Decimumquartum, *die* 5. *Julii*

lii 1698. reſpondit: *Negativè*: quam quidem Reſolutionem, unà cum aliis in Supplicatione expreſſis, ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione Illuſtriſſimi D. Secretarii: & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice ſub num.* 528. Unde corruit potiſſima ratio Guyeti de Dominicis Quadrageſimæ, & erigitur illa Gavanti. Si enim non cantantur duæ Miſſæ in Dominicis majoribus & privilegiatis: ergo non cantabuntur in hac Dominica infra Octavam, quæ eſt minor & non privilegiata, licèt privilegiata ſit Octava.

260 Non mirentur quæſo Rubriciſtæ, ſi ſum modò propoſiturus quemdam caſum, qui videtur ſpectare ad hanc Dominicam infra Octavam, ſed reverà non eſt de hac Octava: ſiquidem propono, quia in praxi eum vidi in quodam Diœceſano Divinorum Officiorum Directorio. In hac Dominica occurrit alicubi Feſtum ſemiduplex: Quæritur, an ſit transferendum in Feriam ſecundam ſequentem non impeditam? Si peterem ab illo Kalendariſta, reſponderet affirmativè, quia jam admiſit hujuſmodi tranſlationem. Neſcio profectò, cui Rubricæ innixus hoc fecerit, nam Rubrica Breviarii *de tranſlat. Feſtor. ſub num.* 5. loquitur de Feſto ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavas communes & Feſta ſemiduplicia admittentes, quæ cùm locum concedant occurrentibus, negant tamen tranſlatis, & ex privilegio Rubricæ introducunt tranſlatum in Feriam ſecundam ſequentem Feſtum ſemiduplex, quod occurrebat in Dominica. Non tamen loquitur de Octavis privilegiatis, qualis eſt iſta Epiphaniæ, infra quam non ſolùm non ſit de Feſto ſemiduplici, ſed neque de duplici, niſi ſit primæ claſſis, & occurret. Hinc eſt, quòd ſi in hac Dominica occurrerent alicubi duo Feſta duplicia primæ claſſis, quorum unum Diœceſanum tali diei Menſis affixum, alterum verò proprium alicujus Eccleſiæ in eadem Diœceſi exiſtentis, & huic Dominicæ aſſignatum: de transferendo neque ratione Dominicæ, neque ratione vicinitatis, neque ratione hujus Octavæ, agendum

eſſet

eſſet in Feria ſecunda ſequenti, licèt non impedita, Concordiæ igitur in Foro Julii die ſeptima Januarii occurrit Feſtum S. Juliani Martyris ſub ritu ſemiduplici, & Auguſtæ Vindelicorum in Svevia die octava ejuſdem Menſis occurrit Feſtum ſemiduplex S. Erhardi Epiſcopi & Confeſſoris: Kalendariſtæ illarum Diœceſum, ſicuti quovis anno transferunt poſt Octavam illa Feſta ſemiduplicia, in primam ſcilicet diem non impeditam, ſic numquam ea reponunt in Feria ſecunda infra Octavam, quando occurrunt in Dominica.

Dubium tamen majoris momenti mihi venit modò in mente reſolvendum. Conſecrator Eccleſiæ aſ- 261
ſignavit pro Die ejus Anniverſaria Dominicam infra Octavam Epiphaniæ, & nihil aliud addidit. Quæritur, an ſit celebrandum hoc Feſtum in Sabbato, quando in eo fit de Dominica infra Octavam extra diem feſtivum? Ratio dubitandi eſt, quia videtur Epiſcopus intellexiſſe de die feſtivo: ſed in caſu propoſito non eſt dies feſtivus: ergo, eo caſu eveniente, non videtur celebrandum, ſed transferendum. Reſpondeo tamen, eſſe nihilominus celebrandum in dicto Sabbato, nam dum Epiſcopus dumtaxat ſe expreſſit de Dominica infra Octavam, etiam in illo Sabbato eſt revera Dominica infra Octavam. Cùm enim hæc Dominica duas habeat ſedes: una in die feſtivo, quando occurrit à die ſeptima Januarii uſque ad diem duodecimam ejuſdem Menſis incluſivè: altera verò in Sabbato extra diem feſtivum, quando videlicet ſeparatur à Dominica prima poſt Epiphaniam tunc occurrente in Die Octava: in utroque caſu eſt revera Dominica occurrens infra Octavam, & conſequenter Feſtum prædictum Dedicationis eidem Dominicæ aſſignatum, erit eo anno, & eo die celebrandum. Nec intereſt, quòd quandoque non ſit dies feſtivus, nam mens Conſecratoris eſt interpretanda favorabiliter, & non rigoroſè: favorabiliter autem interpretatur, ſi etiam eo anno celebretur Dedicatio cum tota ſua Octava, quam integrè proculdubio deperderet, ſi eſſet transferenda. Quod igitur rarò contingit, non habetur

betur in conſideratione: nam cæteroquin, quot ſunt Dedicationes per Orbem, quæ celebrantur ferè quovis anno in diebus ferialibus aſſignatis? Non videt è contra (ſalva meliori opinione) cur etiam hæc Dedicatio, quæ plerumque celebratur in Dominica feſtiva, non poſſit interdum fieri de ea etiam in eadem Dominica non feſtiva.

Quoad Veſperas ſecundas de Dominica infra Octavam Epiphaniæ, omnia dicuntur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, exceptis Capitulo, Antiphona ad *Magnificat*, & Oratione, quæ ſunt propria hujus Dominicæ: & in eis fit deinde commemoratio Octavæ dumtaxat, dummodo in Feria ſecunda non occurrat Feſtum ſimplex, de quo erit facienda commemoratio poſt illam de Octava: ut ſi Dominica veniat die ſeptima Januarii, Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi, in ſecundis Veſperis de hac Dominica fit commemoratio Octavæ, & S. Erhardi Epiſcopi & Confeſſoris, cras ibi occurrentis ſub ritu ſimplici: ſi verò Dominica incidat in diem decimam ejuſdem Januarii, fit commemoratio etiam S. Hygini Papæ & Martyris die ſequenti in Eccleſia Univerſali occurrentis. At ſi alicubi occurrat aliqua Dies infra unam, vel plures Octavas, de illa vel illis facienda eſt commemoratio in his ſecundis Veſperis Dominicæ: ideoque ſi Dominica veniat die octava Januarii, Paſſavii in Bavaria in ſecundis Veſperis Dominicalibus fit commemoratio Epiphaniæ, & de Die ſecunda infra Octavam S. Valentini: Si verò incidat in diem decimam ejuſdem Menſis, Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata S. Juliani Martyris poſt commemorationem Epiphaniæ fit commemoratio de Die quarta infra Octavam ſui Titularis, & de Die tertia infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani, ac denique S. Hygini. Quòd ſi in Feria ſecunda venerit alicubi Feſtum duplex primæ claſſis, Veſperæ erunt de ſequenti, cum commemoratione quidem Epiphaniæ, ſed non Dominicæ præcedentis, nam licèt Octava Epiphaniæ ſit privilegiata, non eſt tamen privilegiata Dominica intermedia, ſed ſubjecta eſt Rubricæ Breviarii *de Concurren.*

262

curren. Offic. tit. 11. *ſub num.* 4.° ubi excluditur commemoratio Dominicæ concurrentis cum duplici primæ claſſis: unde ſi Dominica occurrat die nona Januarii, Feltriæ in Dominio Veneto Veſperæ ſunt de ſequenti, nempè de Dedicatione Cathedralis, cum commemoratione Octavæ, non verò Dominicæ. Quando vero Dominica vel occurrit die duo-
261 decima Januarii in die feſtivo, vel eadem die celebratur in Sabbato, & conſequenter extra diem feſtivum, ordinabimus Veſperas in ſequenti Paragrapho de Die Octava.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam Epiphaniæ Domini.

IN hac Die Octava totam Officium eſt de Ba- 263
ptiſmo Jeſu Chriſti, in Miſſa verò totum Evangelium. Græci autem Baptiſmum appellant Sacramentum Luminis, quòd in eo Fidei lumen recipiatur; & quia ipſi celebrant hunc Baptiſmum in ipſo Feſto Epiphaniæ, ideo Patres illius Nationis Epiphaniam vocant modò *Sancta Lumina*, modò *Feſtum Luminum*. Eccleſia tamen Latina, quæ totam Octavam conſiderat tamquam unam Diem, in Feſto Epiphaniæ celebrat Magorum adorationem, & in hac Die Octava Baptiſmum Jeſu Chriſti; & ſic una Die celebrat, quod revolutis annis una & eadem Die factum eſt. Non conveniunt Auctores in aſſignatione Feriæ, quæ ea die occurrebat, qua baptizatus eſt Chriſtus: ſiquidem Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *titul.* 3. *ſub numer.* 17. ait, quòd Durandus facit Feriam tertiam, Ciacconius verò in Vita Chriſti facit Feriam ſextam. Et revera Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 28. *ſub num.*

 13.

13. volens probare, quòd nos incipimus à Feria quarta Jeiunium Quadrageſimale, quia in tali Feria incæpit Chriſtus, ſic ratiocinatur: *Chriſtus legitur quarta Feria ſuum jejunium inchoaſſe: quod inde videtur, quia natus eſt Die Dominica: & ſi quis diligenter computet annos ex tunc uſque ad trigeſimum, ſecundùm rationes computi inveniet, eum in tertia Feria baptizatum fuiſſe, & ſequenti die intrans in Deſertum, inchoavit jejunium.* At quoad Ciacconium; fateor veritatem: perlegi Vitam Chriſti ab ipſo conſcriptam, nec tamen potui invenire locum, in quo aſſerat de Feria ſexta: nam dum loquitur de adoratione Magorum, tunc revera ſic habet: *Sexta Feria, Magi, ſive Sapientes, & Philoſophi, ſive Reges Orientales, ex Perſide, Armenia, India, adoratum infantem Chriſtum veniunt, Stella duce, qua biennium fermè ante illis apparuit, muneribus & donis eum proſecuti.* Quando verò diſſerit de Chriſti Baptiſmo, nullam facit mentionem de Feria tunc occurrente, niſi alio in loco de ea expreſsè loquatur, & ego non viderim: ubi ergo legi, ſic ait: *Sub Tiberio Chriſtus Baptiſmum ſuſcepit: Anno ejus namque imperii quintodecimo per quatuor menſes & dies octodecim labente, Chriſtus trigeſimam annum ingreſſus, hoc eſt, vigeſimum nonum expletum, & trigeſimum tredecim diebus inchoatum, à Joanne Zacharia Filio, trigeſimum etiam tunc annum agente, in Jordanis fluentis baptizatus, &c.* ex quibus verbis nulla habetur expreſſio Feriæ ſextæ eo die occurrentis, niſi inferenda ſit dicta Feria ex hoc computo Ciacconiano, vel alibi hic Auctor exprimat. Dato tamen, quòd aliquo in loco hujus Auctoris, Feria ſexta exprimatur; dum diſcordant in aſſignatione Feriæ, concordant tamen in aſſignatione Diei ſextæ, quod ſufficit.

Dies Octava Epiphaniæ celebratur ſub ritu duplici majori: non tamen per hoc, quòd hujuſmodi ritum, poteſt in ea celebrari Feſtum duplex primæ claſſis occurrens. Et licèt Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 8. quæſt. 2. pag. 258.* aſſerat exemplum tum Rhemenſis Eccleſiæ Feſtum S. Remigii in hoc Die Octava celebrantis, tum Eccleſiæ Ambianenſis de 264

Inven-

Inventione S. Firmini hodie agentis, tum denique Pictavienſis Eccleſiæ Officium hac die facientis de S. Hilario: quæ omnia & tria Feſta ſunt in ſuis reſpectivè Locis duplicia primæ claſſis: hujuſmodi nihilominùs uſus, ſicuti ſunt à Romano diverſi, ſic ſi originem non trahant à Privilegio Apoſtolico, adverſantur Rubricæ Breviarii Romani *de tranſlat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 2. & primo Notando *poſt TabellamOccurrentiæ*, in quibus clarè mandatur tranſlatio omnium & ſingulorum duplicium primæ claſſis in dicta Die Octava Epiphaniæ occurrentium: & quidem præcipiuntur transferenda in primam diem non impeditam: quidquid dicat Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *libr.* 3. *cap.* 6. *ſub num.* 11. *pag.* 156. ubi in ſequentem diem ordinat tranſlationem Feſti duplicis primæ claſſis in hac Die Octava occurrentis: nam die ſequenti fit de Feſto univerſali S. Hilarii, quod etiam ſuo tempore occurrebat ea die ſub ritu ſemiduplici, quia è ſimplici erexit Pius Quintus, ait Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7. *capit.* 3. *die* 14. *Januar.* Pius autem Quintus Eccleſiæ præfuit à die 26. Decembris 1560. uſque ad diem 9. itidem Decembris 1565. juxta chronologiam Cherubini *in Bullario Romano*. Piſcara verò ſuum primò edidit Cæremoniale Neapoli anno 1613. unde neſcio, quomodò poſt curſum multorum annorum ab erectione dicti Officii S. Hilarii, nempè à Pio Quinto ad ſuam editionem, ordinaverit in diem ſequentem ſcienter impeditam, tranſlationem Feſti duplicis primæ claſſis in hac Die Octava occurrentis: ſiquidem neque celebrandum foret eo anno, quo cum tranſlatione S. Hilarii agendum eſt die decimaquarta Januarii de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam in Officio feriali ob viciniorem Septuageſimam, ad ſenſum Rubricæ ritè & rectè intellectæ à Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 8. *ſub num.* 2. & 3. nam ſi eo caſu eveniente tollitur de ſua ſede Feſtum occurrens S. Hilarii, ergo non reponitur aliud Feſtum tranſlatum cujuſvis ritus.

Officium de Die Octava Epiphaniæ incipit à primis Veſperis, quæ dicuntur integræ, ut in primis 265

Veſ-

Veſperis Feſti, ſolà excepta Oratione propria, & ideo alia ab ea, quæ dicta fuit in Feſto & per ejus Octavam: In his primis Veſperis nulla in Eccleſia univerſali occurrit facienda commemoratio: niſi die præcedenti duodecima Januarii actum ſit de Dominica infra Octavam in ſuo die feſtivo, vel de eadem Dominica in Sabbato, & ſic extra diem feſtivum: in utroque enim ex duobus prædictis caſibus, qui ad unum tamen dumtaxat rediguntur, in primis Veſperis de Die Octava fit commemoratio illius Dominicæ, cujus Verſiculus cum ſuo Reſponſorio erit commutandus propter ipſeitatem verborum cum illo de Die Octava, & ideò dicendus Verſiculus, *Omnes de Saba*, *&c.* cum ſuo Reſponſorio, *Aurum, & Thus*, *&c.* ut docet Rubrica hoc loco, qui quidem Verſiculus & Reſponſorium ſumuntur ex commemoratione Octavæ in primis Veſperis de ipſa Dominica. Extra Eccleſiam verò univerſalem occurrere poſſunt aliæ commemorationes, & aliter ordinari Veſperæ: ſiquidem ubi contingit Dies infra unam vel plures Octavas, de illa vel illis facienda eſt in his primis Veſperis commemoratio, ut Patavii, Venetiis, & Feltriæ, Veſperæ ſunt proculdubio de Die Octava Epiphaniæ, ſed cum commemoratione reſpectivè vel de Die ſexta infra Octavam S. Valentini, vel de Die quinta infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani, vel de Die tertia infra Octavam Dedicationis Cathedralis. De duabus verò Octavis ſimul ſpecialiter occurrentibus exemplum habetur Venetiis in Eccleſia S. Juliani, ubi in primis Veſperis de hac Die Octava Epiphaniæ fit commemoratio de Die ſexta infra Octavam ſui Titularis, & deinde de Die quinta infra Octavam Diœceſanam S. Laurentii Juſtiniani: & ſi dicta die duodecima Januarii occurrat vel fiet de Dominica, ejus commemoratio habet locum ante omnes Octavas particulares. Quòd ſi prædicta die duodecima actum ſit alicubi de Feſto duplici primæ claſſis occurrente, etiam Veſperæ ſecundæ erunt integræ de eo, cum commemoratione de Die Octava Epiphaniæ, & etiam Dominicæ quandoque venientis.

tis: licèt enim Dies Octava non cedat duplici primæ claſsis in occurrentia, ut mox dicemus, ei tamen in concurrentia locum tribuit. Si verò in Die Octava occurrat Dominica prima poſt Epiphaniam, ſicuti dicitur, & eſt reverà *vacans*, ſic in his Veſperis nihil fit de ea, quia ut talis non habet Officium, & eo caſu eveniente ſatis actum eſt in Sabbato præcedenti de Dominica infra Octavam, quæ eſt vera Dominica quoad Officium.

Ad Matutinum in Die Octava Epiphaniæ, Invi- 266
tatorium, Hymnus, Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculi, ac Reſponſoria omnium & trium Nocturnorum, ſumuntur ex Feſto. In primo autem Nocturno ſunt certæ quidem Lectiones de Epiſtola prima *ad Corinthios*, ſed non ſtabilis earum ſpecialis qualitas: modò enim continuatur hodie dicta Epiſtola, modò verò incipitur. Quando Dominica prima poſt Epiphaniam occurrit ſimul cum Dominica infra Octavam (nam poteſt occurrere à die ſeptima Januarii uſque ad diem duodecimam ejuſdem Menſis incluſivè) tunc in hac Die Octava recitantur Lectiones, quæ ſunt continuativæ illius Epiſtolæ: Quando verò in Die Octava venit Dominica, ſicuti erit iſta Dominica prima poſt Epiphaniam, licèt in reliquis ſit *vacans*, non tamen vacabit quoad Lectiones primi Nocturni, quæ idcircò dicentur de initio ejuſdem Epiſtolæ, & ſemper cum primo Reſponſorio *Hodie in Jordane*, ut docet Rubrica in ipſo Feſto Epiphaniæ. Dominica verò infra Octavam jam in hoc caſu celebrata fuit in Sabbato præcedenti, cum ſuis Lectionibus primi Nocturni *ad Romanos*. Quòd ſi quæras, cur in prædicto caſu Dominicæ primæ in hac Die Octava occurrentis, agatur in Sabbato de Dominica infra Octavam? Reſpondeo cum Macrio *in Hierolexic. verb. Octava*: ut ſcilicet ſervetur ordo vitæ Chriſti, nam in Dominica infra Octavam deſcribitur conſtitutus in ætate duodecim annorum: in Die autem Octava, ſicut in ea celebratur ejus Baptiſmus, ſic conſideratur in ætate annorum triginta: quæ ratio adeò eſt vera, ut nullum habere debeat contradictorem, niſi il-

lum,

lum, in quo nullus ordo, ſed ſola confuſio actionum inhabitet. Lectiones tamen ſecundi & tertii Nocturni ſunt propriæ in hac Die Octava, ſed cum Reſponſoriis, ut in Feſto. Ad Laudes omnia dicuntur, ut in Die Epiphaniæ, excepta Oratione, quæ eſt propria, ut ſupra diximus in primis Veſperis: nec fit ulla commemoratio, niſi alicubi occurrat Dies infra Octavam, de qua eſſet commemoratio ibi facienda. Dixi, *niſi occurrat Dies infra Octavam*, quia nullibi poteſt hodie occurrere alia Dies Octava: cùm enim omne Feſtum duplex primæ claſsis occurrens in Die Epiphaniæ ſit transferendum, ut patet ex ſuperiùs dictis: & infra Octavam non fiat de duplici primæ claſsis translato, ut jam oſtendimus: conſequens eſt, ut neque hodie dari poſsit alia Dies Octava.

§. X.

De Miſſa, & Veſperis in Die Octavam Epiphaniæ. Domini.

Miſſa in hac Die Octava Epiphaniæ eſt quidem extenſa in Miſſali, in qua tres Orationes ſunt propriæ, unà cum Evangelio, ſed cætera ſumuntur ex Miſſa Feſti. Dicitur in ea *Gloria*, cum unica Oratione: niſi alicubi occurrat aliqua Dies infra Octavam ſpecialem, ut Paſſavii fit commemoratio de Die ſeptima infra Octavam S. Valentini, Venetiis legitur ſecunda Oratio de Die ſexta infra Octavam S. Laurentii Juſtiniani, & Feltriæ recitatur Oratio ſecunda de Die quarta infra Octavam Dedicationis Cathedralis. Non video autem, quòd poſsit dari tertia Oratio ratione Officii, niſi in aliqua Eccleſia occurrerent duo Dies infra duas Octavas, ut Venetiis in Eccleſia Parochiali 267

& Col-

& Collegiata S. Juliani, in qua ſecunda Oratio eſt de Die ſeptima infra Octavam ſui Titularis, & tertia de Die ſexta infra Octavam Diœceſanam S. Laurentii Juſtiniani. Poteſt tamen dici Collecta pro SS. Sacramento expoſito, pro Die Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, pro Gratiarum actione, pro Sponſo & Sponſa, vel pro alia Eccleſiæ indigentia, ſi una vel altera ex dictis Collectis alicubi occurrat in Miſsis privatis dicenda. In hac Miſſa de Die Octava dicitur etiam *Credo*, cum Præfatione, & *Communicantes* de Octava. Eamdem tamen numero Præfationem, quam nos recitamus, cenſeo fuiſſe etiam antiquitùs, ſiquidem hodie nulla fit mentio de Præfatione in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ *pagina decima octava*, ubi cæteroquin extenditur Miſſa de hac Die Octava, ſed tacetur Præfatio: unde forſan dicebatur noſtra, ſicuti recitabatur in Feſto, & in Dominica, ut ſuo loco jam diximus: Licèt autem nulla habeatur Præfatio propria in dicto Sacramentario Gregoriano, habetur tamen propria Benedictio Epiſcopalis, quam priſcis Eccleſiæ temporibus ſolebat Epiſcopus Populo impertiri: & quamvis extenſa non legatur in Miſſa de hac Die Octava, ea tamen reperitur in alio Benedictionum Epiſcopalium Supplemento ibidem exiſtente, *pagina* 627. & eſt ſequens, videlicet: *Deus, qui præſentem diem ita dignatus es eligere, & ut eligeres tot Miracula demonſtrare, in quo Te ad adorandum Stella nova Magos perduxit: & Jordanis tuo Baptiſmo ſanctificari meruit: necnon & aquæ pallor in Cana Galilææ Vina produxit: eſto, quæſumus, tuæ Familiæ ipſe Lux itineris, qui Stella indice clarificatus es Rex ſalutis.* Amen. *Da Plebi tuæ, Redemptoris ſui plenum cognoſcere fulgorem, ut per ejus incrementa, ad perpetuam claritatem perveniat.* Amen. *Converte ad Te quærendum corda Fidelium, ut juncta cum Angelis in excelſis, tibi Deo cantet gloriam Plebs devota.* Amen. *Et qui dignatus es hodie à Jordanis fonte, Fons aquæ vivæ, diſcendere, & tuo Baptiſmate ſanctificare, tribue Populis tuis perpetua pace gaudere, & ſplendore gratiæ tuæ cor eorum ſemper accendere.* Amen.

Amen, *Quod ipſe præſtare dignetur*, *&c.* cum reliquis, ut ſupra in Feſto Epiphaniæ.

Quòd ſi in hac Die Octava Epiphaniæ occurrat Dominica prima poſt eamdem Epiphaniam, ſicuti fuit *vacans* in Officio, præter Lectiones primi Nocturni: ſic & vacabit in Miſſa, præter aſperſionem Aquæ benedictæ, quæ erit proculdubio ante Miſſam ſolemnem in illis Eccleſiis facienda, in quibus mos eſt & obligatio faciendi, juxta Cæremoniale Epiſcoporum ſupra citatum in Miſſale, Dominica infra Octavam. Etſi autem Feſtum duplex primæ claſſis hac die occurrens, ſit transferendum juxta Rubricas ſuperiùs allatas, poterit tamen de eo cantari hodie Miſſa, tum ratione Tituli, ſi Feſtum eſt de Invocatione Eccleſiæ; tum etiam ratione Concurſus Popularis, ſi reverà ſoleat adeſſe ad celebrandum Feſtum cæteroquin translationi tradendum; altera tamen priùs cantata de Die: ut de hujuſmodi Feſto transferendo concedit, & de duabus Miſſis cantandis, præſcribit Rubrica Miſſalis *de translat. Feſtor. tit.* 6. ubi exceptio Diei Epiphaniæ firmat regulam in non excepta hac Die Octava: quod & dictæ Rubricæ innixus, & exemplo etiam allato ſuggerit Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 7. *ſub numer.* 13. *pag. mihi* 156. Imò, (ſine præjudicio Miſſæ Conventualis, ubi adeſt obligatio eam cantandi) dici poteſt Votiva ſolemnis de SS. Sacramento exponendo pro Oratione quadraginta Horarum; & cantari quæcumque Votiva pro re gravi: ſicuti etiam Miſſa ſolemnis Defunctorum in Die Obitus, præſente quidem Corpore in Eccleſia; aliud enim eſt, quòd *Dies Obitus* occurrat in Feſto duplici primæ claſſis, quod ſemper hujuſmodi Miſſam excludit: & aliud eſt, quod *Dies ipſius Obitus* incidat in Diem, Feſtum duplex primæ claſſis excludentem, & non ſemper dictam Miſſam ſolemnem Defunctorum rejicientem. 268

Antequam autem finem hodierno Officio imponamus, aliquid de ſecundis Veſperis debemus diſſerere. Hæ igitur Veſperæ ſunt ferè ſemper integræ de Die Octava Epiphaniæ: & in eis omnia dicuntur, 269

tur, ut in ſecundis Veſperis Feſti, præter Orationem, quæ eſt propria. Duæ regulariter fiunt commemorationes, una ſcilicet de S. Hilario Epiſcopo & Conteſſore, & altera de S. Felice Martyre, quorum. Feſta ſimul occurrunt die ſequenti, nempè decimaquarta Januarii. Dixi, *ferè ſemper*: unicus enim in Eccleſia Univerſali datur caſus, in quo Veſperæ ſint de ſequenti, quando ſcilicet hæc Dies Octava incidit in Sabbatum: tunc ſiquidem Veſperæ ſunt de Feſto SS. Nominis JESU, quod ſub ritu duplici ſecundæ claſſis celebratur in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam: & ſanè, eo caſu eveniente, in primis Veſperis de ſequenti fit commemoratio de præcedenti Die Octava Epiphaniæ, & etiam dictæ Dominicæ ſecundæ; non verò S. Felicis, juxta morem duplicis ſecundæ claſſis non admittentis in primis Veſperis commemorationem de Feſto ſimplici ſimul occurrente, vigore generalis Rubricæ. Ad rem autem pertinet; quòd excuſandus quidem eſt, ſed modò non ampliùs ſequendus Halden, qui *in Ephemerolog. par. 2. tit. 1. ſub numer. 13. pag. itid. 13.* datis integris Veſperis Diei Octavæ Epiphaniæ, facit commemorationem tantum ſequentis Dominicæ ſecundæ, quia reverà, eo adhuc ſcribente, non erat extenſum ad Eccleſiam Univerſalem dictum Feſtum SS. Nominis JESU: ſuum enim addidit Auctor proficuum Opus Brixinæ in Comitatu Tyrolenſi anno 1715. ſed Feſtum SS. Nominis JESU extenſum poſtmodùm fuit anno 1721. ſub die 29. Novembris. Datur etiam caſus, in quo ſecundæ Veſperæ de Die Octava Epiphaniæ ſolam admittunt commemorationem S. Felicis Martyris: eo videlicet anno, quo die decimaquarta Januarii agendum eſt in Officio feriali de dicta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam cum translatione Feſti S. Hilarii ratione viciníoris Septuageſimæ; juxta Rubricam *in Proprio de Tempore, ante Dominicam primam poſt Epiphaniam*. Ibi etenim aſſignato loco dictæ Dominicæ ſecundæ in feriali Officio celebrandæ, cum translatione Feſti ſemiduplicis, ſic habetur: *prima die poſt Octavam fiat Officium de Feria*: ſed

prima

prima die poſt Octavam occurrit Feſtum ſemiduplex S. Hilarii: ergo iſtud erit transferendum; ut etiam benè ſentit peritus in arte, veruſque Rubricarum interpres, Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *capit.* 8. *ſub num.* 3. Quando igitur occurrat Tabula prima, vel ſecunda Ordinis perpetui, tunc in ſecundis Veſperis de Die Octava Epiphaniæ ſola fiet commemoratio S. Felicis. Et hæc quidem in Eccleſia Univerſali.

270 In Eccleſiis verò particularibus, Veſperæ de Die Octava Epiphaniæ poſſunt eſſe integræ quidem, ſed cum additione alicujus ſpecialis commemorationis, nempè, de aliquo Die infra Octavam, vel de alia ſequenti Die Octava: ita Feltriæ in Dominio Veneto, in ſecundis Veſperis de Die Octava fit commemoratio de S. Hilario, & de Die quarta infra Octavam Dedicationis Cathedralis, ac poſtea de S. Felice: ita Paſſavii in Bavaria fit commemoratio priùs de Die Octava ſequenti S. Valentini, deinde S. Felicis. At ſi die decimaquarta Januarii occurrat Dominica ſecunda, Feltriæ in Veſp. de SS. Nomine Jeſu fit commemoratio de Die Octava Epiphanæ, ac etiam Dominicæ, non autem Diei quartæ infra dictam Octavam Dedicationis, neque S. Felicis: Paſſavii verò, poſt commemorationem de Die Octava Epiphaniæ fit commemoratio de ſequenti Die Octava S. Valentini, & Dominicæ, ſed non de S. Felice. Quòd ſi die decima quarta Januarii, in qua, translato Feſto ſemiduplici S. Hilarii, agendum ſit de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, occurrat alicubi Dies infra Octavam, ſive Officium ſit feriale cum commemoratione de Die infra Octavam, juxta Gavantum *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 8. *ſub numer.* 5. ſive ſit de Die infra Octavam cum nona lectione & commemoratione Dominicæ ſecundæ anticipatæ, ut tenet Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 18. *quaſt.* 14. *pag.* 288. quidquid enim ſit de una vel altera opinione, quæ modò non eſt à nobis examinanda, ſemper verum eſt, quòd ſi fiat de Die infra Octavam, in ſecundis Veſperis de die Octava Epiphaniæ facienda eſt commemoratio de illa Die

alicubi

alicubi occurrente infra Octavam, deinde S. Felicis, quia Dies Octava Epiphaniæ eſt duplex majus, & ut tale admittit commemorationem de Die infra Octavam in ſecundis Veſperis.

At ſi dicta die decimaquarta Januarii occurrat alicubi Feſtum duplex etiam minus, agendum eſt de 271
illo, & Dominica ſecunda ponetur die decimaſexta ejuſdem Menſis in Officio feriali, cum translatione alterius Feſti ſemiduplicis, nempè S. Marcelli: unde Venetiis & in toto Dominio, eo caſu eveniente, recitatis de Die Octava integris Veſperis, fiet commemoratio de Feſto duplici minori ſequenti S. Petri Urſeoli primùm Venetiarum Ducis, deinde Monachi Ordinis S. Benedicti, addita ſecunda commemoratione de S. Felice. Dum autem hæc Dies Octava Epiphaniæ cedit in concurrentia Feſto duplici ſecundæ claſſis, ut patet ex ſuperiùs dictis de SS. Nomine JESU, multo magis cedet Feſto duplici primæ claſſis alicubi die decimaquarta Januarii occurrenti; ideoque Bergomi in Dominio Veneto, Veſperæ ſunt de ſequenti Feſto Dedicationis Cathedralis, cum commemoratione de præcedenti Die Octava Epiphaniæ, non autem S. Felicis: & ſic Parmæ ordinantur Veſperæ primæ de S. Hilario Urbis Patrono principali, & conſequenter de ſequenti Feſto duplici primæ claſſis: & ſi ſimul occurrat Dominica ſecunda, tam Bergomi, quàm Parmæ, altera commemoratio erit de eadem Dominica, cum translatione Feſti de SS. Nomine JESU.

Unum remanet Dubium pro complemento hujuſce Octavæ reſolvendum. Conſecrator Eccleſiæ aſſi- 272
gnavit pro Anniverſario Dedicationis Dominicam primam poſt Epiphaniam. Quæritur: quid agendum eo anno, quo hæc Dominica deſignata incidit in Diem Octavam Epiphaniæ privilegiatam? Gobatus *Oper. moral. tom. 1. tract. 3. ſub num. 696. Append. 3. lit. K. 3.* firmiſſimè probando tenet ex mente cujuſdam Theologi hanc quæſtionem in domeſtica Caſuum Conſcientiæ conferentia proponentis, & ingenioſè (ut ait) reſolventis: tenet, inquam, De-

dicationem tali caſu, & eo anno celebrandam in Dominica prima poſt Octavam Epiphaniæ; quia cùm ex claris Rubricis non poſſit fieri de Feſto duplici primæ claſſis in dicta Die Octava Epiphaniæ, venit in conſequentiam, quòd Conſecrator non intenderit illo anno Dominicam ab Officio Dedicationis excluſivo impeditam: nam ſi hoc intendiſſet, actum egiſſet: atqui nemo præſumitur intendere actum invalidum, qui ſemper eſt ita interpretandus, ut non ſit inutilis: ergo intendit Dominicam proximam poſt Octavam Epiphaniæ. Etiam Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 4. ſub num. 1271.* ſupponit cum dicto Gobato, hîc non intervenire tranſlationem propriè & canonicè loquendo, ſed dici debere, quòd Dedicationis Feſtum ab initio ſtatim fuerit pro tali anno & occurrentia conſtitutum in illa Dominica. Halden quoque noviſſimus hujus opinionis ſectator *in Ephemerolog. par. 2. tit. 1. ſub num. 13. pag. 16.* approbat cum eodem Gobato praxim Collegii Œnipontani Societatis JESU, Feſtum Dedicationis ſuæ Baſilicæ SS. TRINITATI dicatæ (quam pluries oraturus intravi, dum totam ferè perluſtravi Germaniam) ſæpè quidem in Dominica prima infra Octavam recurrente celebrantis, ſed annis illis, quibus Dies Octava Epiphaniæ incidit in Dominicam, de dicto Feſto liberè agentis in Dominica proxima poſt Octavam Epiphaniæ: quia Conſecrator ponens Anniverſarium Dedicationis in ſæpè memorata Dominica prima poſt Epiphaniam, ſimulque ſciens, ſingulis ferè Quinquenniis aut Septenniis eſſe impeditam à Die Octava ejuſdem Epiphaniæ, cenſendus eſt, pro caſu talis occurrentiæ deſignaſſe dictam Dominicam proximam poſt Octavam Epiphaniæ.

Hucuſque omnes illi & tres cæteroquin à me ſummo honore habiti Auctores, quorum auctoritate pluribus in locis uſus ſum inter mea ſcripta typis poſtmodùm demandata. Attamen quoad hanc eorum concorditer firmatam opinionem debeo (parcant, quæſo) aliquid in contrarium dicere. Siquidem, dum interpretantur Conſecratoris mentem, 273

dant

dant ei plus, quàm ipſe dare poſſit: Conſecrator enim in caſu propoſito duos aſſignaret Dies Anniverſario Dedicationis, unum quidem quando Dominica prima occurrit infra Octavam Epiphaniæ, alterum verò quando eadem Dominica occurrit in Die Octava: atqui Conſecrator non poteſt aſſignare, niſi unum Diem: ergo dant ei plus juris, quàm ipſe habet. Poteſt igitur Conſecrator una Die conſecrare Eccleſiam, & in actu Conſecrationis aliam Diem ſtatuere pro Anniverſario, ſed non habet in facultatibus aſſignationem duorum Dierum, unius ſcilicet quando eſt liber, & alterius quando eſt impeditus. Dixi *aliam Diem ſtatuere*, quia ſunt verba Decreti à pluribus relati, ut patet ex mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 37. dum ergo Decretum dicit *aliam*, non poteſt Conſecrator facere plurale quod eſt ſingulare. Nec facit actum invalidum pro anno impedimenti, quia in tali caſu remittit Rubricis Rreviarii Feſtum transferendum: alioquin eſſet actus invalidus, quando Anniverſarium Dedicationis alicui Dominicæ Menſis affixum, impeditur à Dominica Paſchatis vel Pentecoſtes: & ſic in tali caſu celebrandum eſſet in prima Dominica poſt Dominicam in Albis vel SS. Trinitatis: igitur in hujuſmodi caſibus habentur Rubricæ, audiantur illæ. Sequitur ex dictis, quòd neque ego poſſum vocare translationem, ſed occurrentiam alterius Diei, ſi celebretur Dedicatio in proxima Dominica poſt Octavam Epiphaniæ, ſed ſemper manet viva ratio deficientis facultatis in Conſecratore: Unde cùm ab initio non ſit pro tali anno ita proviſum, corruit ratio initii, & ideo labefactatur laudata Praxis Œnipontana fundata ſuper hujuſmodi initium, quòd accipitur à Conſecratore extra limites ſuæ facultatis in actu Conſecrationis ſibi conceſſæ; ex quo intrat illud communiter receptum axioma: *quod ab initio non ſubſiſtit, non firmatur tractu temporis*.

Ipſe tamen Halden *dict. par.* 2. *tit.* 1. *ſub numer.* 13. *pag.* 16. ſubjungit, quòd tandem præfatum Collegium Œnipontanum ſupplicavit Sacræ Ri- 274

tuum Congregationi pro aſſignatione alterius Diei, quam etiam conſecutum fuiſſe aſſerit pro Dominica illa, quæ vicinior cadit Feſto Viſitationis Beatæ MARIÆ Virginis; unde Collegium illud à veteri jure ſuppoſito in Conſecratore, benè receſſit per novum jus legitimè quæſitum, & ſibi ex gratia conceſſum, ex quo omnes tolluntur difficultates. In hujuſmodi igitur caſibus, vel transferendum juxta Rubricas Feſtum Dedicationis: vel non interpretanda mens Conſecratoris, ſed requirenda eſt mens Summi Pontificis, ut ipſe declaret an rectè id fiat, cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere: vel petenda à Sancta Sede aſſignatio alterius Diei nullum in poſterum impedimentum invenientis. Verum quidem eſt, quod Eccleſiarum Conſecratores deberent maturè conſiderare Diem aſſignandum, ut ſemper integram habeat Dedicatio ſuam Octavam.

Expletis, quæ dici poterant de Feſto Epiphaniæ, 275 deque tota ejus Octava: ut memoriæ faciliùs tradantur diffuſiùs extenſa Privilegia, reſtrictum Privilegiorum corollarium huic Octavæ conceſſorum cenſemus hoc loco adnectere: nam ſicut peroratio in Sacris Sermonibus per compendioſam rerum dictarum enarrationem, fructuoſam reddit integram orationem audienti: ſic epitome in Sacris Ritibus proficuam facit legenti totam hujuſce Octavæ deſcriptionem. Hæc igitur Octava eſt privilegiata, quia in Feſto non admittit Miſſam cantatam de Solemnitate cujuſvis ritus occurrente, & transferenda, neque ratione Concurſus: quia in ipſo Feſto nullas recipit Votivas ſolemnes, neque pro Defunctis in Die Obitus: quia admiſſis infra Octavam duplicibus primæ claſſis occurrentibus, excludit ejuſdem ritus translata: quia in duplicibus primæ claſſis occurrentibus ſuam numquam deperdit commemorationem in utriſque Veſperis, in Laudibus, & in Miſſa: quia acceptata Simplicis commemoratione, non introducit ejus nonam Lectionem: quia rejicit Votivas privatas, & de *Requiem*, ac ſolemnes in Anniverſariis Defunctorum: quia non admittit in Feria ſecunda Feſtum ſemiduplex, quod occurrebat

in

in Dominica infra Octavam: quia Dominicæ infra Octavam nihil tribuit de Pſalterio, ſed totum concedit de Feſto, præter propria: quia in Miſſis Votivis ſolemnibus alicubi occurrentibus, conceſſa Pæfatione propria ſi habeant, requirit in eis ſuum *Communicantes* proprium: quia eadem numero Miſſa ſemper dicitur in Diebus infra Octavam: quia denique in Diem Octavam non introducitur Feſtum primæ claſſis occurrens.

Et hæc ſufficienter cenſemus dicta de Octava privilegiata Epiphaniæ, quam ſicuti ea, qua ſcivimus, cognitione explicavimus, non quidem delectatione ſcribendi, ſed deſiderio juvandi: ſic ſinat Deus Cordium ſcrutator, ut recta intentio ſuum finem conſequatur, ut qui primus fuit in intentione, ſuum habeat modò locum in executione, juvando. 276

DE OCTAVA PRIVILEGIATA PASCHÆ DOMINI.

CAPUT III.

Tertia ex Octavis Privilegiatis, quæ in Ec- 277
cleſia Univerſali celebrantur, eſt illa Paſchæ Domini, quæ ſemper occurrit in Vere, in quo reflorent omnia: Et ſicuti reviviſcunt tunc temporis Flores, ſic repræſentant Reſurrectionem Jeſu Chriſti, qui *Flos Campi* appellatur & *Lilium Convallium*: Unde Iſaias cap. 11. dicit: *Et Flos de radice ejus aſcendet*: quæ verba exponens Divus Hieronymus *lib. 4. in d. cap.* 11. per *Florem* intelligit Dominum Salvatorem, qui *Nazaræus* vocatur, id eſt, *Floridus*. Propterea Paſcha, & nobilitas Anni, & Menſis decus, & alma Dierum, & ſplendor Horarum nuncupatur à Ruperto Abbate *de Divin. Offic. lib.* 6. *cap.* 26. *pag. mihi* 376. quia Chriſtus per ſuam Reſurrectionem decoravit Annum, Menſem, Diem, & Horas: Et tunc reverà *Flores apparuerunt in Terra noſtra*, ſcilicet multi Sancti, qui exeuntes de Monumentis poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis: unde dicitur: *Sancti tui, Domine, florebunt ſicut Lilium*. Jure merito igitur invitamur ad lætitiam, quia hæc eſt Dies, quam fecit Dominus, Lux Gratiæ, Splendor Gloriæ, Fluvius Deliciarum, Inundatio Pacis, Laus Conſilii Divini, ut proſequitur Rupertus *loco ſuperiùs citato*. Gaudeamus ergo, quia qui jacuit in morte, ſurrexit in gloria. Benè Evangeliſta ait, quòd piæ Mulieres venerunt ad Monumentum, *orto jam Sole*, quia jam ſurrexerat Sol Juſtitiæ,

Chri-

Chriſtus Deus noſter: unde audire meruerunt: *Surrexit: non eſt hic*. Angelus autem præcepit, ut ipſæ Mulieres notam facerent Diſcipulis Reſurrectionem, quia ſicuti per Mulierem Evam mors nunciata eſt, ſic & per Mulierem vita reſurgens, *nam mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit*. Nominatur verò ab Angelo ſpecialiter Petrus: *Dicite Diſcipulis ejus, & Petro*: ut quem Fæmina fecit negare, Fæmina quoque faceret confiteri. Prima tamen Chriſti manifeſtatio facta fuit Mariæ Magdalenæ, quia ſollicita in perquiſitione, ſolata fuit in perſeverantia: quare ei rectè convenit illud Canticorum: *Quæſivi, & inveni quem diligit Anima mea*: Et ideo S. Gregorius *Homil.* 25. *in Evang. Perſeveravit*, inquit, *ut quæreret: unde & contigit, ut inveniret*. Ut ergo in nobis reſurgat Chriſtus, debemus quærere Chriſtum.

Dies ſanctus Paſchæ, eſt Feſtum Feſtorum maximum: & in Sacramentario Gregoriano appellatur *Dominica Sancta*: Ab Andrea verò Piſcara Caſtaldo *in Prax. Caremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 1. *ſub num.* 1. *pag.* 429. dicitur Paſcha *Solemnitas Solemnitatum*, ſed hanc denominationem deſumpſit forſan à Sancto Gregorio Nazianzeno *orat. de Paſch.* à quo ibidem vocatur etiam *Feſtivitas Feſtivitatum*. A Sancto Gregorio Magno vocatur: *Celebritas cæterarum princeps*, ut habet Thomaſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib.* 2. *cap.* 15. *ſub num.* 12. Longiori tamen elogio utitur Halden noviſſimus Sacrorum Rituum Scriptor *in ſuo Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 21. *pag.* 119. ubi ſic incipit: *Feſtorum, quæ ab Eccleſia Catholico-Romana per Anni decurſum celebrantur, omnium ſolemniſſimum eſt Feſtum Paſcha*. Eſt igitur Dies Domini magnus, quem fecit Chriſtus, inſignem per ſuam Reſurrectionem. Romæ primùm inſtitutum fuit in Die Dominico Feſtum hocce Paſchæ: quod ſubinde poſt multas antiquas quæſtiones ſuper Diei aſſignatione, ſtatutum eſt denique, ut Romanus uſus ubique ſervaretur. At quia adhuc in quæſtionem venit, quænam deberet eſſe Dominica, decretum fuit, ut eſſet Dominica poſt quartamdecimam diem

Lunæ primi Menſis, nempè Martii, quæ Vernum Æquinoctium ſubſequitur vel in ipſum incidit, eo quòd Jeſus Chriſtus reſurrexit eà Dominica, quæ magis Judæorum Paſchæ proxima erat: cum quibus noluit Eccleſia Chriſtianos convenire: Judæi enim Paſcha celebrabant, non poſt decimam quartam ut nos, ſed in ipſa decimaquarta die: ex quo ſequitur, quòd ſi decimaquarta die occurrat Dominica, nos transferimus Paſcha ad Dominicam immediatè ſequentem. Cùm autem Æquinoctium Vernum juxta Eccleſiæ aſſignationem ſemper incidat in diem vigeſimamprimam Martii: unde carmen illud: *Æquales noctes tribuit Benedictus in Orbe*, vel etiam *Noctes atque Dies æquat Benedictus in Orbe*: hinc fit, quòd Paſcha non poteſt celebrari ante diem vigeſimam ſecundam ejuſdem Martii. Curautem hoc Æquinoctium, Concilii Nicæni Decreto affixum dicto diei vigeſimæ primæ pro radice Paſchæ omniumque Feſtorum mobilium, tardiùs adhibeat Eccleſia, hoc præſertim factum, ad evitanda Aſtronomorum litigia in ſcrupuloſa ſupputatione, aliiſque de cauſis, quæ videri poſſunt apud Clavium *in Calendar. Gregor. cap.* 5. Quia tamen non omnes ſciebant hanc Dominicam invenire, rogatus fuit Papa, ut quotannis per litteras dignaretur docere de vera Dominica, ut uniformitas eſſet per Orbem in celebratione talis Diei. Aſſenſum benignè præbuit Summus Pontifex, ſed tandem ſtabilitum fuit, ut in Feſto Epiphaniæ Populis annunciaretur: qui mos ad nos uſque pervenit, ut ſupra diximus, cùm de Epiphania locuti ſumus.

§. I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum Sanctum.

PAſcha ex inſtitutione Apoſtolorum cum tota Octava ſuam recognoſcit originem, ut ex Baronio *in Annalib. ad Annum* 58. *ſub num.* 82. ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 2. Hebdomada autem iſta in Sacramentario Gelaſiano dicitur *Hebdomada Alba*, quia ejus Feriæ omnes nuncupabantur *in Albis*, propterea quòd Baptizati per hoſce octo dies veſtem albam deferebant, inquit Grancolas *in Commentar. ad Breviarium Roman. lib.* 2. *cap.* 73. *pag.* 337. Quia tamen hæc Octava initium ſumit à Sabbato Sancto, quod propterea vocabatur *Sabbatum Paſcha*, ut infra dicemus: ideo de iſto debemus primo loco diſſerere. Cùm enim Officia hujus Sabbati antiquitùs celebrarentur de nocte, erat idcirco hora illa Reſurrectioni Chriſti vicina: hæc autem vicinitas ab Eccleſia repræſentatur per illa verba à Diacono arundinem deferente prolata, ſcilicet: *Lumen Chriſti*: quæ verba ter repetuntur juxta numerum trium candelarum ex novo benedicto igne accenſarum: nam illæ tres Candelæ, cùm debeant in calce unum quid eſſe, & deinde in tres diſtingui, deſignant myſterium Unitatis & Trinitatis Dei: & dicitur ter *Lumen Chriſti*, quia Chriſtus in Trinitate eſt Deus. 279

Hic autem ritus benedicendi hodie novum ignem ex lapide excuſſum, inſtitutus fuit à S. Zacharia Papa, qui creatus fuit anno 741. die 1. Decembris, & obiit anno 752. 15. Martii, ex quo patet antiquitas hujus Benedictionis. Inſtituit tamen propter inſigne Miraculum olim à Deo patrari ſolitum in Civitate Sancta Jeruſalem: Siquidem congregatis Fidelibus in Eccleſia, deſcendebat ignis de Cœlo, omni- 280

omnibus videntibus & admirantibus, & ex eodem igne lampades jam extinctæ, incipiente Officio Reſurrectionis, miraculoſè accendebantur, ut refert Quartus *tract. 2. de Benedict. tit. 2. ſect. 4. prælud. 1. pag. 113. juxta editionem Venetam de Anno* 1727. ubi etiam ait, quòd cauſa finalis eſt repræſentatio Myſterii Reſurrectionis Chriſti, & excitatio Fidelium ad actus charitatis, & amoris Dei per ignem ſignificati, quem ipſe Chriſtus lapis angularis venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. De hoc novo igne loquitur Leo Papa Quartus, qui creatus eſt anno 847. die 12. Aprilis, & obiit anno 855. die 17. Julii, ſic enim habet *homil. de aur. Paſtor.* ubi etiam Sabbatum Sanctum vocat *Sabbatum Paſchæ*, de quo ſupra diximus: *In Sabbato Paſchæ*, inquit, *extincto veteri, novus ignis benedicatur*, ex Grancolas, *lib. 2. cap. 65. circa finem*. Excutitur autem ignis de lapide, nempè de Chriſto, quia Chriſtus lapis eſt in caput anguli, Petra autem erat Chriſtus. Hæc autem benedictio & accenſio ignis fit foris ante portam Eccleſiæ, quia extra portam paſſus eſt Chriſtus: *Lumen* autem *Chriſti*, dicitur intra Eccleſiam, quia reſurgente Chriſto, lætatur Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgoribus.

Ex dicta luminis Chriſti vicinitate intramus in illam perfectam lucem, quæ Chriſtus eſt: ait enim de ſe: *Ego ſum Lux Mundi*: unde hodie canit lætanter Eccleſia: *Gaudeat & Tellus, æterni Regis ſplendore illuſtrata*. Benedicitur Cereus, qui idcircò Paſcalis vocatur; & priùs extinctus denotat Chriſtum mortuum, poſtmodum verò accenſus ſignificat Chriſtum à mortuis reſurgentem, & quidem cum quinque Plagis per quinque grana Incenſi in dicto Cereo infixa ſignificantis, quas ipſe Chriſtus jam ſuſcitatus Diſcipulis oſtendit & Thomæ. Et ideo ab hoc Sabbato Sancto accenditur Cereus iſte Paſchalis uſque ad Evangelium in Feſto Aſcenſionis, quia reverà tanto tempore Chriſtus *præbuit ſeipſum vivum poſt Paſſionem ſuam*, *Act.* 1. De hujus autem Cerei Paſchalis inſtitutione variæ ſunt ſcriptorum opiniones: 281

nes : alii enim Zoſimum Papam , alii verò Theodorum Primum , alii etiam Gregorium Magnum faciunt Auctorem : ſed dum non conſtat de vera ejus origine , dicendum tamen eſt, hunc ritum benedicendi hujuſmodi Cereum eſſe antiquiſſimum in Eccleſia . Antiquitùs autem unà cum Cereo benedicebatur lampas , qua Cereus ipſe accendebatur , & utramque fieri benedictionem in honorem Dominicæ Reſurrectionis, conſtat ex Concilio Toletano Quarto , canone nono , ibi: *Lucerna , & Cereus in Pervigiliis Paſcha apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur : & cur à nobis benedicantur , inquirunt : Propter glorioſum noctis ipſius ſacramentum ſolemniter hæc benedicimus, ut ſacra Reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſancti luminis ſuſcipiamus . Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum , regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur , dignum eſt, ut propter unitatem pacis , in Gallicanis Eccleſiis conſervetur* , ut refert Grancolas *dicto libro* 2. *cap.* 66. *pag.* 317.

Quia verò, ut ſupra diximus, Cereus iſte Paſcha- 282
lis ſignificat Chriſtum , in quibuſdam Eccleſiis eſt triginta trium librarum pondo, in honorem triginta trium annorum Domini Noſtri. Olim autem ardebat tota nocte, ut clarè patet ex illis verbis hujus Præconii : *Flammas ejus lucifer matutinus inveniat :* quod adhuc eſt in viridi obſervantia apud utramque Eccleſiam Turonenſem , tum Metropolitanam , tum Collegiatam S. Martini , in quibus à prima ſui accenſione in Sabbato Sancto facta , non extinguitur Cereus ille uſque ad Veſperam diei Paſchæ, ſed reliquo die Sabbati , totaque nocte , ac die ſequenti perpetuò ardet , prout refert , & laudabilem valdè illarum Eccleſiarum conſuetudinem approbat Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 30. *pag.* 294. *juxta editionem Venetam de Anno* 1729. *poſt illam Pariſienſem de Anno* 1657. Cauſa autem finalis hujus Benedictionis eſt repræſentatio Reſurrectionis Chriſti, & excitatio Fidelium ad gratiarum actionem , & exultationem de beneficiis innumeris nobis à Deo collatis per Myſterium Redemptionis,

&

& Reſurrectionis Chriſti Domini, inquit Quartus *tract. 2. de Benedict. titul. 2. ſect. 6. prælud. 1. pag. 119. ex Veneta editione de Anno 1727. poſt primam Romanam*. Cereus iſte ab origine ſua, Columna erat cerea; & ſicuti Chriſtum repræſentat, ſic in ea ſtylo quodam imprimebatur Annus currens ab ejus Incarnatione: Alii verò appendebant ad eum Tabellam cum duabus hiſce Literis majuſculis B. A. hoc eſt, *Breve Anni*, quia in Tabella erat breviter deſcriptus ordo Officii totius Anni uſque ad futurum Paſcha, cujus loco poſt inventionem Typographiæ factus eſt Libellus Diœceſanus adhuc abbreviatus, ceu Directorium divinorum Officiorum.

Diaconus, qui Dalmatica indutus albi coloris ter annunciavit Fidelibus *Lumen Chriſti*, debet etiam ex Pulpito, incenſato priùs Libro, cantare elegans hujuſce Cerei benedicendi præconium ſcilicet *Exultet, &c.* cujus precationis Auctorem facit S. Ambroſium Honorius *in Gemma Animæ, lib. 3. capitul. 102*, ſed excepto prœmio, Benedictio noſtra diſcordat ab Ambroſiana, ut ex illius Eccleſiæ Miſſali teſtatur Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 10. ſub numer. 7.* In Miſſali verò Gothico Gallicano inſcripta eſt hoc titulo: *Benedictio Cerei B. Auguſtini, quam, cùm adhuc Diaconus eſſet, edidit & cecinit*: Attamen Auctor fortaſſe judicatus eſt S. Auguſtinus ex quodam textu, ubi *de Civit. lib. 15. cap. 22.* ſic reverà habet expreſſè: *In laude quadam Cerei breviter verſibus dixi, &c.* verùm cùm iſti verſus in precatione non reperiantur, nullo modo Auctorem fuiſſe illum cenſet Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 66. pag. 319.* ſed hæc eſt probatio Antiquitatis, quæ neſcit invenire rerum Auctores: Dicta autem verba Miſſalis Gothici à Grancolas citati, reperiri in ſexto Tomo Bibliothecæ Patrum, ubi totum vetuſtiſſimum illud Miſſale, notat Dominicus Macrius *in Hierolexic. verb. Cereus Paſchalis.* 283

Quartus tamen *tract. 2. de Benedict. tit. 2. ſect. 6. dubitat. 1. pag. 120.* quærit, an hujus Cerei Benedictio convenienter fiat à Diacono? Cui dubitatio- 284

ni

ni reſpondet, nullam aliam Benedictionem, hac ſola excepta, fieri poſſe a Miniſtris Sacerdote inferioribus: Hæc autem Cerei Benedictio ex ordinatione Eccleſiæ convenienter Diacono committitur, quamvis de mandato Sacerdotis, ut tamquam organum ejuſdem Sacerdotis ibi præſentis ſeu celebrantis hoc munus exerceat: unde priùs in hunc finem ipſe Diaconus petit à Celebrante benedictionem: Ratio autem myſtica eſt, quia Chriſtus poſt Reſurrectionem commiſit Apoſtolis prædicationem Evangelii, & præſertim myſterii ſuæ Reſurrectionis: Diaconi autem, quibus ex munere competit legere Evangelium, Prædicatores Evangelii deſignantur: Hinc Celebrans, qui Chriſtum repræſentat, committit Diacono ut cantet præconium, & gloriam Reſurrectionis Chriſti annunciet Populo. Sed antiquior Quarto hanc eamdem movit dubitationem Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 6. cap. 30. pag. mihi* 389. ubi diverſam affert rationem: tantæ enim (inquit) dignitatis Benedictionem ſuper Cereum pronunciat Diaconus, præſente Sacerdote, vel etiam Pontifice, quia conſtat, bonum ſanctæ Reſurrectionis nuncium per minorem ſexum, id eſt, per Mulieres, ſanctis Apoſtolis evangelizatum eſſe. Hoc autem tam rationabili Divinitatis diſpoſitione actum eſt, ut inter illa, quæ ſignificativè fiunt ab Eccleſia, memoriale ſuum omninò jure habere debeat: Rectè itaque gradus inferioris Miniſter, tam pulchra tamque mellifluа Cerei Benedictione, tantæ Solemnitatis noſtræ gaudium inchoat: Et ferè idipſum dicit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap.* 80. *ſub num.* 3. *pag.* 232. *à tergo.*

Cùm autem Diaconus dixerit illa verba præco- 285
nii: *Rutilans ignis accendit*, Cereum ex arundine, ſeu etiam candelula ſibi ab Acolytho porrecta accendit, ait Piſcara *in Prax. Ceremon. l.* 3. *ſect.* 8. *c.* 3. *ſub numer.* 5. ſed hunc uſum candelulæ improbat data ratione Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub num.* 10. Et reverà Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 10. *pag.* 377. expreſsè loquitur de accenſione Cerei cum una ex Candelis arundinis: ibi

enim

enim ſic habet: *Diaconus ſuo tempore illuminat Cereum cum una ex tribus candelis in arundine poſitis, prout in Miſſali*: Cui Cæremoniali ritè & rectè adhæret, iiſdemque utitur verbis Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremon. par. 4. cap. 11. artic. 3. ſub nu. 8.* ergo non cum candelula accendendus eſt: ergo quoad hoc non attendendus Piſcara. Quia verò ipſe Diaconus debet in eodem Præconio nominare expreſsè Summum Pontificem, & Antiſtitem Loci, àc Imperatorem; ne cantando deperdat nominum memoriam, benè faciet, ſi illa habeat optimè ſcripta in ſuo reſpectivè caſu ablativo vel accuſativo, ut cùm pervenerit ad proprium eorum locum, promptus ſit ad expreſſionem: Audivi enim quemdam Diaconum, qui bis & ter pronunciato *& Antiſtite noſtro*, numquam potuit proferre nomen ſuimet Epiſcopi: cui tandem unus de Choro acceſſit, & ejus memoriæ illud reddidit. Quòd ſi Sedes Apoſtolica, vel Epiſcopalis vacaverit, ommittet Diaconus illa verba *unà cum Beatiſſimo Papa Noſtro*, vel reſpectivè *Antiſtite Noſtro*, ut benè admonet Gavantus *loco citato*, *ſub numer. 12.* & etiam ſuggerit Bauldyrus, *ut ſupra*, *ſub numer. 9.*

Si tamen Imperator non fuerit coronatus, Diaconus non legat tunc poſtillam Miſſalis, ſed ea ante perlectà, promptus ſuo loco cantet: *Reſpice etiam ad devotiſſimum electum Imperatorem Noſtrum*, expreſſo nomine. At quid dicendum, ſi Sedes Imperialis vacaverit? Eruntne omittenda verba illa? Dominicus Macrius *in Hierolexic. verb. Cereus Paſchalis, circa finem*, ait, quòd ſedente Leone Decimo, anno 1519. diſputatum fuerat, quomodo deberet cani ſolita Imperatoris acclamatio in dicto Præconio annotata, cùm Cæſar vita functus erat: Aliqui relinquendam exiſtimaverunt: ſed poſt maturam diſcuſſionem refert Paris de Graſſis Cæremoniarum Director, hoc conſilium præbuiſſe, ut nempè mutarentur illa verba ſic: *Reſpice etiam ad Romanum Imperiùm, cujus tu Deus Fidelium vota pranoſcens, &c.* quæ opinio à præfato Pontifice approbata fuerat: Ac in ſimili caſu de anno 1658. cùm incidiſſemus, 286

dubi-

dubitantibus de omiſſione hujus Orationis Cæremoniarum Magiſtris, reſolutionem prædictam præbui, quam ex Manuſcriptis Angeli Rocca in Bibliotheca Angelica aſſervatis deſumpſeram, & ab Alexandro Septimo tunc regnante, approbata, & à Sacra Rituum Congregatione obſervari mandatum fuit: *Hucuſque Macrius*. Et reverà, die duodecima Januarii 1519. ſub Leone Decimo obiit Maximilianus, cui Carolus Quintus Hiſpaniarum Rex die ſuæ electionis 18. Junii ejuſdem Anni 1519. immediatè ſucceſſit: Die verò 2. Aprilis 1657. ſub Alexandro Septimo obiit Ferdinandus Tertius, & ei Leopoldus Ignatius die ſuæ electionis 18. Julii 1658. fuit immediatus ſucceſſor: ex quibus clarè patet, dictis duobus annis in utroque caſu Sedem Imperialem vacaſſe in Sabbato Sancto.

Epiſcopus tamen in dicto Præconio à Diacono 287
nominandus, debet eſſe verus Epiſcopus Diœceſanus, non verò Epiſcopus alterius Diœceſis, deputatus Adminiſtrator Eccleſiæ vacantis, licèt cum ampliſſimis facultatibus: nam ſicuti ejus Nomen non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes, ut reſpondit *Sacra Rituum Congregatio in Sarſinaten. Functionum Epiſcopalium ſub die 22. Auguſti* 1722. *ad quintum Dubium*, apud Urſayam in hac Cauſa Scriptorem *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.* 5. *par.* 1. *diſceptat.* 2. *ſub num.* 1. *in argumento*, *&* *ſub nu.* 65. *in reſolutione*: ita non erit per Diaconum hodie nominandus in dicto loco Præconii, ſed juxta Gavantum, omittenda illa verba: *& Antiſtite Noſtro*. Sed neque Vicarius Apoſtolicus Roma miſſus, nominandus eſt, cùm non ſit amotus verus Diœceſanus, nec ipſe dicatur electus in Epiſcopum illius Diœceſis, ſed tantùm vocetur Diœceſis Director cum certis facultatum conceſſionibus limitativè ei factis: ad hoc enim, ut verè dici poſſit: *& Antiſtite Noſtro*, debet eſſe verus Loci Epiſcopus. Quoad verò Nomina in Præconio à Diacono exprimenda, Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 12. ait, quòd excepto Papa, Epiſcopo, & Imperatore, nemo alius nominari debet, inconſulta Sede Apoſtolica.

lica. Juxta morem Regionum, Bauldryus Gallus aſſerit *in Man. Satrar. Caremoniar. par. 4. cap. 11. artic. 3. ſub num. 9. pag. 258.* quòd in Gallia eſt conſuetudo, ut nominetur Rex Chriſtianiſſimus N. Et Venetiis poſt Imperatorem ſtatim ſubjungitur; *& ad Sereniſſimum Principem Noſtrum N. N. quorum tu Deus, &c.* ut in annuo Divinorum Officiorum Directorio ſic hodie adnotatur.

Circa accenſionem hujus Cerei Paſchalis, Sacra Rituum Congregatio ſub die 19. Maji 1607. cenſuit, regulariter accendi debere ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis uſque ad Aſcenſionem: in aliis ſervandam eſſe conſuetudinem locorum: Quod quidem Decretum omnes referunt Sacrorum Rituum Scriptores, quorum catervam citavi in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin. 277. pag. 84. juxta editionem paternam de Anno* 1730. & ex me tradit La Croix *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 6. par. 2. tract. 4. ſub numer.* 2055. *Decreto* 120. Piſcara verò Caſtaldus ſequentem præſcribit ritum accendendi hunc Cereum: nam *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 8. cap. 8. ſub num. 3. pag.* 428. ait, quòd accenditur in ipſo die Sabbati Sancti ad proprium locum à principio Benedictionis uſque ad finem Miſſæ, ac pariter ad Completorium: In Die ſancto Paſchæ ad totum Matutinum ſolemne, ac Laudes, item in Miſſa, ad Veſperas, & Completorium: Duobus verò ſequentibus Diebus, & Diebus Dominicis, ad Laudes, Miſſam ſolemnem, & Veſperas: In Diebus Feſtis, ſive Domini, ſive Sanctorum, per id tempus occurrentibus: Non tamen in luctuoſis, quando violacea adhibentur paramenta, ut in Rogationibus: Nec cùm pro Defunctis celebratur: Tandem in Die Aſcenſionis accenditur ad primas Veſperas, ad Laudes, & ad Miſſam uſque ad Evangelium, quo dicto, ſtatim extinguitur: nec ampliùs accenditur uſque ad Sabbatum Pentecoſtes in Benedictione Fontis, & poſt Miſſam amovetur. *Hactenus Piſcara*, cujus ordinem accenſionis approbat & commendat Quartus *tit. 2. de Benedict.* 288

nedict. ſect. 6. *dubitat.* 3. *pag.* 121. Ritum autem ferè totum præfatum habet etiam Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 30. *pag.* 294. *juxta editionem Venetam poſt Pariſienſem*: ibi tamen addit, quòd ubi ſervatur conſuetudo procedendi ad Fontes in Veſperis Hebdomadæ Paſchalis, geſtari debet Cereus accenſus: quam quidem conſuetudinem habet Venetiis Baſilica Ducalis S. Marci. Illud denique reſtat dicendum, quòd ſi dicatur Miſſa Parochialis ſeu Conventualis non ſolemnis, ad eam item Die Dominico accendi poteſt, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 48. quem omnes ſequuntur.

Quæri tamen hoc loco poteſt, an Cereus ſemel benedictus in Sabbato Sancto hujus Anni, addita ſolùm de novo parte abſumpta, poſſit ſic refectus licitè iterùm benedici Anno ſequenti? Quartus *tit.* 2. *de Benedict. ſect.* 6. *dubitat.* 2. *pag.* 120. *juxta editionem Venetam de Anno* 1727. ſic reſpondet: Si Cereus Anni præteriti conſumptus fuerit quoad majorem partem, ita ut pars illa, quæ de novo additur, ſuperet aliam partem, quæ remanſerat, ſeu cui fit additio: tunc poteſt licitè Cereus ſic refectus, & renovatus iterùm benedici Anno ſequenti: quia per additionem majoris partis perditur prior Benedictio, cùm major pars non benedicta trahat ad ſe minorem: atque adeo non benedicitur in hoc caſu Cereus benedictus, ſed Cereus carens Benedictione, & abſolutè Cereus novus, qualis benedici debet ex vi Rubricarum Miſſalis, & ex vi Formæ Benedictionis, ſeu Præconii, quæ ſupponit Cereum debere eſſe novum, & aliàs non benedictum. Quod ſi Cereus Anni præteriti ſolùm reficiatur quoad minorem partem, non poteſt licitè iterùm benedici Anno ſequenti, & abſque peccato veniali: quia fruſtraretur ſuo effectu ſecunda Benedictio contra reverentiam ei debitam. 289

At ubi erit Cereus iſte Paſchalis firmiter collocandis pro toto tempore, quo debet manere in Eccleſia, diebus aſſignatis accendendus? Dicendum conſtanter eſt, quòd cùm ex ſæpè dictis ſignificet 290

Chriſtum, ponendus eſt à cornu Evangelii: & quidem ſuper Candelabrum magnum benè conſtructum, ſaltem in Eccleſiis majoribus, in quibus omnia ſunt cúm majeſtate paranda: nam in Pagis & Villis toleranda eſt Eccleſiarum paupertas; propter quam ponitur ille à cornu quidem Evangelii, ſed ſine aliquo Candelabro; &, ut vidi, lacero firmatus cingulo, ſuper miſeram tabellam vetuſto tapete coopertam. Certè illud mihi ſemper placuit excelſum Candelabrum, quod habetur Patavii in celebri Eccleſia Conventuali S. Antonii; ex ænea materia perpulchrè efformatum, figuris hinc inde optimè diſpoſitis, & miro ingenio à perito Artifice inventis & elaboratis. Magnum Conſtantinum ingentes Cerei columnas, ut in Paſchæ nocte arderent, fabricari juſſiſſe, in ejus vita Euſebius ſcribit, ut ex eo refert Dominicus Macrius *in Hierolexic. verb. Cereus Paſchalis*: attamen cùm nihil dicat de Candelabris, probabile eſt, quòd poſita fuerint ſuper pavimentum, ut patet ex eorum magnitudine in figura columnarum: nec mirum, quòd tunc temporis dictam figuram haberet Cereus Paſchalis, nam ab origine ſua Columnam fuiſſe ceream aſſerit Grancolas ſupra citatus, *lib.* 2. *cap.* 66. *pag.* 318. de cujus columnæ ſignificatione plura tradunt Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 6. *cap.* 29. *pag. mihi* 383. & Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 80. *ſub numer.* 4. 5. *&* 6. Et de facto adhuc retinentur in Præconio verba illa: *Sed jam Columna hujus præconia novimus*.

§. II.

§. II.

De Prophetiis, & Fontis Benedictione, ac Litaniis in Sabbato Sancto.

COmpleta Benedictione Cerei, Diaconus, depoſitis albis, ſumit violacea paramenta, & vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali, & ſumit Manipulum, & Caſulam violacei coloris. Poſtea leguntur Prophetiæ ſine titulo, & Celebrans legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ. Ante, vel interim dum Prophetiæ leguntur, Præsbyteri catechizent Catechumenos baptizandos, & præparent ad Baptiſmum: *Ita Rubrica Miſſalis*. Hæ autem Lectiones, ſeu Prophetiæ, nos docent gloriam Dei, & inſtruunt de beneficiis ejus ac potentia, & ſpecialiter de Baptiſmo, qui eſt clavis ad Cœlum, primuſque ac magis neceſſarius inter Sacramenta. Sunt autem numero duodecim, quia deſignant duodecim Apoſtolos poſt Reſurrectionem Chriſti eamdem doctrinam prædicantes, ut ait Tobias Lonher *in Inſtruct. pract. de SS. Miſſæ Sacrific. par.* 4. *tit.* 15. *ſub num. VII. litt. i. pag.* 186. *juxta edit. Venet. de Anno* 1734. Ad hunc igitur effectum locatur in medio Chori vel Presbyterii pulpitum ſive legile nudum, ut præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 13. *pag. mihi* 379. ubi ſcilicet ab omnibus audiri queat Lector, ſubdit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 13. *litt. u.* ubi etiam addit *ſub numer.* 19. quòd ordo ſervandus in legendis hiſce Prophetiis, hic eſt, ut primas legant minores, poſtremas verò majores, niſi aliud neceſſitas ſuadeat: ideòque ubi pauciores ſunt in Choro, poteſt quidem unus plures cantare, non tamen ſucceſſivè, ſed cum interruptione aliquarum: 291

& ii ita ad id eligantur, ut qui fortiori voce pollent, longiores ipſi decantent, ut benè ſuggerit Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par. 4. cap. 11. artic. 3. ſub num. 18. pag.* 258. Debent autem cantari voce ſonora & intelligibili, non tamen moroſè, ſed expeditè, inquit Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 8. cap. 3. ſub num. 8. pag.* 420. & ex eo etiam Hippolytus à Portu *de cultu Dei, & Homin. par. 3. art. 3. rubric. 8. ſub num. 6. pag.* 317. Euntes autem ad Legile, vadant manibus junctis: cantantes verò, teneant manus hinc inde extenſas.

Dum Celebrans cantat Orationes poſt Prophetias, Miniſtri ſtant unus poſt alium: quando verò ante Orationes profert *Oremus*, Diaconus dicens *Flectamus genua*, primus omnium genuflectit: Subdiaconus autem ſubdens *Levate*, primus omnium ſurgit: & eodem modo alii omnes genuflectunt & ſurgunt, excepto Celebrante, qui numquam genuflectit, ſed dicto *Oremus*, & expectato à Subdiacono *Levate*, cantat immediatè Orationem, & ſic poſt quamlibet Prophetiam: excepta ultima Oratione, nam ante illam non dicitur *Flectamus*, neque conſequenter *Levate*, quia illi tres Pueri, de quibus in ultima Prophetia, noluerunt genua flectere Statuæ Nabuchodonoſoris: quam rationem & quidem optimam tradit Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 10. ſub numer.* 17. & ideo Celebrans ſtatim ac completa eſt illa ultima Prophetia, dicto *Oremus*, incipit illicò Orationem. Cùm autem Celebrans Prophetias legit ad Altare in cornu Epiſtolæ, Miniſtri interim aſſiſtunt, videlicet, Diaconus à dextris Celebrantis, Subdiaconus verò à dextris Diaconi. Si tamen Celebrans, poſtquàm legerit unam, velit ſedere, ſedeat tecto capite cum Miniſtris ſuper nudo ſcamno in latere Epiſtolæ, ad quod capite nudo procedit per breviorem viam, facta priùs inclinatione Cruci cum Miniſtris: & per eamdem viam redit, ne ſit incommodum tam ſæpè per gradus anteriores redire: & tunc nulla ab ipſo & Miniſtris debet fieri genuflexio, cùm non accedant ad medium Altaris; 292

numquam

numquam autem ſedeat ad Altare, quia eſt proprium tantùm Epiſcopi: neque etiam ſedeat poſt lectionem ſeu Prophetiam brevem: Ita Bauldryus *loco proximè citato*, *ſub numer.* 20. Mihi tamen videtur cæremonia proprior, gravior, & oculis adſtantium devotior, ut Celebrans in reditu ad Altare, vadat per longiorem viam; & medius inter Miniſtros, debitas faciat reverentias ante medium Altaris, ut docet Gavantus *ut ſupra*, *numer.* 18. Quòd ſi in hoc Sabbato Sancto Epiſcopus habiturus ſit Ordinationes, officium incipitur à prima Prophetia, & continuatur, prout in Pontificali Romano *par.* 1. *tit.* 2. *de Ordinib. conferen. rubric.* 20.

Expletis Prophetiis cum Subſequentibus Orationibus, ſi Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, Sacerdos benedicturus Fontem, accipit Pluviale violaceum, & præcedente Cruce, cum candelabris, & Cereo benedicto accenſo, deſcendit cum Clero, & Miniſtris paratis ad Fontem; & interim cantatur Tractus: *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, &c.* Hæc eſt Rubrica Miſſalis, ex qua licèt videatur, quòd Cereus Paſchalis accenſus debeat portari in hac Proceſſione poſt Crucem, deferendus tamen eſt ante ipſam Crucem, nam Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 16. *pag.* 380. ſic reverà habet: *Præcedente Cruce, cum Cereo benedicto accenſo, qui portabitur immediatè ante Crucem*. Quoad verò ipſam Fontis Benedictionem, omnia fiant, & diligenter ſerventur, quæ præſcribuntur in Miſſali, cùm Auctores nihil addunt magni momenti. Hæc autem ſacra Fontis Baptiſmalis functio, eſt propria hujus temporis, cùm Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam inſtituens Sacramentum Baptiſmi, tradiderit Apoſtolis formam hiſce præciſis verbis: *Euntes ergo, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et quia præmittit Chriſtus inſtructionem Gentium, ideo inter Prophetiarum decantationem catechizantur priùs Cathecumini, ut ſupra diximus, deinde Baptiſmum ſuſcipiunt. 293

Antiquus eſt ritus benedicendi Fonti Baptiſmalis, 294

ut colligitur ex S. Cypriano *Epiſtola* 70. ait Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Rom. libr.* 2. *cap.* 68. ſed illa Epiſtola non loquitur revera de ritu benedicendi Fontem, ſed de Baptiſmo conferendo, an ſcilicet Hæretici & Schiſmatici, ad Eccleſiam Catholicam, quæ una & vera eſt, venientes, baptizari debeant? Nihilominus, quia Grancolas dicit, colligitur illa Epiſtola 70. Sic in veritate habet: *Oportet priùs mundari, & ſanctificari aquam à Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*. Gavantus tamen *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 20. *lit. a*, notat de Tractu in Proceſſione ad Fontem dicendo, quòd de hoc ritu meminit S. Auguſtinus: & revera *Oper. tom.* 4. *in enarrat. ad Pſalm.* 41. *ſub numer.* 1. ita explicat. *Sicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te, Deus: Et quidem non malè intelligitur vox eſſe eorum, qui cùm ſint Catechumeni, ad gratiam ſancti Lavacri feſtinant: unde & ſolemniter cantatur hic Pſalmus, ut ita deſiderent fontem remiſſionis peccatorum, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: Sit hoc, habentque locum intellectus iſte in Eccleſia & veracem & ſolemnem:* Ubi certè alludit ad Fontem Baptiſmatis in Sabbato Sancto, in quo Cathecumini baptizantur: nam cùm de veſtium albarum depoſitione, quas ab hoc Sabbato uſque ad Octavam Paſchæ deferebant, loquitur, ita *ſerm.* 1. *in Oct. Paſch. qui eſt* 157. *de Temp.* ait: *Hodie Neophytorum habitus commutatur: ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur*: & ut notum faciat, quòd de ſolemni Baptiſmo in Sabbato Sancto diſſerat, ibidem ſubdit, ad Catechumenos converſus: *Vos alloquimur, novella germina ſanctitatis, regenerata ex aqua, & Spiritu Sancto*. Marſilius verò Columna *in Hidragiolog. ſect.* 2. *cap.* 3. *ſub num.* 35. *pag. mihi* 162. *juxta edit. Roman. de Anno* 1586. antiquiorem affert teſtem de hoc Ritu Fontis Baptiſmalis, nempè S. Dionyſium Areopagitam, qui *Eccleſiaſt. Hierarch. capit.* 12. *part.* 2. §. 7. *pag. mihi* 253. *juxta editionem Græco-Latinam Antuerpiæ fa-*

ctam

ctam de Anno 1634. ſic revera habet: *Ipſe autem Sacerdos ad adoptionis Matrem* (id eſt Fontem, ſeu Baptiſterium) *vadit, cujus aquas poſtquàm ſacris invocationibus ſanctificavit, nec non tribus ſacratiſſimi unguenti crucis forma effuſionibus, totidem ſacri unguenti appoſitionibus ſacroſanctum Deo afflatorum Prophetarum Divinæ adſpirationis Hymnum concinendo* (id eſt, Pſalmum 28. Vox Domini ſuper aquas) *conſecravit, adduci virum jubet, ac Sacerdote quopiam è ſcripto cùm ipſum tum ſuſceptorem proclamante, initiandus Sacerdotum manibus in aquam ducitur ad manum Pontificis*. Ex quo Ritum conſecrandi & ſanctificandi Aquam Baptiſmalem, originem ducere ex traditione Apoſtolorum, infert Quartus *tit*. 2. *de Benedict. ſect*. 7. *prælud*. 1. *pag*. 12. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727.

Ut autem ex Ritibus tranſeamus ad juriſdictio- 295
nalia: Hæc Fontis Benedictio fieri non poteſt à Capellanis Confraternitatum, quia ſpectat ad Parochum, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 18. *Maii* 1602. & pluribus rælatis dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub num. margin*. 148. nec pertinet ad Vicarium perpetuum Eccleſiæ Collegiatæ, ſed ad Canonicos, ut dixit *Rota in Melevitana Parochialis* 19. *Februarii* 1680. coram Guaxardo, *deciſ. recent, par*. 18. *tom*. 1. *deciſ*. 400. *ſub num*, 33. & retuli in alia mea Collectione de Vicariis utriuſque Cleri, *ſub num. margin*. 596. Parochi autem Eccleſiarum Filialium tenentur accedere ad Matricem ad hanc Fontis Benedictionem, ut reſpondit *Sacra Concilii Congregatio in Savonen. Jurium Parochialium ſub die* 17. *Novembris* 1691. apud Eminentiſſimum Petram in Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas *tom*. 3. *circa Conſtitut*. 5. *Innoc. IV. ſect. unic. ſub nu*. 19. *pag*. 53. *jux. edit. Roman*. etiam Curati Religionis Hieroſolymitanæ quia tenentur ad omnes Functiones, ad quas cæteri Curati, & conſequenter ad hanc Sabbati Sancti, ut cenſuit *Sacra Epiſcoporum & Regularium Congregatio ſub die* 18. *Aprilis* 1599. & poſtmodùm *ſub die* 20. *Maii* 1646. juxta relatos in mea

Collectione de Regularibus, *tom.* 2. *ſub num. margin.* 1314. Licèt autem hæc Fontis Benedictio non ſit de Juribus mere Parochialibus, fieri tamen debet à Parochis, ut re maturè diſcuſſa, reſpondendum eſſe cenſuit *Sacra Rituum Congregatio in Decreto Urbis & Orbis*, *ad ſextum Dubium*, *ſub die* 10. *Decembris* 1703. approbante Clemente XI. *ſub die* 12. *Januarii* 1704. apud particulare ejuſdem Pontificis Bullarium, *par.* 3. *Conſtitut.* 1. *quæ incipit* Ad debitum, *pag. mihi* 540. *juxta edit. Roman. de Anno* 1723. Sed illud hoc loco notandum eſt, quòd Benedictio Aquæ in Sabbato Sancto, etiam ſine effuſione Olei Sancti fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus Fontem Baptiſmalem: quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiistalem Benedictionem fieri, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Januen. anno* 1697. *ſub die* 13. *Julii*, ita referente P. Merati, *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 516. *pag.* 1407.

Quòd ſi Epiſcopus, finitis Lectionibus, voluerit ipſemet benedicere Fontem, quod valdè convenit, ut ait Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 16. *pag. mihi* 380. depoſità Planeta, & ſumpto Pluviali violaceo, ac Baculo, ibit, præcedente Cruce, cum Cereo benedicto accenſo, qui portabitur immediatè ante Crucem, & Canonicis paratis, ac aliis de Clero, ad illum benedicendum: & alia fiunt, & cantantur, etiam circa Baptiſmum, prout in Miſſali. Si verò non potuerit Epiſcopus id præſtare, deſtinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui Pluviali paratus, comitantibus aliquot Acolythis, & Miniſtris cum Cereo accenſo, & Cruce, ea omnia faciet. Quibus peractis, ſi aderunt Catechumeni, baptizentur more ſolito ab Epiſcopo, aut à digniore ex Capitulo: *Hucuſque dictum Cæremoniale*. Antiquus eſt ritus baptizandi in Paſchate: In pluribus Eccleſiarum Ordinariis commendatur, ut ſerventur Infantes aliqui baptizandi in hoc Sabbato, dum Baptiſmalis Fontis Benedictio peragitur, ut ſcilicet & præſentis Eccleſiæ exprimatur finis, & iſtius cæremoniæ deſignetur antiquitas: Id Romæ ac-

mæ accuratiſſimè fieri cernimus, & aliquis plerumque in tali Sabbato baptizatur, ait Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Rom. libr. 2. capit. 68. pag. 320.*

Baptizandi tamen, ſi adſint, & catechizati ſint (ut ſupra diximus) inter Prophetiarum decantationem, debent aliqua formula vocari vel per 297
Cæremoniarum Magiſtrum, vel per alium ad hoc deſtinatum. Venetiis in Ducali Baſilica S. Marci, in qua fit hæc Fontis Benedictio coram Sereniſſimo Principe, vocantur per Diaconum paratum, qui ſuo tempore converſus ad Populum, ſic ter Italicè dicit clara voce: *E' quì Alcuno, che ſi voglia battezzare? E' quì Alcuno, che voglia battezzarſi? E' quì Alcuno, che voglia eſſer battezzato?* Ut habetur ex Officio Hebdomadæ Sanctæ ad uſum illius Ducalis Baſilicæ impreſſo. Quia verò in ipſo Solis occubitu incipiebat olim Paſchalis Solemnitas, hoc eſt veſpere Sabbati, & ipſa nocte Baptiſma celebrabatur, ut conſtat ex Officio hujus Sabbati, & ex Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi Lilybetani ad S. Leonem Papam: hinc fit, ut juxta vulgarem loquendi modum dicatur Baptiſma in ipſo Sabbato Paſchæ celebrari: & ita loquitur S. Gregorius *lib. 4. Dialogor. cap. 32.* ubi ſic habet: *Quidam Curialis Sacratiſſimo Paſchali Sabbato juvenculam cujuſdam filiam in Baptiſmate ſuſcepit*, ut habet eruditiſſimus Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum dicti S. Gregorii, *nota* 391. *pagina verò mihi* 399. ubi etiam refert ex eàdem Epiſtola ad S. Leonem; quòd olim in Sicilia, in poſſeſſione, quæ Meltinus dicitur, Fons Baptiſterii quotannis in die Paſchæ divinitus implebatur. Cæterùm ille debet hodie ſolemniter baptizare, qui Fontem ſolemniter benedixit: qui autem Fontem benedixit, debet neceſſariò cantare Miſſam ſequentem, ut reſpondit ad hanc rem *Sacra Rituum Congregatio in Brunduſina., ſub die* 12. *Junii* 1627. *ad* 3. *dub.* apud Urſayam dotiſſimum Almæ Urbis Advocatum *Diſceptat. Eccleſiaſticar. to. 2. par. 2. diſceptat. 2. ſub nu.* 87. *&* 92. & egomet retuli in mea Collectione de Canonicis utriuſque

Eccle-

Eccleſiæ, *ſub nu. margin.* 647. *juxta ſecundam editionem Paternam de Anno* 1722.

Poſt Fontis Benedictionem, revertentibus Sacerdote, & Miniſtris ad Altare, cantantur Litaniæ à duobus Clericis, & Chorus idem ſimul repetit, ſcilicet, duplicantur. Quia verò Rubrica Miſſalis dicit, quòd Miniſtri revertuntur ad Altare: ergo ad Altare Litaniæ inchoantur, non verò ad Fontem, ut Aliqui perperam ſcripsère, quos pudet nominare. In dictis Litaniis poſt invocationem S. Joannis Baptiſtæ ſtatim additur nomen S. Joſephi, dicendo: *Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis: Sancte Joſeph, ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate pro nobis, &c.* ut hanc additionem voluit *Benedictus XIII. in Decreto Urbis & Orbis edito* 19. *Decembris* 1726. à me relato in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub nu. marg.* 1462. & meo conſilió præſtitum eſt, ut novaſ Miſſalia Romana, Breviaria, & Ritualia hanc additionem proprio loco retineant. 298

Non deſunt Auctores, putantes in his Litaniis geminandum eſſe verſum illum, *Per ſanctam Reſurrectionem tuam*, ſed nullo antiquo fundamento, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub num.* 30. *lit. c.* & negat Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *cap.* 11. *artic.* 5. *ſub num.* 3. *pag.* 261. Et ideo non audiendus quoad hoc Piſcara Caſtaldus, qui in Cæremoniali ſuæ Religionis primùm edito Neapoli anno 1613. (& ideo paulò ante opus Gavanti) *lib.* 3. *capit.* 19. *ſub numer.* 17. *pag.* 193. docet, quòd dictus Litaniarum verſus ſit in hoc Sabbato Sancto geminandus, & lætiori voce cantandus: & idem dicit *in Prax. Ceremoniar. libr.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 5. *ſub num.* 2. *pag.* 422. & in utroque loco fatetur, ſe tale ſumpſiſſe documentum ex Paride Craſſo *de Caremon. Cardinal. & Epiſcopor. in eor. Diœceſib. l.* 2. *cap.* 48. *pag.* 110. *juxta edit. Roman. de Anno* 1580. ubi reverà, ut modò lego, ſic habet. *Diſputatum aliàs fuit, an hujuſmodi Litaniæ ſint de pertinentiis Officii Sabbatini jam acti, an Miſſæ Paſchalis inchoandæ, ita ut geminari potiùs debeat verſus ille,* 299

ille, videlicet, Per Mortem, & ſepulturam tuam, *quàm alius verſus, videlicet*, Per glorioſam Reſurrectionem tuam? *Sed verior opinio videtur, quòd ſit de pertinentiis Miſſæ: & propterea quòd verſus ille*, Per glorioſam Reſurrectionem tuam, *non ſolùm geminetur, ſed etiam ſolus & unicus Verſus ipſe cum tripudio, & hilari melodia cantetur geminatus in cantu figurato, quatuor vocibus*. Ita ille, ſed cùm nulla habeatur Rubrica & ex Pio Quinto prohibeantur additiones, non eſt duplicandus. Vacante tamen Sede Apoſtolica, omittitur in his Litaniis ly *Domnum Apoſtolicum*, per cujus omiſſionem intelligitur Papa eo caſu defunctus, nam deberi omitti docet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 4. *ſub num.* 11. ea motus ratione, quia ſi vacet dicta Sedes Apoſtolica, jubemur in Canone tacere nomen Pontificis, & vocem ipſam, ut reverà ait Rubrica Miſſalis *de ordin. ſervan. in celebrat. Miſſ. tit.* 8. *ſub num.* 2. 300

Si Epiſcopus id præſtiterit, eodem ordine poſt Fontis Benedictionem redibit ad Altare majus, ubi depoſito Pluviali, cum Mitra procumbit ante illud ſuper Faldiſtorio, & pariter omnes in ſuis locis genuflectunt: & duo Capellani, ſive Cantores genuflexi ante ſcabellum versùs cornu Epiſtolæ retrò Epiſcopum, habentes ante ſe Librum, inchoabunt Litanias: & ſi aderunt Ordinandi, proſternent ſe per gyrum, dùm dicuntur Litaniæ, & alia fient, prout in Pontificali Romano *de Ordinibus dandis*, reſpondente Choro, & repetente omnia, quæ ipſi Capellani, ſeu Cantores dicunt, ut præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 19. *pag. mihi* 381. Ubi verò non eſt Fons Baptiſmalis, finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, Celebrans Caſulam deponit, & cum Miniſtris ante Altare procumbit: & aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio Chori à duobus Cantoribus, utroque Choro idem ſimul reſpondente. Capitibus tamen Celebrantis, & Miniſtrorum in Albis procumbentium ſupponi poſſunt cuſſini coriacei, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub num.* 30. *lit. b*, & ita habet Bauldryus *in Man. Sacrcar. Cæremo-*

remoniar. par. 5. cap. 11. artic. 5. ſub num. 1.

Cùm autem in dictis Litaniis perventum fuerit ad Verſum *Peccatores, te rogamus*; Sacerdos & Miniſtri ſurgunt, & accedentes ad Sacriſtiam, induuntur paramentis albi coloris pro Miſſa ſolemniter celebranda: & interim accenduntur luminaria in Altari. Quòd ſi Sacriſtia non eſt vicina, ibunt in locum viciniorem & decentem poſt Altare, nam ante Altare nemo Epiſcopo inferior eſt veſtiendus, licèt ſit loci Superior, niſi Mitra utatur, ait Gavantus *loco proximè citato, lit. d.* Ideoque in Cathedrali, dicto in Litaniis, *Peccatores*, Epiſcopus ſurgit, & ibidem ſtans, deponit paramenta violacea, & accipit alba, ac Pallium, ſi eſt Archepiſcopus: Diaconus autem, & Subdiaconus, paulò ante depoſitis Planetis violaceis ante plicatis, aſſumunt Dalmaticam & Tunicellam albas, ut preſtò ſint ad induendum Epiſcopum: Interim removentur etiam ab Altari, & Sede Epiſcopali pallia violacea, & accenduntur luminaria: Capellani verò, ſeu Cantores jam dicti proſequuntur Litanias uſque in finem, reſpondente Choro, ut ſupra: ita Cæremoniale Epiſcoporum *d. lib. 2. cap. 27. à §. 19. ad 21.* Dicto autem à Cantoribus in fine Litaniarum *Chriſte, audi nos: Chriſte exaudi nos*, vadunt in Chorum. 301

§. III.

De Miſſa ſolemniter celebranda in Sabbato Sancto.

Finis Litaniarum eſt initium Miſſæ ſolemniter celebrandæ, quæ revera eſt de Reſurrectione Domini, & ab hac Miſſa incipit principaliter Octava Paſchalis, nam Orationes, Epiſtolæ, & Evangelium ſunt de Reſurrectione omninò. Hæc Miſſa non habet Introitum, qui eſt caput Miſ- 302

ſæ,

ſæ, eo quod ille, qui eſt caput & principium noſtrum, ſubtractus eſt, & in Sepulchro ſilet: & licet nocte reſurrexiſſet, tamen à ſuis neſciebatur: unde cùm Maria Magdalena invenit Monumentum vacuum, credidit eum eſſe ſublatum, ut habet Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 85. *ſub numer.* 2. Fuiſſe ſolitum celebrari hanc Miſſam in nocte ſequenti, extra difficultatem eſt, ſed in principio noctis ſubſequentis Sabbatum, & præcedentis Diem Dominicam; quod deſumitur ex Ordine Romano de Sabbato Sancto, ibi: *Ut fuerit prima ſtella viſa, ſonant ſigna, & incipiunt canere Litanias ad Introitum*: Si prima ſtella viſa, hoc fiebat: ergo initio noctis, non poſt mediam noctem, ut plures volunt citati à Paſqualigo *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 410. Completis igitur Litaniis, Cantores ſolemniter incipiunt pro Miſſa, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, & ter ſingula repetuntur. Interim Sacerdos cum Miniſtris in paramentis albis accedit ad Altare, & dicto Pſalmo *Judica me, Deus*, cum *Gloria Patri*, facit confeſſionem, ut moris eſt, in loco conſueto: deinde aſcendens, oſculatur Altare, & incenſat more ſolito. Ut autem prædicta omnia fieri poſſint commodè à Celebrante, Cantores debent cum convenienti tarditate cantare *Kyrie eleiſon*, ut benè admonet Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 5. *ſub numer.* 5. *pag.* 422. Finitis à Choro *Kyrie eleiſon*, Sacerdos incipit ſolemniter *Gloria in excelſis*, & pulſantur Campanæ. In Cathedrali verò Eccleſia Epiſcopus, poſtquàm eſt albis paramentis indutus, facit confeſſionem cum Miniſtris more ſolito, aſcendit ad Altare, illudque ac Librum Evangeliorum oſculatur, imponit incenſum in thuribulum, & benedicit, incenſat Altare, & incenſatur ipſe à Diacono, & revertitur ad ſuam Sedem, ubi dicto *Kyrie eleiſon*, cantant *Gloria in excelſis Deo*: Tunc pulſantur campanæ & organum, & priùs debent moneri aliæ Eccleſiæ Civitatis, ne pulſent campanas, niſi priùs audito ſigno campanarum Eccleſiæ Cathedralis: ita Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 22. & 23. *pag.* 382.

Di-

Dicta Campanarum pulſatio ita eſt in Sabbato Sancto poſt ſignum Cathedralis vel Matricis Eccleſiæ facienda, ut tam Regulares, quàm alii Clerici Sæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, ſi contrafaciant, pœnam centum ducatorum incurrunt à Leone Decimo inflictam, apud Cherubinum *in Bullar. Rom. tom.* 1. *Conſt.* 22. *ejuſd. Pontific. qua incipit*: Dum intra, *edita in Concilio Lateranenſi ſub die* 19. *Decembris* 1516. Unde Sacra Concilii Congregatio ſub die 23. Aprilis 1591. ſic ſcripſit Archiepiſcopo Capuano: *Il Priore, ed i Frati di S. Maria ſono ſtati ragionevolmente poſti in prigione per aver nel Sabbato Santo ſciolte le campane, prima che ciò ſi foſſe fatto nella Metropolitana di V. S. alla quale, come capo dovevano aver riſpetto: e parendo, che baſti il riſentimento fatto, alla ricevuta di queſto Foglio li farà ſcarcerare, col far loro una buona monizione: avvertendo però, che non paghino coſa alcuna per pena*, ut refert Thomas Paſcuccius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par.* 2. *tit.* de Regularibus, *pag.* 298. *vel* 184. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Eccleſia tamen Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine Matricis, antè quam idcircò neque Regulares, neque Confratriæ poſſunt campanas pulſare in Sabbato Sancto, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 9. *Februarii* 1608. apud Gavantum *in Man. Epiſcop. verb. Campana*, *ſub num.* 2. & refert etiam Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. ſub eod. verb. numer.* 3. & dixi in mea Collectione pro Parochis utriuſque Cleri, *ſub num. margin.* 460. *juxta tertiam Patris mei editionem de Anno* 1737. Etiamſi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem, non poteſt tamen hac die prius pulſare campanas, prout reſolvit *eadem Sacra Rituum Congregatio ſub die* 23. *Februarii* 1619. ut retuli in alia mea Collectione de Canonicis Eccleſiæ Cathedralis & Collegiatæ, *ſub numer. margin.* 530. *in ſecunda editione Paterna de Anno* 1722. & ex me refert etiam La Croix *in Theol. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 136. 303

Licèt

Licèt autem in Sabbato Sancto non poſſint Regulares ante Cathedralem ſeu Matricem pulſare Campanas, hoc tamen fallit, ubi Religioſi ex immemorabili conſuetudine ſemper & continuò conſueviſſent ad libitum campanas pulſare, nulla habita ratione, an priùs fuerint pulſatæ in dicta Cathedrali ſeu Matrice, quia immemorabilis non eſt ſublata à Conſtitutione Leonis Decimi *ſupra citata*, neque à Cæremoniali Epiſcoporum *lib*. 2. *cap*. 27. §. 23. ut dixit *Rota in Calaguritana Juris pulſandi Campanas* 11. *Martii* 1619. *coram Dunozetto*, & poſtmodùm *in eadem Cauſa* 17. *Februarii* 1620. *coram Veroſpio*, nec non & iterum *in eadem* 29. *Aprilis* 1624. *coram Merlino*, apud Aſcanium Tamburinum *de Jure Abbat. tom*. 1. *diſputat*. 15. *quæſito* 7. *ſub num*. 28. & egomet retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom*. 12. *ſub numer. margin*. 2203. Et de facto, quòd Cæremoniale Epiſcoporum non tollat immemorabilem, ſæpè declaratum fuit, ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin*. 234. 258. 357. *&* 1182. Non obſtante tamen vi & efficacia immemorabilis conſuetudinis, quæ dicitur magiſtra Probationis ab Anſaldo *in Tranen. Praeminentiarum*, §. *Immemorabilis*, nihilominus Epiſcopi, ſi adverſùs ea, quæ in Cæremoniali Epiſcoporum ſtatuta ſunt, conſuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, poſtquam recognoverint, aut eam non ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, utpotè irrationabilem, de jure non poſſe, executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali conſtituta ſunt, diligenter incumbant, nec ulla ſuſpenſio aut appellatio admittatur, ut demandat *Innocentius XIII. in Conſtitut. quæ incipit*: Apoſtolici miniſterii, §. 20. *edita anno* 1723. *ſub die* 13. *Maji*, apud Urſayam *Diſcept. Eccleſiaſt. tom*. 5. *par*. 2. *in fine*: quam Conſtitutionem poſtmodùm ex integro confirmavit *Benedictus XIII. in Conſtit. quæ incipit*: In ſupremo, *emanatâ anno* 1724. 23. *Septembris*, & habetur in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom*. 8. *par*. 2. *Conſtitut*. 1. *pag*. 472.

Ad

Ad effectum verò dictæ pulſationis Campanarum in Sabbato Sancto, ſufficit probare, Eccleſiam eſſe Parochialem, antiquiorem, digniorem, & majorem, ex quibus concluditur eſſe Matricem, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio in Sorana ſub die* 8. *Junii* 1641. apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par.* 2. *tit.* de Regularibus, *pag.* 299. *vel* 184. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Quamvis autem hæc prima Campanarum pulſatio non ſit de Juribus merè Parochialibus, ſpectat tamen ad Eccleſiam digniorem, ad formam Conſtitutionis Leonis Decimi *ſupra memorata*, ut ad nonum Dubium ſic reſpondendum eſſe cenſuit *eadem Sacra Rituum Congregatio in Decreto Urbis & Orbis, emanato ſub die* 10. *Decembr.* 1703. approbante Clemente Undecimo, *ſub die* 12. *Januarii* 1704. apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *ſub num.* 46. *pag.* 15. & refert etiam P. Marati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 568. Nondum tamen dato ſigno majoris Eccleſiæ, ex tantùm interim pulſabuntur eo caſu Campanæ, quæ ſunt inter parietes Eccleſiæ: & dato deinde ſigno à Cathedrali ſeu Matrice, dabitur etiam ſolemne ſignum ab omnibus aliis Eccleſiis Loci, cum Campanis majoribus, licèt detur longè poſt *Gloria in excelſis*, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub num.* 31. *lit. b.* & ita ſentit Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 5. *ſub numer.* 6. *pag.* 422. nec non & Bauldryus *in Manuali Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 11. *artic.* 5. *ſub num.* 11. *pag.* 261. At ſi Eccleſiæ ſubjectæ nimis diſtent à Matrice in Diœceſi, poſſunt ante ipſam Matricem pulſare Campanas, quia nimia diſtantia eas excuſat ab expectatione ſigni Eccleſiæ majoris, ut reſpondit *Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium in Surrentina ſub die* 16. *Julii* 1601. & poſtmodum *in Theleſina ſub die* 15. *Februarii* 1622. apud Paſcuccium *loco ſupra citato*. 305

Sed proſequamur Miſſam ſolemnem hujus Sabbati Sancti: Completa in Choro Hymni Angelici decantatione, Sacerdos dicit, *Dominus vobiſcum*. Epi- 306

ſcopus

ſcopus verò ſurgens ſine Mitra, dicit versùs Populum, *Pax vobis*: quidquid ſupponat Durandus *in Ration. Diviner. Officior. lib. 6. cap. 85. ſub num. 7. circa fin. pag. mihi* 243. *à tergo*, ubi ex eo, quòd in hac Miſſa non datur Pax, putat, quòd Epiſcopus non dicat *Pax vobis*: & ejus verba ſunt ſequentia, videlicet: *unde fortè hic modus ſalutationis, ſcilicet*, Pax vobis, *ab Epiſcdpo in principio hujus Miſſæ non dicitur:* Durandi quoque opinioni ſubſcribit Dominicus Macrius *in Hierolexic. verb. Pax vobis*. Sed ſtandum eſt Cæremoniali Epiſcoporum, quod talem reverà habet ſalutationem *lib. 2. cap. 27. de Sabb. Sanct. §. 24. pag.* 382. Poſtea dicitur Oratio, ex qua infertur, quòd hæc Miſſa dicebatur antiquitùs de nocte, ut ſupra innuimus, nam adhuc in ea retinentur illa verba *ſacratiſſimam noctem*. Unica eſt, quia unicitas Orationis ſignificat ſolemnitatem. Solus autem Epiſcopus poteſt addere ſecundam pro Ordinandis, ſi hodie Ordinationes habeat, ut præſcribit Pontificale Romanum *par. 1. tit. 2. de Ordinib. conferen. rubr.* 20. ubi ita habetur: *Si verò Sabbato Sancto Ordinationes fiant, Pontifex dicit Orationem ordinariam, cum alia pro Ordinandis*. At quia Pontificale nihil aliud dicit, dictam ſecundam Orationem dicendam eſſe ſub unica concluſione tradit Horatius Chriſtianus *in Prax. Pontific. pro maj. Hebdom. ſect. 5. de Sabb. Sanct. cap. 14. ſub numer. 3. pagin.* 468.

Cantata per Celebrantem Oratione, Subdiaconus cantat Epiſtolam, qua finita, Sacerdos ter cantat *Alleluja*, in cornu Epiſtolæ, ut docet Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 10. ſub num. 34.* cantat, inquam, elevando vocem gradatim: & Chorus ſtans, poſt quamlibet vicem, in eodem tono repetit illud idem. 207
Alleluja Latinæ Linguæ peregrinum nomen eſt, cujus myſterium, veluti quoddam gaudii ſtillicidium, de divitiis ſupernæ Hieruſalem, primùm in mente Patriarchárum & Prophetarum, poſtea in Apoſtolorum ora pleniùs per Spiritum Sanctum delapſum eſt, ait Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 1. cap. 35. pag. mihi* 43. Eſt igitur nomen Hebrai-

cum lætitiam ſonans, ideo ab Eccleſia retentum, ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum quoque vocabulum ſignaret potiùs, quàm exprimeret, inquit Innocentius III. *lib.* 2. *Myſt. capit.* 32. & ex eo Guyetus *in Heortolog. libr.* 3. *capit.* 25. *quæſt.* 4. *pagina* 227. Unde uſum canendi *Alleluja* in Eccleſia antiquiſſimum eſſe probat Baronius *in Notat. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 5. *Aprilis*, *lit. e.* In Cathedrali verò Eccleſiâ, finita Epiſtola, Subdiaconus dimiſſo Libro in manu Cæremoniarii, immediatè accedens ante Sedem Epiſcopi, clara voce dicat: *Reverendiſſime Pater, annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja*; & ſtatim accedens oſculatur ejus manum. Tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus præintonat Epiſcopo *Alleluja*, qui ſurgens ſine Mitra ter cantat *Alleluia*, ſemper elevando vocem gradatim: & Chorus poſt quamlibet vicem repetit illud idem, ut habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. §. 25. *pag.* 382. Et reverà annuntiatur per *Alleluja* gaudium magnum, nam cùm ſit vox lætitiæ, dum Chriſto reſurgente, reſurrectionem Mortuorum eſſe credimus, nos quoque reſurrecturos ſperantes, jure gaudemus, quia eſt lætitiæ cordis noſtri materia, ait Rupertus Abbas *lib.* 6. *cap.* 26. *pag. mihi* 374.

Poſt trinam illius lætæ vocis decantationem, 308
nempè *Alleluja*, Chorus proſequitur canendo verſiculum *Confitemini*, deinde dicendo Tractum *Laudate Dominum*, ut in Miſſali: ex quo notandum occurrit, quòd *Alleluja* præcedit *Tractum*: & ecce gaudium Paſchale, ſed non plenum, quia *Tractus* luctum ſignificat: eſt ergo lætitia in ſpe proxima, ut ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 34. Ex eo autem, quòd dicitur *Alleluja*, eſt illicò *Tractus*, Petrus Damianus eorum opinionem refutat, qui ſolvere jejunium credebant, poſtquàm dictum erat *Alleluja*, ait enim *lib.* 6. *epiſt.* 35. per ſubſequentem Tractum Miſſam pœnitentiæ deſignari: *Miſſa*, inquit, *ſimul Quadrageſimalis eſſe videtur, atque Paſchalis, dum poſtquam* Alleluja *canitur, mox* Tractus, *qui Quadrageſima propius eſt, adhibetur*, ut

refert

refert Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 71. verſ. ex eo, quod, pag.* 329. ubi tamen addit, quòd obſervatio iſta non habet locum, niſi poſtquàm hora, & ordo hujus Miſſæ inverſus eſt.

Ad Evangelium in hac Miſſa Sabbati Sancti non 309
portantur luminaria, ſed tantùm incenſum: petitur Benedictio, & alia fiunt de more. Licèt autem non portantur luminaria, ſtant tamen ſine candelabris duo Ceroferarii ſeu Acolythi manibus junctis à lateribus Subdiaconi, & tunc ſe ſignant cum Diacono, ut docet Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 8. cap. 5. ſub num. 10. pag.* 423. Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. cap. 11. art. 5. ſub num. 14. pag.* 262. nec non & poſtremus Sacrorum Rituum Germanus Auctor Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par. 1. tit. 20. §. 3. verſ. Porrò, pag.* 113. Non deferuntur autem luminaria, quia ille, qui eſt lumen, nondum nobis redditus eſt, quia Reſurrectio Chriſti nondum erat manifeſta, imò credebatur adhuc in Sepulchro latere: Incenſum tamen fertur in ſignum, quòd Mulieres tulerunt aromata, ut ungerent Jeſum: Præterquàm quòd Orationis affectio, quæ per incenſum exprimitur, animis infirmorum non deerat, ſed veritatis lux, quæ per accenſa luminaria deſignatur, eis certitudinaliter non clarebat propter Domini Sepulturam, ait Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap. 85. ſub num. 5. pag. mihi* 243. *à tergo.*

Cùm tamen in hoc Evangelio S. Matthæi de 310
Miſſa Sabbati Sancti dicatur: *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*: volumus explanare quid ſibi velint hæc verba, ne alicui Sacerdoti ea legenti dici poſſit illud Actuum Apoſtolorum 8. *Putaſne intelligis, quæ legis?* & eò magis, quia non ſunt verba tam facilis intelligentiæ, nam Cornelius à Lapide *in Matth. cap. 28. verſ. 1.* ait, quòd difficilis eſt hìc antilogia: Quomodo enim erat veſper vel veſpera, ſi luceſcebat, imò, ut Marcus ait, *orto jam Sole?* Igitur *veſpere* ſive veſpera *Sabbati* erat nox, quæ ſequebatur Sabbatum: quæ nox luce-

lucefcit, id eſt, terminatur & deſinit in lucem, *in prima Sabbati*, id eſt, mane Diei Dominicæ, quæ prima Dies eſt poſt Sabbatum: unde Marcus clarè ita explicat, dicens: *& cùm tranſiſſet Sabbatum*. Matthæus autem perſtringit tempus, quo convenerunt Mulieres, ſeſeque compararunt emendo aromata ad viſendum & ungendum Chriſtum jam ſepultum, quod erat veſpera, ſive ſtatim transacto Sabbato, quo ab hoc opere aliiſque juxta Legem debuerant quieſcere: Voluit quoque indicare tempus, quo ad Sepulchrum venerunt, quod fuit illuceſcente Die Dominica: unde Rabanus: *veſpere venire cæperunt, paraverunt enim aromata, ſed luceſcente manè pervenerunt*. Et Marcus, qui ſolet eſſe interpres Matthæi, ſic habet cap. 16. verſ. 1. *Cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum; & valde manè una Sabbatorum veniunt ad Monumentum, orto jam Sole*. Dicitur autem *Veſpere*, *quæ*, & non *Veſpere*, *qui*, nam veſpere eſt adverbium denotans *tardè*, & *ſerò*, quod tamen in ſe includit & ſignificat nomen, ſcilicet veſperam & noctem, ad quam refertur pronomen *quæ*. Dicitur denique, *in prima Sabbati*, ſcilicet die prima poſt Sabbatum, id eſt, Die Dominica. Hebræi enim à Sabbato utpotè Sanctiſſimo (magnus enim erat Dies ille Sabbati) denominabant omnes Hebdomadæ Dies: Sic ſecunda Sabbati, id eſt, poſt Sabbatum, erat Feria ſecunda: tertia Sabbati, erat Feria tertia, &c. Hinc tota Hebdomada vocabatur quoque Sabbatum, ut *jejuno bis in Sabbato*, id eſt, in Hebdomada, *Lucæ* 18. Ita hìc *prima Sabbati* accipi poteſt prima Dies Hebdomadæ, putà, Dominica. *Hucuſque Cornelius à Lapide*.

In Miſſa hujus Sabbati Sancti non dicitur *Credo*, 311
quia nondum Apoſtoli credebant Reſurrectionem Chriſti, inquit Gavantus *to. 1. par. 4. tit.* 10. *ſub num.* 36. *lit. i*. Unde illi duo Diſcipuli, in Caſtellum nomine Emmaus euntes, Chriſto ſuſcitato & apud illos formam Peregrini habenti dixerunt: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël, & nunc*

& nunc ſuper hac omnia , tertia dies eſt hodie , quod hac facta ſunt : quos Chriſtus reprehendit , dicens : *O ſtulti , & tardi corde ad credendum :* & hæc eſt ratio , propter quam non dicitur hodie *Credo* in Miſſa . Sed neque dicitur *Offertorium* , quia Mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus offerendis ad Sepulchrum , ut habet Gavantus *loco proximè citato, ſub lit. l.* & quia latenter venerunt ad Monumentum , oblatio aromatum fuit ſecreta : ergo earum more Cantores ſilent , omiſſo Offertorio , ait Durandus *in Ration. Divinor. Officior. li. 6. cap. 85. ſub num. 6. pag. mihi 243. à tergo* . Finito igitur Evangelio , Sacerdos dicit *Dominus vobiſcum* , & poſtea *Oremus* , & Subdiaconus ſimul cum Calice defert ad Altare Burſam Corporalium, Bauldryus *in Man. par. 4. cap. 11. artic. 5. ſub num. 14. pag. 262.* Piſcara *in Prax. lib. 3. ſect. 8. cap. 5. ſub numer. 11. pag. 423.* Ad Pſalmum tamen *Lavabo* Celebrans addit hac die *Gloria Patri* ; quæ diebus præteritis tacebatur.

Præfatio in hac Miſſa Sabbati Sancti eſt quidem 312
Paſchalis , ſcilicet , *Te quidem , Domine , omni tempore* , hodie tamen dicitur , *ſed in hac potiſſimum nocte* : ſicuti & in proprio *Communicantes* in iſta tantummodò Miſſa dicitur , *& noctem ſacratiſſimam celebrantes* : ex quibus patet , hanc Miſſam fuiſſe antiquitùs nocturnam , & modò anticipatè celebrari . Poſt *Communicantes* proprium , habetur etiam propria *Hanc igitur oblationem*: unum ſpectat ad Reſurrectionem, alterum ad Baptiſmum. Ex hac Miſſæ anticipatione infert Cardinalis de Lugo, quòd in nocte Nativitatis Domini anticipatur Dies pro illis Sacerdotibus, qui ex Privilegio celebrant ante medinoctium, & verba Auctoris habes ſupra in Vigilia ejuſdem Nativitatis. Ex veteri tamen Eccleſiæ ritu habebat hæc Miſſa Sabbati Sancti Præfationem ab hodierna diverſam , quæ per extenſum legitur in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 74. & erat ſequens , videlicet : *Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi ſemper , & ubique gratias agere , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus :*

Te omni quidem tempore, ſed in hac potiſſimùm nocte glorioſiùs collaudare & prædicare, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui inferorum clauſtra diſrumpens, victoria ſua clara vexilla ſuſcepit, & trimphato diabolo, victor à mortuis reſurrexit. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, &c. Et quia, antequàm Euchariſtiam ſumeret, Epiſcopus Benedictionem Populo impertiebatur, ſub formula unicuique Feſtivitati conveniente (ut fuſiùs diximus ſupra in Miſſa de nocte Nativitatis Domini) benè credimus ad eruditionem extendere ſequentem Benedictionem, quæ huic erat Nocti adæquata, ſcilicet: *Deus, qui Eccleſia ſua intemerato utero novos populos producens, eam, virginitate manente, nova ſemper prole fecundat; fidei, ſpei, & charitatis vos munere repleat, & ſua in vos Benedictionis dona infundat.* Amen. *Et qui hanc ſacratiſſimam noctem, Redemptoris noſtri Reſurrectione voluit illuſtrare, mentes veſtras peccatorum tenebris mundatas, virtutum copiis faciat corruſcare.* Amen. *Quo eorum, qui modò renati ſunt, innocentiam imitari certetis; & vaſcula mentium veſtrarum exemplo præſentium luminum illuſtretis: ut cum bonorum operum lampadibus, ad ejus Sponſi thalamum, cujus Reſurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare poſſitis.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum.*

Ut autem & aliam ponamus antiquitatem in Præfatione hujus Sabbati Sancti, & non omittamus adhuc vigentem uſum alterius Præfationis: ſciendum eſt, quòd in Eccleſia Gallicana priſcis temporibus propria dicebatur hodie Præfatio, quæ in nihilo concordat cum Gregoriana ſupra relata, ut videre eſt apud Mabillonium *in Liturg. Gallic. lib. 3. pagina* 250. & nos ex eo fideliter tranſumptam, extendimus ſequentibus verbis conceptam, nempè: *Dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, nos tibi hìc, & ubique gratias agere, tibi laudes dicere, & hoſtias immolare, & confiteri miſericordias tuas, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam magnus* 313

gnus es tu, & faciens mirabilia; tu es Deus ſolus: Tu feciſti Cœlos in intellectu: tu formaſti Terram ſuper aquas: tu feciſti luminaria magna, Solem in poteſtatem Diei, Lunam & Stellas in poteſtatem Noctis. Tu feciſti nos, & non ipſi nos: opera manuum tuarum non omittas. Tuus eſt Dies, & tua eſt Nox: in Die enim mandaſti miſericordiam tuam, & in Nocte declaraſti: quam hodiernis Vigiliis in luminis hujus Feſtivitate celebramus. Hæc eſt enim Nox, ſalutarium conſcia Sacramentorum: Nox, in qua veniam peccatoribus præſtas: de veteribus hominibus novos efficis: de ſenibus effectis maturos reddis infantes, quos in novam creaturam renatos, de ſacro Fonte producis. Hac Nocte in æternum Diem renaſcentes populi procreantur, Regni Cœleſtis atria reſerantur, & beata lege commerciis divinis humana mutantur. Hæc eſt enim Nox illa, quæ facta eſt in deliciis: in qua maximè delectaſti nos, Domine, in factura tua. Nox, in qua inferna patuerunt: Nox, in qua abſolutus eſt Adam. Nox, in qua inventa eſt dragma quæ perierat: Nox, in qua boni Paſtoris humeris reportata eſt ovis perdita. Nox, in qua diabolus occubuit, & Sol juſtitiæ Chriſtus exortus eſt: & ſolutis inferni nexibus, clauſtriſque confractis, multa Sanctorum corpora, de Sepulchris erumpentia, intraverunt in ſanctam Civitatem. O vere beata Nox, quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, qua Chriſtus reſurrexit! de qua jam in Pſalmo fuerat prophetatum, quia Nox ut Dies illuminabitur. Nox, in qua exorta eſt reſurrectio in æternum. Te enim, omnipotens Deus, Creaturarum Cœleſtium multitudo, & innumerabiles Angelorum Chori ſine ceſſatione proclamant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Altera verò Præfatio, quæ noſtris etiam temporibus in Miſſa Sabbati Sancti cantatur, eſt illa Ambroſianorum, ex quorum particulari Miſſali Mediolani impreſſo de verbo ad verbum deſumpſimus, & hoc proprio loco à paucis viſam, & multis fortaſſe gratam volumus modò ponere, in nonnullis cum Romana concordantem, in aliquibus verò diverſam, & eſt ea, quæ ſequitur: videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos te quidem, Domine, omni tempore benedicere:*

tere : ſed in hac potiſſimùm nocte profuſiùs exultantibus animis prædicare, cùm Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ille enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata Mundi: Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Unde profuſis gaudiis, totus in orbe terrarum Mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes, & Angelicæ concinunt poteſtates hymnum gloriæ tuæ perpetim, ſine fine dicentes.

Dicitur quidem in hac Miſſa de Sabbato Sancto 314
Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ſed pacis oſculum non datur, quia nondum Chriſtus reſuſcitatus dixerat Apoſtolis *Pax vobis*, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub num.* 37. *lit. m.* Non dicitur hodie *Agnus Dei*, quia Chriſtus nondum credebatur Redemptor Animarum ad tollenda peccata Mundi, Horatius Chriſtianus *in Prax. Pontific. pro maj. Hebdom. ſect.* 5. *de Sabb. San. cap.* 17. *in fine, lit. f. pag.* 495. dicuntur tamen tres conſuetæ Orationes ante Communionem. Nemo regulariter communicat in hac Miſſa; excepto Celebrante, & iis, qui ſub hac Miſſa ad Sacros Ordines promoventur, ſi Epiſcopus hodie habeat Ordinationes, ut notat Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 20. §. 3. *de Sabb. San. pag.* 114. Et revera, quia in hac Miſſa non communicabant, non dicitur hodie *Poſtcommunio*: eſt enim Miſſa noctis: & neque temporibus noſtris faciendam eſſe in hac Miſſa Communionem Populi, ſed tamquàm abuſum omittendam, tenet Dominicus Macrius *in Hierolexic. verb. Communio*. Poſt ſumptionem SS. Sacramenti, Celebrans non deponit Caſulam, ut aſſumat Pluviale, quia non eſt finita Miſſa, nam terminat hodie cum Veſperis, Gavantus *loco citato*, *ſub numer.* 39. *lit. p.* Dignior igitur de Choro præintonat Antiphonam *Alleluja* pro Veſperis, quam ipſe Chorus proſequitur, & deinde alternatim cantat integrum Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, cum *Gloria Patri* in fine, & poſtea repetitur eadem Antiphona: quæ omnia dicuntur à Celebrante in cornu Epiſtolæ. Capitulum, Hymnus, & Verſus non dicuntur, ſed ſtatim Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat

gnificat *Veſpere autem Sabbati*, quam proſequitur
Chorus: deinde cantatur *Magnificat* cum *Gloria Pa-
tri* in fine.

Repetita Antiphona, Celebrans, præmiſſo *Domi- 315
nus vobiſcum*, cantat Orationem *Spiritum nobis, Do-
mine, &c.* deinde iterum repetit *Dominus vobiſcum*;
& Diaconus vertens ſe ad Populum cantat, *Ite
miſſa eſt, alleluja, alleluja*, reſpondente Choro, *Deo
gratias, alleluja, alleluja*: & Sacerdos, dicto *Pla-
ceat tibi, ſancta Trinitas*, dat Benedictionem more
ſolito, & lecto Evangelio S. Joannis, omnes læti
recedunt, Dominicæ Reſurrectionis gaudia mutuò
ſibi annunciantes, Piſcara *in Prax. lib. 3. ſect. 8.
cap. 5. ſub num. 19. pag. 423.* Bauldryus *in Man.
par. 4. cap. 11. art. 5. ſub num. 20. pag. 262.* Hal-
den quoque *loco ſupra citato*. Completis Veſperis
extinguuntur illæ tres candelæ, quæ ſunt in arun-
dinæ poſitæ, non enim ultra has Veſperas ardere
debent, alioquin gratis ardebunt, & ſine cauſa, ait
Gavantus *dict. titul. 10. ſub numer. 50.* & cum eo
etiam Bauldryus *ſub num. 21.* nec non Halden *dict.
§. 3. pag. 115.* & ideo arundo eſt amovenda, Hip-
polytus à Portu *de cultu Dei, & Homin. par. 3. cap.
3. art. 4. in fine, pag. 327.* Hoc tamen loco notan-
dum eſt, quòd in Eccleſiis, tam Parochialibus quàm
non Parochialibus, ubi deeſt numerus Cantorum,
non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſ-
ſa privata, loco ſolemnis, ut in eiſdem Eccleſiis
fiat Benedictio tam Luminis & Cerei, quàm Aquæ,
attentis maximè Decretis 11. Februarii & 11.
Martii 1690. prohibentibus celebrationem Miſſa-
rum privatarum, & unicam tantùm Miſſam Con-
ventualem, unà cum Officio Sabbati Sancti cele-
brari præcipientibus, ut reſpondit Sacra Rituum
Congregatio *in Jannen. anno 1697. ſub die 13. Julii*,
apud P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2.
in Indice, ſub num. 515.*

In Cathedrali verò Eccleſia, Epiſcopus, facta poſt 316
Communionem purificatione, lavat manus, redit ad
Altare, & Chorus incipit *Alleluja* pro Veſperis,
Epiſcopo ſedente. Ad *Magnificat* Subdiaconus præ-
into-

intonat ei Antiphonam, quam ſurgens repetit: deinde ſedet cum Mitra, & imponit incenſum more ſolito. Cùm inchoatur *Magnificat*, Epiſcopus deſcendit ad Altare, & depoſita Mitra, facit Cruci reverentiam, oſculatur Altare, & illud incenſat: mox revertitur ad Sedem, & incenſaturipſe, & alii more ſolito: & ipſe ſtans ſine Mitra, expectat finem Cantici *Magnificat*. Cùm repetitur Antiphona, ſedet, accepta Mitra: & ea finita, deſcendit ad Altare, dicit *Dominus vobiſcum*, & Orationem, & Diaconus *Ite miſſa eſt* cum duplici *Alleluja*: Datur Benedictio, & publicantur Indulgentiæ, ut aliàs: Ita Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. *à* §. 26. *uſq. ad fin. illius cap.* Pragæ verò in Bohemia additur tertium *Alleluja* in fine hujus Miſſæ, ſeu ad *Ite Miſſa eſt* in Metropolitana ex immemorabili illius Baſilicæ conſuetudine, ut mihi dictum fuit à quodam Pragenſi, ſed hoc eſt tamen extra Ritum Romanum, cùm juxta illum duo tantùm ſint dicenda.

In privata tamen Veſperarum recitatione, dicto *Pater noſter*, & *Ave Maria*, Veſperæ inchoantur abſolutè ab Antiphona *Alleluja*, cum reliquis ut ſupra, & loco *Ite miſſa eſt*, *alleluja*, *alleluja*, dicitur verſiculus *Benedicamus Domino*, *alleluja*, *alleluja*, cum ſuo reſponſorio *Deo gratias*, *alleluja*, *alleluja*: deinde additur *Pater noſter*, & nihil aliud. Ad Completorium autem dicitur *Jube Domne*, Lectio Brevis, *Fratres Sobrii eſtote*, Verſiculus *Adjutorium noſtrum*, ac etiam *Pater noſter*, & facta Confeſſione, & Abſolutione, dicitur verſiculus *Converte nos, Deus*, Verſiculus *Deus in adjutorium* cum *Gloria Patri*, & ampliùs non dicitur *Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ*, ſed ejus loco deinceps dicitur *Alleluja*. Deinde ſine Antiphona dicuntur Pſalmi conſueti. Capitulum, Verſiculus, & Hymnus non dicuntur. Ad *Nunc dimittis*, Antiphona *Veſpere autem Sabbati*, ut ſupra in Veſperis: ſed Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 13. *ſub num.* 28. advertit, quòd dicta Antiphona ad Canticum Completorii dicenda eſt ad modum ritus ſemiduplicis, ita ut ante Canticum 317

inci-

incipiatur dumtaxat, & poſt Canticum integra recitetur: quod & habet Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. cap. 11. art. 5. ſub num. 22. pag.* 263. ac etiam Halden *in Ephemerolog. par. 1. titul.* 20. §. 3. *in fine, pag.* 118. Poſt dictam Antiphonam *Veſperè autem Sabbati*, dicitur conſueta Oratio *Viſita, quæſumus, Domine*, & in fine Antiphona *Regina Cœli*, quæ dicitur ſtando, ut docet Rubrica Breviarii hoc loco, quia non flectuntur genua toto tempore Paſchali: ſed hoc intelligitur de Oratione, non de Adoratione, quæ ſemper fit cum genuflexione, ſequitur Gavantus *loco ſupra citato*. Qui tamen intendit lucrari Indulgentiam a Benedicto Decimotertio ſub die 14. Septembris 1724. conceſſam recitantibus Orationem *Angelus Domini, &c.* manè vel meridie vel veſpere ad pulſationem campanæ, debet neceſſariò etiam hoc tempore Paſchali genuflectere: nec acquiritur dicendo ejus loco Antiphonam currentem *Regina Cœli*, ut ſuppoſita tali Indulgentia, dicit & verum dicit Biſſus *in Hierurg. tom. 2. verb. Signum Salutationis Angelicæ, ſub num.* 162. §. 4. *pag.* 469.

Quia verò Rubrica Miſſalis circa finem Benedi- 318
ctionis Fontis in Sabbato Sancto, ſic habet: *Interim unus ex Miniſtris Eccleſiæ accipit in vaſe aliquo de eadem aqua, ad aſpergendum in Domibus, & aliis Locis*: ideo hodie Parochus, ſeu alius Sacerdos Superpelliceo & Stola alba indutus, cum Miniſtro deferente vas Aquæ ex Benedictione Fontium ante perfuſionem Chriſmatis acceptæ, viſitat Domos ſuæ Parochiæ, aſpergens eas eadem Aqua benedicta, dicendo Preces, ut in Rituali Romano *tit. de Benedictionib.* Non tamen placet ratio Baruffaldi *in Commentar. ad ipſum Rituale tit.* 57. *ſub num.* 10. *pag.* 265. ubi ait, quòd hodie non adimpletur iſte ritus quoad Diem & quoad Aquam, quia cùm Parochiæ ſint ut plurimùm vaſtæ, nec unà die circui commodè poſſint, anticipatio videtur quaſi neceſſaria, cum Aqua Luſtrali conſueta, quia illa de Benedictione Fontis nondum conſecrata eſt: nam ſic defraudatur mens Pontificis in Rubricis Miſſalis &

Ritua-

Ritualis, qui vult ut Domorum Benedictio fiat hac Die, & cum Aqua Fontis: & intelligendum venit de tot Domibus, per quot hodie fieri poteſt: quapropter potiùs ſentio de poſtpoſitione, non de anticipatione: unde ſi hac eadem die non poſſunt omnes Domus benedici, benedicantur reliquæ in primo vel ſecundo die poſt Dominicam Reſurrectionis, juxta uſum Luſitaniæ, cum Barboſa *de poteſt. Paroch. par. 1. cap. 12. ſub numer. 11.* Si enim Parochi volunt ſuum commodum expectare, expectent illud potiùs à parte poſt, cum Aqua præceptiva Fontis; non verò à parte ante, ſine tali Aqua: & ſic adimplebitur mens Pontificis volentis, ut fiat Benedictio Domorum cum Aqua Sabbati Sancti: nam hujuſmodi aſperſiones in hoc Sabbato poſt factam Fontis benedictionem; in Italia fieri ſolitum eſſe, ipſe teſtatur Barboſa *loco proximè citato*, & tamen uti Epiſcopus ſatis erat de Parochiarum vaſtitate conſcius.

Ritus autem benedicendi Domos, originem ducit 319
à mandato Chriſti, quo juſſit Apoſtolis, ut in quamcumque Domum intraſſent, primùm dicerent *Pax huic Domui*, quibus verbis Benedictio continetur: nec dubium, quin Apoſtoli id exactè obſervaverint, aliiſque commiſerint, ut idem ſucceſſivè facerent: & ideo Eccleſia Benedictionem incipit ab iiſdem verbis. Renovatur tamen quotannis hæc Domorum Benedictio in Sabbato Sancto, ut ſi ex malitia habitantium maligni ſpiritus ibi fixerint ſedem, virtute Benedictionis, & Reſurrectionis Chriſti expellantur, ſicuti à Chriſto triumphante in ſua Reſurrectione Princeps hujus Mundi ejectus eſt foras, ait Quartus *tit. 3. de Benedict. ſect. 10. prælud. 1. & 2. pag. 164. juxta edit. Venet. de Anno* 1727. Hæc verò Domorum Benedictio ita eſt propria Parochi, ut nequeat ab aliis fieri, nam in Rituali Romano deſignatur Parochus: & quamvis ibi addatur, *vel alius Sacerdos*, intelligi debet de licentia Parochi, ne Jura Parochorum violentur: unde Barboſa *de poteſt. Parochi, par. 1. cap. 12. ſub num. 11.* dicit, quòd cùm aſperſiones Domorum in die Sabbati Sancti inter

ter Functiones Parochiales connumerentur, ſpectant ſolùm ad Parochos privativè quoad alios Eccleſiæ Clericos. Quapropter Sacra Concilii Congregatio *ſub die* 23. *Novembris* 1619. cenſuit, non poſſe Regulares in Sabbato Sancto benedicere Domos Laicorum, ut refert Gavantus *in Man. Epiſcopor. verb. Regularium jura ſub Epiſcopo, in additione, ſub num.* 5. & egomet retuli in mea Collectione de Parochis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 602. *juxta tertiam editionem Paternam de Anno* 1737. Imò cùm Curati Civitatis & Diœceſis Bononienſis humiliter ſupplicaſſent eidem Sacræ Congregationi Concilii inter alia declarari: *An Regulares poſſint benedicere in Hebdomada Sancta Domos Diœceſis, eo quia hoc eſt officium Curati, ut legitur in Rituali Romano?* eadem Sacra Concilii Congregatio ad decimumquartum Dubium ſub die 2. Julij 1620. reſpondit, *Non poſſe*: ut citata referentium caterva, dixi in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 2. *ſub numer. margin.* 2073. *pag.* 345. Ubi denique fieri ſolet Benedictio Menſæ, ut præcipuè inter Clauſtrales, pro Sabbato Sancto habetur ſpecialis Benedictio per Verſiculum *Veſpere autem Sabbati*, cum reliquis, ut in fine Breviarij: & quia hodie variatur, hæc Benedictio, & pro hodierna die dumtaxat inſervit, ideo eam, notat etiam Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 20. §. 3. *de Sabb. San. pag.* 117.

§. IV.

§. IV.

De quibuſdam ſcitu dignis, ad Sabbatum Sanctum ſpectantibus, extra tamen Functiones Diei.

TRes mihi obviam veniunt Dubitationes ad hoc Sabbatum Sanctum extra Officium Diei pertinentes, quæ hoc loco ea, qua poterimus claritate ſunt reſolvendæ. *Prima* ſcilicet, an hodie cantari poſſit Miſſa de Feſto occurrente & transferendo, ubi quid agendum de Feſto præceptivo alicubi in hanc Diem incidente, & quid de Votivis ſolemnibus? *Secunda*, an poſſit hodie cani Miſſa cæteroquin privilegiata pro Defunctis in Die Obitus, præſente Corpore? *Tertia* denique, an celebrari hodie queant Miſſæ privatæ de Die? Quoad primam igitur primæ Dubitationis partem; abſolutè reſpondendum eſt negativè, ſiquidem Rubrica Miſſalis *tit.* 16. *de translat. Feſtor.* excipit clarè & diſertis verbis totam Hebdomadam majorem circa Miſſam cantandam de Feſto occurrente & transferendo, licèt ſit de Titulari Eccleſiæ, vel ſoleat concurrere Populus ad illud celebrandum: ſed inter Hebdomadam majorem connumeratur Sabbatum Sanctum: ergo in Sabbato Sancto non poteſt cani hujuſmodi Miſſa: Quare ſi hoc Sabbatum occurrat die vigeſima ſeptima Martii, ut *in Tabula ſeptima Ordinis perpetui*, Salisburgi propè Comitatum Tyrolenſem hodie non canitur Miſſa de Sancto Ruperto Confeſſore Pontifice, primario illius pulcherrimæ Urbis à me libenter olim Viſæ Patrono: Si incidat in diem quintam Aprilis, ut *in Tabula decima ſexta*, Peruſiæ in Statu Eccleſiaſtico hodie non cantatur Miſſa de Dedicatione Eccleſiæ Cathedra- 320

lis:

lis: Si denique Sabbatum Sanctum veniat die vigeſima quarta ejuſdem Aprilis, ut *in Tabula hujus Anni 1734. in quo ſcribo, trigeſima quinta*, Ferrariæ in eodem Statu Eccleſiaſtico non canitur hodie Miſſa de S. Georgio Martyre Titulari illius Eccleſiæ Cathedralis, ibi occurrente dicta die, non verò die vigeſima tertia, ut in Eccleſia Univerſali,

Quoad verò ſecundam primæ Dubitationis partem, ſi in Sabbato Sancto occurrat Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, cui annexum eſt præceptum audiendi Miſſam & vacandi ab operibus ſervilibus, nihil hac die fit de eo, ſed unà cum præcepto transfertur ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, protracto ad aliam diem quocumque alio Feſto in eâ occurrente, quod non ſit altioris ritus, ut decrevit *Sacra Rituum Congregatio, approbante Alexandro Octavo ſub die 11. Februarii, & 11. Martii* 1690. ita in Bullar. Roman. noviſſimæ editionis Luxemburgenſis, *tom. 9. par. 1. poſt Conſtit.* 21. *pag.* 72. & ex mea Collectione de Sacris Ritibus tradit La Croix *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 6. par. 2. tract. 4. ſub num.* 2055. *Decreto* 296. An verò idem dicendum de Patrono principaliori Loci affixum habente tale præceptum audiendi Miſſam & vacandi ab operibus ſervilibus, ſi alicubi incidat in Sabbatum Sanctum? Primo intuitu videtur reſpondendum affirmativè, nam ubi militat eadem ratio, eadem regula ſequenda eſt. At revera negativa pars eſt firmiter tenenda: ſiquidem eſt Privilegium ſpecialiter Annunciationi conceſſum: quod autem conceditur per Privilegium, ſine illo fieri non poteſt, *leg. Jus ſingulare* 15. *ff. de leg.* Baldus *conſil.* 281. *ſub num.* 7. *lib.* 5. ideoque caſus ſpecialis non traditur in exemplum. 321

Unde hoc Anno 1734. in quo ſcribo, Ferrariæ conceſſa fuit facultas transferendi etiam cum Octava Feſtum præceptivum S. Georgii Martyris Patroni principalis, ibidem die Aprilis vigeſima quarta Occurrentis, & ideo in Sabbato Sancto, & Decretum anticipatè emanatum ſub die 23. Auguſti 1732. eſt tenoris ſequentis, videlicet: *Ferrarien..... Porrectis* 322

ctis in Sacra Rituum Congregatione non minus Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Ruffo Epiſcopi, *quàm humillimis Capituli Cathedralis Ferrariæ inſtantiis, pro translatione Officii & Miſſæ cum Octava, Sancti Georgii Martyris, illius Civitatis & Diœceſis Protectoris Principalis, ac præfatæ Cathedralis Titularis*, *in Hebdomada majori occurrentis*, *ſupplicantium*, *eiſque relatis: Sacra eadem Congregatio dictum Officium*, *quando in Hebdomada majori occurrat*, *ad Feriam tertiam poſt Dominicam in Albis*, *in Civitate & Diœceſi prædictis*, *unà cum Octava*, *juxta petita transferendum eſſe benignè conceſſit*. *Die* 23. *Auguſti* 1732..... *A. T. Card. Zondadari Pro-Præfectus.... N. M. Ted. Archiep. S. R. C. Secret.* Unde benè in Calendario Ferrarienſi hujus Anni 1734. adnotatum fuit die quarta Maji, quæ fuit Feria illa tertia in Decreto aſſignata, Feſtum Sancti Patroni, cum translatione S. Monicæ Viduæ eà die occurrentis. At ſi in aliqua Eccleſia illius Civitatis vel Diœceſis occurriſſet Dedicatio propria, Feſtum S. Georgii fuiſſet in ea ulterius transferendum, & celebranda Dedicatio, juxta Gavantum *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub numer.* 7. Patet ex dictis, quòd ubi non habetur ſpeciale quoad hoc Privilegium, Feſtum Patroni principalis in Sabbato Sancto occurrentis, transferendum eſt juxta Rubricas Breviarii: ideoque Genuæ in Liguria, ubi caſus idemmet Ferrarienſis, quia nullum obtentum fuit Privilegium determinatæ translationis cum affixione Diei poſt Dominicam in Albis, & cum Octava, translatum fuit Feſtum S. Georgii Martyris Patroni Principalis, quod hoc eodem Anno 1734. occurrebat in Sabbato Sancto, ad Diem undecimam Maji omninò liberam juxta Rubricas, ut clarè patet ex Calendario ejuſdem Anni, quod modò præ manibus habeo, & ſub oculis teneo: ex quo legitimè infertur, quòd in hujuſmodi caſibus tot debent eſſe ſpecialiter privilegiatæ Eccleſiæ, quot ſunt caſus ſimiles.

Quoad denique tertiam primæ Dubitationis partem: quid ſcilicet agendum de Miſſis Votivis ſolemniter celebrandis, & in Sabbato Sancto occurrentibus? 323

tibus? Non eſſe hodie cantandas reſpondendum eſt, licèt pro re gravi, ut benè notat Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *ſub numer.* 45. & ratio eſt, quia ſi non poteſt cantari de Feſto occurrente, (ut ſupra diximus) quod certè aliquid habet juris in ſua die, multo minus cantari poterit Votiva, quæ eſt inferioris occurrentiæ reſpectu Feſti eadem die venientis & ritum ſpecialiter habentis primæ claſſis. Et reverà cùm in Congregatione Valliſoletana Ordinis Sancti Benedicti Hiſpaniarum adeſſet immemorabilis conſuetudo cantandi ſingulis diebus Miſſam Votivam de Beata Virgine, dum tamen ſupplicatum fuit pro confirmatione, Sacra Rituum Congregatio ſub die 19. Novembris 1633. approbavit quidem, quibuſdam tamen exceptis diebus, inter quos tota reperitur Hebdomada major, & conſequenter Sabbatum Sanctum, ut retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 2. *ſub num. margin.* 2620. *pagin.* 537. Sed & clarè patet ex eo, quòd neque in eadem Eccleſia, in qua duo adſunt Capitula Miſſam ſolemnem quotidie diverſis horis celebrantia, poſſunt cantari duæ Miſſæ de die in Sabbato Sancto: ut pro Eccleſia S. Ambroſii Mediolanenſis, in qua ſunt duo Collegia, unum Canonicorum Sæcularium, alterum verò Monachorum Ciſtercienſium, decrevit *Urbanus Octavus in Bullar. Roman. tom.* 5. *Conſtitut.* 151. *qua incipit* : Gregis Dominici, *emanata anno* 1630. *ſub die* 7. *Decembris*, quòd licèt quotidie ibi cantentur duæ Miſſæ, una poſt alteram ab unoquoque Capitulo, attamen in Sabbato Sancto una tantùm canatur à Capitulo, cui contingit per turnum, ut dixi in mea Collectione de Canonicis, *ſub num. margin.* 717. *juxta ſecundam editionem Paternam de Anno* 1722. Et confirmatur ex duobus Decretis Sacræ Rituum Congregationis ſupra citatis & editis ſub diebus 11. Februarii & 11. Martii 1690. in quibus translato Feſto Annunciationis occurrente in Sabbato Sancto ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, ſic poſtea dicitur: *& unica tantùm Miſſa Conventualis unà cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur*; ergo nulla alia Miſſa

Votiva canenda eſt: quòd clariùs dixit *Clemens Undecimus in Conſt.* 17. *edita anno* 1712. *ſub die* 15. *Martii, in ſuo particulari Bullario*; *tom.* 2. ubi reverà ſic habetur: *Sanctitas Sua non intendit, quòd in Sabbato Sancto celebretur alia Miſſa, ſed ſolùm Conventualis.*

Circa ſecundam Dubitationem: An in Sabbato Sancto cani poſſit Miſſa pro Defunctis in Die Obitus 324, præſente Corpore? Ad hoc Dubium abſque dubio reſpondet affirmativè Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 286. ubi ſic argumentatur: Rituale Romanum excipit tantùm magnam Diei celebritatem: ſed hæc magna celebritas non occurrit in Sabbato Sancto: ergo in Sabbato Sancto poteſt celebrari ſolemniter pro Defunctis in Die Obitus. Sed huic Paſqualigi argumento videtur neganda minor. Quomodo enim non occurrit magna celebritas in Sabbato Sancto, in quo Officium eſt duplex primæ claſſis? in quo verè incipit Octava Paſchæ? in quo fit illa tam ſolemnis Cerei & Fontis Benedictio? in quo ipſe Epiſcopus celebrat; qui ex Cæremoniali Epiſcoporum celebrat dumtaxat in ſolemnioribus Anni Feſtivitatibus? Sabbatum igitur Sanctum firmiter tenendum eſt pro una ex illis magnis celebritatibus, quas obſtare dicit, & ideo excipit Rituale præfatum *tit. de Exequiis*; *ſub rubric.* 5. Attamen hodie contra Paſqualigum clarè patet hæc veritas ex tribus ſupra relatis Decretis Alexandri Octavi, & Clementis Undecimi, in quibus omnibus ſpecificè præſcribitur *una tantùm Miſſa Conventualis*, ubi ſub nomine unius intelligitur excluſa quæcumque alia Miſſa ſolemnis, etiam pro Defunctis in Die Obitus. Præterquàm quòd, cùm Officium Sabbati Sancti ſit duplex primæ claſſis, omnia hujuſmodi duplicia obſtant prædictæ Miſſæ, ita ut cantari non poſſit in Die Obitus, etiam præſente Corpore, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio in Colòen. ſub die* 5. *Julii* 1698. *ad* 8. *Dubium*: quam reſolutionem, unà cum nonnullis aliis eodem die emanatis, ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii: & etiam

retuli-

retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub nu-*
mer. margin. 1117. *pag.* 370. *juxta editionem Paternam*
de Anno 1730. ac tradit etiam P. Merati *tom.* 1.
par. 2. *in Indice*, *num.* 525. Dubitari tamen poteſt,
an patrii mores Durandi ſint ampliùs retinendi, ita
ut data occaſione Sepulturæ, ſit cantanda in hoc
Sabbato Miſſa pro Defuncto, præſente Corpore,
ut ſentit Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 5. *lit.* X. Sed
cùm majores Anni celebritates ad excluſionem hu-
juſmodi Miſſæ, ſint ex dictis omnia duplicia pri-
mæ claſſis, & Sabbatum Sanctum ſit unum ex di-
ctis duplicibus, videtur nova Lex ſervanda, etiam
ubi viget conſuetudo ſepeliendi Defunctos ſimul
cum Miſsa: nec video oriri ſcandalum à Gavanto
ſuppoſitum, ſi in hoc Sabbato Sancto ſepeliatur Ca-
daver ſine Miſsa ſolemni in Die Obitus: Lex enim
tollit ſcandala, non introducit.

Circa tertiam, & ultimam Dubitationem, ſcili- 325
cet: An celebrari poſſint in Sabbato Sancto Miſsæ
privatæ de Die? Negativè reſpondendum eſt, &
firmiſſimè tenendum nullo modo poſſe celebrari:
id etenim abſolutè & expreſsè prohibet Alexander
Octavus in prælaudatis duobus Decretis de die 11.
Februarii, & 11. Martii 1690. in quibus ſic clarè
habetur: *In Sabbato Sancto celebrationes Miſſarum pri-*
vatarum omninò prohibeantur in quibuſcumque Eccleſiis,
& Oratoriis privatis, non obſtante quacumque contra-
ria conſuetudine. Et Clemens Undecimus poſtmodùm
confirmavit, nam in Edicto Urbis emanato ſub die
15. Martii 1712. ita ſervari præcepit: *Sanctitas Sua*
non intendit, quòd in Sabbato Sancto celebrentur Miſſæ
privatæ: Licèt autem in Decreto Sacræ Rituum
Congregationis edito ſub die 17. Novembris 1607.
inter ſpecificam Feſtorum ſolemniorum exceptionem
pro Oratorio privato Indultum Apoſtolicum haben-
te non connumeretur hoc Sabbatum, ut videre eſt
in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. mar-*
gin. 293. ubi pluribus citatis illud refero: attamen
ex nova Lege exceptum intelligitur, & diebus in
eo contentis ſuperadditum. Ex prædictis ergo tri-
bus Decretis uniformiter & clarè prohibitionem

Miſſarum privatarum exprimentibus; corruit nonnullorum Auctorum opinio conſtanter tenentium, poſſe in prædicto Sabbato Sancto celebrari Miſſas privatas de Die: inter quos, citata Doctorum caterva, eſt Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom. 1. tract. 1. quaeſt.* 358. ubi non ſolùm admittit Miſſas privatas ſecretò, ſed etiam publicè: *& quaeſt.* 560. iterum publicè admittit, ſi in Sabbato Sancto occurrat Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, in quo caſu non Votivam, ſed de Die tenet eſſe dicendam; ſed quoad hoc non eſt ampliùs audiendus. Imo dato, quòd in aliqua Eccleſia adeſſet Altare Privilegiatum pro Defunctis in qualibet Anni Sabbato, certè in Sabbato Sancto Privilegium ceſſaret, quia non dicuntur Miſſæ privatæ de Die.

Diximus ſupra, & probavimus, quòd in Sabbato Sancto non poteſt cantari Miſſa Defunctorum 326
in Die Obitus, utcumque urgeat præſentia Corporis in Eccleſia. Nunc remanet videndum, an ſepeliendi ſint Defuncti hac die. Mihi, ut verum fatear, videtur, non eſſe hodie aperienda ſepulchra: ſed ſi neceſſitas cogat, reponi debent Cadavera in remotiori Eccleſiæ loco, ibique, & non in publico Choro Officium ſine cantu erit recitandum, juxta ſequens recentiſſimum Decretum Sacræ Rituum Congregationis, emanatum *in Placentina, anno* 1736. *ſub die* 11. *Auguſti*, ubi ſic reſolutum fuit, nempe: *In ſecundo triduo majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari Exequiæ Defunctorum; & Officium, & Preces recitentur privatim*: ſed in dicto ſecundo triduo includitur, ut clare patet, Sabbatum Sanctum: ergo in Sabbato Sancto Cadaver eſt ſepeliendum privatim, non publicè, quia nec publicè cantandum eſt Officium pro illo Defuncto. In Exequiis verò Parvulorum in Feria quinta, & ſexta, & Sabbato Sancto dictæ majoris Hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in Pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis, in quo *Gloria Patri* tacetur, ut hiſce præciſis verbis reſpondit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Hiſpalen. anno* 1677. *ſub die* 16. *Januarii*;

utrum-

utrumque enim Decretum refert Reverendiſſimus P. Cajetanus Maria Merati, ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Conſultor; *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num. 451. & 690.*

§. V.

De Die Sancto Paſchæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

PAuca occurrunt dicenda in hoc Feſto, inquit Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par. 4. cap. 12. ſub numer. 1. pag. 265.* Pauciora verò habet Piſcara Caſtaldus *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 1. ſub num. 1. pag. 429.* Gavantus itidem breviter ſe expedit, tam de Miſsa *tom. 1. par. 4. tit. 11.* quàm etiam de Officio *tom. 2. ſect. 6. cap. 14.* Ego verò prolixior ero; nam ſi magno & ſingulari ſtudio iſta à nobis eſt colenda Feſtivitas; quæ omnium Eccleſiaſticarum Solemnitatum Solemniſſima prædicatur, non video quomodò tam reſtrictè diſſerendum ſit de ea. Sanè tam jucundam Solemnitatem, tam miram veri Luminis claritatem, tam ſplendidam Gratiæ celſitudinem, omnis ſexus agnoſcere, omnis ætas in mente habere, omnis debet conditio ſuſcipere: Neſcire enim, calamitatis: non habere, captivitatis: non diligere, damnationis: Siquidem Paganus, quia neſcit, miſer eſt: quia non habet Judæus, captivus eſt: damnatus eſt Hæreticus, quia non diligit, ait Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib. 6. cap. 27. de Paſcha, pag. mihi 377.* Ut igitur Eccleſia nobiliorem induit apparatum, cum religioſa Altarium pompa, ac decenti illuminatione, ita & Populus in ſua quiſque Parochia debet hodie frequens adeſſe ad Divinorum auditionem Officiorum, invitatus à Regio Prophe- 327

ta Pſalm. 117. verſic. 26. *Conſtituite Diem ſolemnem in condenſis* (id eſt, in frequentationibus, ſeu in multitudine) *uſque ad cornu Altaris* : ne Jeremias ſuas renovet lamentationes, *eo quòd non ſint, qui veniant ad Solemnitatem* . Ut igitur abſque alia mora incipiamus ab hodierno Officio : Dies Sanctus Paſchæ, ſeu Dominica Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo, & annexum habet præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Nullum Officium eſt iſto dignius, & ideo quodcumque aliud hac die occurrens, etiam duplex primæ claſſis quavis ſolemnitate celebrandum, transfertur in primam diem non impeditam poſt Dominicam in Albis, & quidem ſine Octava, niſi ſpecialiter ſit alicui Eccleſiæ vel Religioni etiam in hoc caſu conceſſa: Et ideo ſi Paſcha incidat in diem vigeſimamquintam Martii, ut in Tabula quarta Ordinis perpetui, Camerini in Marchia Anconitana transfertur Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Titulare illius Eccleſiæ Cathedralis, & conſequenter duplex primæ claſſis: Si verò veniat die decimatertia Aprilis, ut in Tabula vigeſimatertia, Ravennæ in Romandiola transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de Dedicatione Eccleſiæ Majoris: Si autem Paſcha occurrat die vigeſimaquinta ejuſdem Aprilis, ut in Tabula trigeſima quinta hujus Anni 1734. in quo ſcribo, Venetiis transferetur Feſtum S. Marci Evangeliſtæ noſtri præcipui Patroni, quòd ideo ritu duplici primæ claſſis eſt decoratum.

Piſcara *diſt. cap.* 2. *ſub numer.* 2. *pag.* 429. notat, quòd Matutinum pro die Paſchæ ſolemniter celebratur ante Auroram, qua hora reſurrexiſſe Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum credimus. Attamen quoad hoc poteſt eſſe praxis aliquarum Religionum, ſed non omnium Eccleſiarum: Unde dictus Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *libr.* 3. *cap.* 20. *ſub num.* 1. *pag.* 195. advertit ſuos, ut in die ſancto Paſchæ ad Matutinum pulſetur paulò ante Auroram, ut de more illorum Religioſorum, 328

non

non verò de ritu univerſali. Quapropter Bauldryus *dict. cap.* 12. *ſub num.* 1. *pag.* 265. non loquitur abſolutè, ſed dicit decere, ut Matutinæ ſolemniter ſaltem ante Auroram celebrentur. Commendo nihilominus hunc morem, ſed nullam circa hoc invenio Rubricam, & certè Gavantus nullibi mentionem facit, quem ſcio vidiſſe Piſcaram, dum non ſemel eum citat. Habet tamen Matutinum hodiernum aliquas ſingularitates, per quas diſtinguitur à conſueta ejus recitatione. Præmiſſis etenim *Pater noſter*, atque *Ave Maria* una cum *Credo*, nec non *Domine, labia mea aperies*, ſicuti etiam *Deus in adjutorium*, cum *Gloria Patri*, & *Alleluja*, incipitur quidem à lætitia Reſurrectionis in Invitatorio dicendo, *Surrexit Dominus verè Alleluja*, ſed non dicuntur Hymni, neque per Octavam, ob rationem allatam à Durando *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 87. *ſub num.* 2. *pag. mihi* 247. *à tergo*, quem ſequitur Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 14. *ſub num.* 2. quia ſcilicet Tempus Paſchale ſignificat ſtatum Beatorum, quorum Hymnus eſt *Alleluja*. Neque dicuntur *Capitula*, quia cùm in Capitulis contineatur exhortatio, in ſtatu Beatorum non eſt locus exhortationi, proſequitur Gavantus *loco citato*, *ſub numer.* 3. Dicuntur deinde tres tantùm Antiphonæ cum tribus Pſalmis, treſque Lectiones cum tribus Reſponſoriis: quia ſicuti heri in Sabbato Sancto paravimus per ſolemnem Fontis Benedictionem materiam Baptiſmi, ita hodie per repetitam ternarii numeri appoſitionem docemur Baptiſmatis formam, quam poſt Reſurrectionem ſuam Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolis tradidit, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Illæ tres numero Lectiones quæ hiſce Diebus infra hanc Octavam dicuntur ad Matitunum, denotant magiſterium, ſiquidem Chriſtus ante traditam Baptiſmi formam, præmiſit: *Docet omnes Gentes*, ſcilicet myſterium Trinitatis, quod in trinis Lectionibus ſignificatur. Et quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, 329

ctus, & hi tres *unum* ſunt: & quia in Triſagio Angelico ter dicitur, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, & ſemel *Dominus Deus Sabaoth*, hæc Perſonarum Divinarum Trinitas benè notatur in trino numero Antiphonarum, Pſalmorum, Lectionum, & Reſponſoriorum: Unitas verò Deitatis benè ſignificatur in uno ſolo Nocturno hac die recitando, & per Octavam, quæ tota unum Diem conſtituit. Præterquam quòd dictus ternarius numerus ſatis ſuperque explicat, quòd Chriſtus tertia die ſurrexit à mortuis. Hic autem ritus ſic recitandi Matutinum eſt antiquiſſimus, & certè multo ante Gregorium Septimum, nam iſte Pontifex, dum confirmat, declarat vetuſtum: in ſuo enim Decreto per Gratianum *de conſecrat. diſt.* 5. *cap.* 15. relato, ſic ait: *In Die Reſurrectionis uſque in Sabbatum in Albis tres Pſalmos tantùm nocturnos, treſque Lectiones antiquo more cantamus, & legimus*, ut refert Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum *lib.* 2. *c.* 72. *verſ. Hodiernum Officium*, *pagin.* 332. Gregorius verò Septimus creatus fuit anno 1073. 22. Aprilis, & obiit anno 1085. 25. Maii, & tamen ritum non inſtituit novum, ſed confirmavit antiquum.

Ad Laudes Antiphonæ ſunt propriæ, quæ etiam inſerviunt toti Octavæ, nempè *Angelus autem Domini*: Pſalmus verò *Dominus regnavit*, cum reliquis de Dominica in Pſalterio. *Capitulum* tamen, & *Hymnus*, ut ſupra diximus, non dicuntur, ſed eorum loco dicitur Antiphona *Hæc Dies*, *quam fecit Dominus*, deſumpta à Pſalmo centeſimo decimo ſeptimo, cui titulus eſt *Alleluja*: & ſignificat lætitiæ magnitudinem, nam in ſtatu Beatorum, ſibi invicem gaudent & gratulantur, ut ex Honorio Auguſtodonenſi *in Gemma Animæ*, *lib.* 3. *cap.* 128. dicit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 14. *ſub num.* 5. Poſtmodùm dicitur Antiphona propria ad *Benedictus*: qua repetita, recitatur *Oratio*, & quidem unica, licèt occurrat Feſtum ſimplex, de quo hodie nihil: & ad *Benedicamus Domino* duo adduntur *Alleluja*, ſicuti etiam ad *Deo gratias*, & ſic per totam Octavam. Ad Primam verò, poſt *Deus in adjutorium*, 33 cum

cum *Gloria Patri*, dicuntur tres Pſalmi conſueti, ut in Feſtis; ſine Symbolo S. Athanaſii, quia in ſtatu Beatorum non eſt Fides: qui ſtatus repræſentatur in Chriſti Reſurrectione, ait Gavantus *loco citato*, *ſub numer.* 6. ſed & tacetur etiam, quia non dicitur ratione Rubricæ illud admittentis in Dominicis tantùm, quæ ſumunt Officium ex Pſalterio, non verò in hac Dominica ſolemni, neque in aliis, in quibus non fit de eis, excepta Dominica Trinitatis ratione myſterii, Finitis Pſalmis, dicitur Antiphona *Hac Dies, quam fecit Dominus*; poſteà Oratio, quæ ad Primam dicitur, ut in Pſalterio, ſcilicet, *Domine Deus omnipotens*.

Martyrologicus autem Lector, antequàm hodie ad Primam ad Kalendarum Lunariſque ætatis deveniat pronunciationem, dicat *Hac Die quam fecit Dominus, Solemnitas Solemnitatum, & Paſcha noſtrum: Reſurrectio Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem*: hoc enim ſpectat ad diem hodiernum, & ideo præmittendum: cætera verò ad ſequentem, & ideo poſtponenda. Dum autem dictus Lector annunciat Paſchalem Solemnitatem, omnes in Choro ſtant detecto capite: cùm verò Kalendæ dicuntur, omnes ſedent more ſolito, Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 1. *ſub num.* 2. & iterum in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 20. *ſub numer.* 3. *pag. mihi* 196. nec non & Bauldryus *in Man. Sacr. Caremoniar. pag.* 4. *cap.* 12. *ſub numer.* 1. *pag.* 265. Poſt Lectionem Martyrologii dicitur *Pretioſa in conſpectu Domini*, cum reliquis de more: & ad Abſolutionem Capituli dicitur Lectio brevis *Si conſurrexiſtis cum Chriſto*, ut in Pſalterio. Ad alias autem Horas, poſt Antiphonam *Hac Dies, quam fecit Dominus*, dicitur Oratio, quæ ponitur in Laudibus, nec tamen ad *Benedicamus Domino* adduntur duo *Alleluja*. Neſcio profectò (ut hoc obiter addam) cui rationi innixi aliqui Auctores traxerint opinionem cæteroquin à veritate aberrantem, ſcilicet, quòd *In Die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit precepto*: Unde jure merito damnata fuit hæc Propoſitio à Sacra Congregatione Univer- 331

ſalis

ſalis Inquiſitionis habita coram Alexandro Septimo ſub die 18. Martii 1666. *in Bullar. Roman. tom. 5. Conſtit.* 167. *ejuſd. Pontific. quæ incipit* Sanctiſſimus, *Propoſit.* 33. & referunt ferè omnes Theologi, ut dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub nu. margin.* 850. *pag.* 264.

§. VI.

De Miſſa in Die Sancto Paſchæ celebranda, ac etiam de Veſperis.

Miſſa in hoc Paſchæ Feſto eſt propria: & ante eam ſolemniter celebrandam fit aſperſio Populi cum Aqua pridie benedicta in Fonte Baptiſmali, & in hunc diem reſervata: quod intelligitur de Eccleſiis Fontem hujuſmodi habentibus, nam in Eccleſiis non habentibus Fontem fit aſperſio cum Aqua hodie benedicta, Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *cap.* 12. *ſub num.* 4. *pag.* 265. Quartus *tract.* 2. *de Benedict. tit.* 3. *ſect.* 1. *dubitat.* 4. *pag. mihi* 148. Barruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. tit.* 45. *ſub numer.* 16. *pag.* 261. qui tamen ſumpſerunt ex Miſſali in ejus fine, *de ordin. ad faciend. Aqu. bened.* ubi etiam, quòd hodie incipit Antiphona *Vidi aquam*, & ad Verſiculum *Oſtende nobis, Domine*, additur *Alleluja*. In hac Miſſa dicitur *Gloria*, & Oratio debet eſſe unica, etiamſi occurrat ſimplex, de quo hac die nihil: At ſi incidat Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, in Miſſa tantùm ſolemni dicitur ejus Collecta ſub unica concluſione, ex Decreto ſupra extenſo in Miſſa de Epiphania; & quoad Miſſas privatas ſufficit in hoc caſu, quòd Sacerdotes illum mentaliter habeant in *Memento Vivorum*. Poſt Graduale dicitur *Sequentia*, ſeu ut alii vocant, 332

Proſa

Proſa, quam eſſe antiquiſſimam, patet ex eo, quòd adhuc deſideratur Auctor hactenus incognitus, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub numer.* 3. Attamen Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 72. *pag.* 334. *verſ.* Quoad Miſſam, dicit, quod de hac Proſa nullus vetus Auctor meminit, niſi Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 87. *ſub num.* 5. *pag.* 247. *à tergo*, ait enim, quòd quidem faciunt certam cæremoniam ad Miſſam, cùm dicitur *Sequentia illa*: Sed ſaltem ex eo, quòd meminit Durandus, iſta Proſa eſt pervetuſta; ille enim ſcripſit circa Annum 1285. teſte ipſo Grancolas *diſſ. lib.* 2. *cap.* 81. *verſ.* 1. *pag.* 363. ergo *ſequentia* eſt multo antiquior Durando, & eo magis, quia Durandus nominat eam quodam modo antiquitatis, nam dicit *ſequentia illa*. Hæc tamen *Sequentia* antiquis temporibus longior erat: quartus enim verſus, videlicet, *Dic nobis, Maria, &c.* geminabatur ante *Angelicos teſtes*, & tertiò ante *Surrexit Chriſtus*, poſt quem verſum alius addebatur, ſcilicet, *Credendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quàm Judæorum turbæ fallaci*, ut habet Turrinus *in Director. Sacrifican. par.* 3. *ſect.* 3. *capit.* 1. *pag.* 181. *juxta edit. Venet. de Anno* 1732. In pleriſque Eccleſiis fiebat ad locum Sequentiæ quædam Repræſentatio, ſiquidem tres ſeniores Clerici retrò Altare, Mariarum formam, induebant, candido velo ſuper albam impoſito, & dum Chorus canebat *Victimæ Paſchali*, alter Chorus veniebat ad Altare, ubi erant Mariæ, & dicebat, *Dic nobis, Maria*: & ipſæ reſpondebant *Sepulchrum Chriſti viventis*: & poſteà Chorus ſubjungebat *Scimus Chriſtum*. Verum curioſitate, & riſu Populi factum eſt, ut hujuſmodi ſpectaculum ac cæremonia ſupprimeretur: ut refert Grancolas *loco citato, verſ. In pleriſque, pag.* 333. Invigilent igitur Epiſcopi, ne in Eccleſiis ſibi ſubjectis aliquid fiat, quod evellat & deſtruat devotionem, & non edificet & plantet & tollant de medio quaſcumque hujuſmodi conſuetudines etiam immemorabiles.

Cantato Evangelio in hac Miſſa de Die Paſchæ, 333
dicitur

dicitur *Credo* ſine intermedia Organi pulſatione ; juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. §. 10. *pag.* 168. ubi ſic habetur : *Cùm dicitur Symbolum in Miſſa, non eſt intermiſcendum Organum, ſed illud per Chorum cantu intelligbili proferatur* : Confeſſio enim noſtræ Fidei non eſt delectabiliter interrumpenda, ſed seriò continuanda. Quòd ſi in Die ſancto Paſchæ occurrat Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ut in Tabula quarta ordinis perpetui (& occurrentia fuit Anno 1731. & erit Anno 1742.) Celebrans cum Miniſtris, omneſque de Choro genuflectunt hodie ad verba Symboli *Et incarnatus eſt*, quia licèt transferatur Annunciationis Feſtum, hac die tamen recurrit myſterium Incarnationis. Præfatio hujus Miſſæ eſt illa heſterna, nempè, *Te quidem, Domine, omni tempore*, & ſtatim dicitur, *ſed in hac potiſſimùm die* : & ſic etiam ad *Communicantes* proprium legitur, *& diem ſacratiſſimum celebrantes* : quod ſemel dixiſſe ſufficiat pro tota Octava. *Hanc igitur* quoque eſt propria, & cum tota Miſſa ſit de Reſurrectione, dicta tamen *Hanc igitur* eſt pro Baptizatis, unde dicitur, *quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu Sancto*. Prædicta Præfatio eſt eadem numero in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 75. ſed Benedictio Epiſcopalis antiquitùs dari ſolita in Miſſa, de qua ſupra in Miſſa Sabbati Sancti, hodierna die erat ſequens, nempè : *Benedicat vos omnipotens Deus, hodierna interveniente Paſchali Solemnitate, & ab omni miſeratus dignetur defendere pravitate*. Amen. *Et qui ad æternam vitam in Unigeniti ſui Reſurrectione vos reparat, in ipſius adventu, immortalitatis vos gaudiis veſtiat*. Amen. *Et qui expletis jejuniorum, ſive Paſſionis Dominicæ diebus, Paſchalis Feſti gaudia celebratis, ad ea Feſta, quæ non ſunt annua, ſed continua; ipſo opitulante, exultantibus animis veniatis*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra, in Miſſa Sabbati Sancti.

Non tamen mihi videntur omittendæ aliæ duæ Præfationes, quarum prima olim dicebatur apud 334

Gallos : altera verò , quæ etiam hodie viget apud Ambroſianos in hoc Feſto Paſchæ . Illa ergo longior , quæ erat Eccleſiæ Gallicanæ , deſumpta ex Mabillonio *in Liturg. Gallic. l. 3. pag.* 253. ſequentibus concipiebatur verbis , videlicet : *Dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi hic , & ubique ſemper gratias agere , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus: Sed in hac die Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui gratulatio major exultat in cordibus noſtris . Hic eſt enim Dies , in quo nobis exorta eſt perpetua cauſa lætitiæ . Hic eſt Dies reſurrectionis humanæ , & vitæ natalis æternæ . Hic eſt Dies , in quo ſatiati ſumus manè miſericordia tua : quo nobis ille Benedictus , qui venit in nomine Domini , Deus noſter illuxit nobis . Hic enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus , adimplens Prophetias temporibus præſtitutis , viſitavit nos poſt biduum , die tertia reſurrexit . Hic eſt enim Dies tanti muneris benedictione ſignatus , qui hodierna feſtivitate gaudentibus in toto orbe mortalibus frequentatur . Quia omnium mors perempta eſt in Cruce Chriſti , & in Reſurrectione ejus omnium vita ſurrexit . Et nunc , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus , ſupplices deprecamur , ut hanc oblationem benedicere , & ſanctificare digneris , per Chriſtum Dominum noſtrum . Per quem , Majeſtatem tuam laudant Angeli , &c.*

Altera verò Præfatio quæ , juxta ritum Ambro- 335
ſianum noſtris etiam temporibus vigentem , reperitur impreſſa Mediolani in particulari illius Eccleſiæ Miſſali , eſt ea brevior , quæ ſequitur, diligenter tranſcripta , ſcilicet : *Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi , ſancte Deus omnipotens , gratias agere : nos devotas laudes referre , Pater inclyte , omnium Auctor & Conditor . Quia cùm Dominus eſſet Majeſtatis Chriſtus Jeſus Filius tuus , ob liberationem humani generis Crucem ſubire dignatus eſt . Quem dudum Abraham præfigurabat in filio , turba moſayca immaculati Agni immolatione ſignabat . Ipſe eſt enim , quem ſacra tuba cecinerat Prophetarum : qui omnium peccata portaret , aboleret & crimina . Hoc eſt illud Paſcha , Chriſti nobilitatum cruore , in quo fidelis Populus*

pulus præcipua devotione exultat . *O myſterium gratiâ plenum* ! *O ineffabile Divini muneris ſacramentum* ! *O ſolemnitatum omnium honoranda Solemnitas* ! *in qua* , *ut ſervos redimeret* , *mortalibus ſe præbuit occidendum* . *Quàm utique beata mors* , *quæ mortis nodos reſolvit* . *Jam nunc ſentiet ſe Tartareus princeps attritum* : *&* *nos de profundi labe eductî* , *ad Cœleſte Regnum conſcendiſſe gratulemur*. *Et ideo cum Angelis*, *&* *Archangelis* , *&c.* His de varia tum antiquarum , tum etiam hodiernarum Præfationum recitatione pronunciatis , reſtat , ut videamus quid adnotandum ſit uſque ad finem Miſſæ . Et certè nihil aliud remanet, niſi, ut ad *Ite miſſa eſt* duo addantur *Alleluja*, ſicuti etiam ad *Deo gratias* ; & hoc uſque ad Sabbatum ſequens in Albis incluſivè, in omnibus Miſſis, tam ſolemnibus, quàm privatis.

Pulcherrima quidem, & omni gravitate pollens, eſt cæremonia illa, quæ fit Hodie Venetiis in Ducali Baſilica S. Marci, ante Miſſam vero ſolemnem, quam Pontificaliter celebrat Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus pro tempore exiſtens ejuſdem Ducalis Baſilicæ Primicerius. Numeroſus enim ille cujuſvis ordinis Clerus ſolemnibus indutus Pluvialibus , exit Proceſſionaliter per Portam quæ dicitur S. Clementis , & rectà ad Scalam majorem ad ſiniſtram ſub Porticu contendit. Subſiſtit autem ſub Porticu Superioris Palatii, & facto Choro ab utraque parte, Reverendiſſimus Vicarius , comite Cæremoniarum Magiſtro , aſcendens Scalam Ducalem, occurrit Sereniſſimo Principi è Scala quam vocant Collegii deſcendenti , ubi, priùs facta debita reverentia , offert Candelam accenſam Suæ Serenitati : aliam Procuratori Eccleſiæ eo anno Capſario exiſtenti, qui hoc Proceſſionis itinere præcedit de more cæteros Oratores, & eſt propè Sereniſſimum Principem , ſed in reditu locum petit ſuum . Tertiam Candelam Reverendiſſimus Vicarius ſibi retinet . Quibus Candelis oblatis , prædictus Clerus ſumma modeſtia deſcendens è Scala majori Palatii , exit per Portam auream , & cùm Crux Proceſſionalis ingreditur Plateam, Campanæ pulſantur. Cùm per- 336

veneric

venerit autem Proceſſio ad Eccleſiam, omnes procedunt uſque ad ſecundam Januam majorem Eccleſiæ, quæ clauſa eſt, & omnes aliæ clauſæ ſunt: & facto Choro inter duas illas Januas majores ſub Porticu Eccleſiæ, intrat etiam Sereniſſimus Princeps in idem atrium, ſeu Porticum cum Procuratore, & Oratoribus. Reverendiſſimus Vicarius accedit ad Januam clauſam, & pulſat ter cum annulo æneo pendente ex ipſa, tribus ictibus pro qualibet vice. Et Cantores interiùs cantant: *Quem quæritis in Sepulchro, Chriſticolæ?* Et illi de foris extrinſecùs cantantes, reſpondent: *Jeſum Nazarenum Crucifixum, ò Cælicolæ*: Et illi deintùs dicunt: *Non eſt hic, ſurrexit, ſicut prædixerat*: *Ite nunciate, quià ſurrexit, dicentes*. Quo facto, iterum dicunt, qui deintùs ſunt: *Venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus: Alleluja, alleluja*. Cùm autem dicunt, *Venite, & videte*, panduntur fores Eccleſiæ, & omnibus in eam ingredientibus, procedit Clerus ordinatè contra Sepulchrum. Ad quod cùm Sereniſſimus Princeps pervenerit, ſiſtit ſe, facie ad Sepulchrum verſa. Tunc Reverendiſſimus Vicarius aſcendit, & immiſſo capite utrinque, erigens ſe, verſa facie ad Sereniſſimum Principem in porta Sepulchri, cantat verſiculum, *Surrexit Chriſtus*: & Chorus reſpondet, *Deo gratias*. Deinde in medio ſpatio Chori hinc inde ad Sepulchrum exiſtentis idem decantat, aliquantulùm extollens vocem: & Chorus eo modo, quo ſupra, reſpondet. Tertiò canit apud Sereniſſimum Principem in debita diſtantia, ſemper exaltando vocem, *Surrexit Chriſtus*: & Chorus reſpondet *Deo gratias*. Poſtea Sereniſſimus Princeps cum Excellentiſſimo Senatu aſcendit Chorum, & cantatur Miſſa plenis Organis reſonante omnium vocum muſicalium devota ſimul & læta harmonia. Hæc omnia habentur in Rubrica impreſſa Officii Hebdomadæ Sanctæ, ſecundùm conſuetudinem hujus Ducalis Baſilicæ, cui per nonnullos annos ego inſervivi.

In Eccleſia verò Cathedrali hodie Epiſcopus, niſi aliquo legitimo impedimento fuerit præpeditus, 337

Miſ-

Miſſam ſolemnem omninò celebrare debet, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 29. §. 1. pag. 389.* Servatis omnibus, quæ de Miſſa ſolemni, Epiſcopo celebrante, præſcribuntur *dicto lib. 2. cap. 8. pag. 223.* exceptà tamen ante Miſſam aſperſione Aquæ benedictæ, quæ dum Epiſcopus ſolemniter celebrat, non eſt facienda, *dicto lib. 2. cap. 31. §. 4. pag. 398.* In hodierna tamen Miſſa fit Communio generalis per ipſum Epiſcopum, eo quidem ordine, qui traditur *dicto lib. 2. cap. 29. à §. 3. uſque ad 6. incluſivè.* Romæ autem Papa cantat Miſſam, in qua. cùm communicaverit ſe, & Diaconum ac Subdiaconum, ſe purificat, ſed digitos non abluit. Tunc Diaconus Evangelii accedit ad ſiniſtram Papæ in Solio ſine Mitra ſtantis pro honore SS. Sacramenti in Altare poſiti, ſtanſque dicit in tono conſueto *Confiteor Deo &c.* quo dicto, Diaconus revertitur ad Altare ad locum ſuum. Tum Papa ſtans ſine Mitra, tenente Librum Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, dicit in cantu more ſolito, *Miſereatur veſtri &c.* deinde, *Indulgentiam, abſolutionem, &c.* & Cardinali Epiſcopo à dextris ſibi aſſiſtente, Patenam cum pluribus Hoſtiis tenente, facit Communionem generalem unicuique dicens, *Corpus Domini noſtri, &c.*

Quòd ſi Imperator, aut Rex aliquis eſſet hodie à Papa communicandus, tunc poſtquam Papa communicavit ſe, & Diaconum ac Subdiaconum, Diaconus dicto ante Pontificem *Confiteor Deo, &c.* vadit ad Altare, & unam tantùm Hoſtiam ponit ſuper Patenam pro Imperatore, vel Rege: factiſque circulis conſuetis, illam dat Subdiacono ad Pontificem deferendam. Imperator, vel Rex deducitur à priore Epiſcoporum Cardinalium ad pedes Pontificis, & recipitur ad oſculum oris. Poſtremo ab eodem Cardinali ducitur ad Altare, & per manus Diaconi purificat, & reducitur ad ſedem ſuam à Cardinali eodem: Deinde portantur aliæ Hoſtiæ pro Diaconibus Cardinalibus, & aliis. Hoc ſervatum fuit tempore Innocentii Sexti, cùm Petrus Rex Arogonum venit ad Romanam Curiam anno 1386. ut habetur in quodam Libro Coloniæ Agrippinæ 338

im-

impreſſo 1557. cui titulus: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Caremoniarum SS. Romanæ Eccleſiæ Libri tres*, ubi prædicta leguntur *lib.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 1. *pag.* 136. *&* 139. ubi etiam ait, quòd Communione facta, Papa facit reverentiam Sacramento, & Subdiaconus reportat Hoſtias, quæ remanſerunt, ad Altare, ubi manent uſque ad finem Miſſæ. Tunc Papa ſedet, & priore Preſbiterorum Cardinalium infundente vinum ſupra Patenam auream, Pontifex abluit digitos ſine Mitra, qua poſtea accepta, lavat manus more conſueto. Deinde deſcendit ad Altare, & finitur Miſſa, & eà finita, ſtans in Altari ſine Mitra, dat Benedictionem, ſed non Indulgentias, nam poſtmodùm comitatus ab Officialibus, & Prælatis omnibus paratis, vadit ad locum Benedictionis publicæ, ubi ſub Baldachino ſolemniter benedicit Populum, & dat Indulgentias Plenarias, quas Diaconus à dextris pronunciat Latino, & alius à ſiniſtris Vulgari idiomate.

Ex occaſione Communionis antedictæ, quam Summus Pontifex in Die Sancto Paſchę adminiſtrat & 339
etiam Epiſcopus in ſua Eccleſia Cathedrali, illud hoc proprio loco adnotandum venit, quod docet Rituale Romanum *de ordin. miniſtrand. Sacr. Commun.* nempè, quòd Sacerdos, qui Sanctiſſimam Euchariſtiam adminiſtrat, ad Antiphonam *O Sacrum Convivium* debet addere hoc tempore Paſchali *Alleluja*; ſicuti & aliud ad Verſiculum *Panem de Cælo &c.* & dicere Orationem hujus temporis, ſcilicet, *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, &c.* Et quia in qualibet Eccleſia Parochiali fit hodie Communio generalis pro adimplendo præcepto Eccleſiæ, ut in Canone *Omnis utriuſque ſexus*, ideo Sacriſta paratas habeat in uno vel pluribus vaſculis ſuffiicentes Hoſtias conſecratas in Tabernaculo. Quòd ſi præ multitudine Communicandorum forſitan agnoſcat eas non ſufficere, invigilut, ut aliæ iterùm conſecrentur, ne deſint. Sacerdos verò, ſi dum vadit ad Altare celebraturus, fiat Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec & quouſque Communio terminetur, ut ad decimum nonum Dubium

reſpondit *Sacra Rituum Congregatio in Collen. ſub die* 5. *Julii* 1698. quæ Reſolutio apud me manet in forma authentica, ut dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 1128. *pagin.* 372. & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 1. *in Indice ſub num.* 532. Poſt factam autem adorationem genibus flexis, & capite detecto, quando Sacerdos ſe erigit, caput cooperiat, & cum birreto capiti impoſito vadat ad Altare, in quo eſt celebraturus, ut confirmatur Decreto de Anno 1638. ſub die 7. Septembris, ſtatuit *Clemens XI. in Bullar. Roman. editionis noviſſima tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit.* 9. §. 5. *emanata Anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*. Quoad verò notanda circa Communionem Paſchalem, cùm hæc non ſpectet ad Rubriciſtas, ſed ad Theologos & Canoniſtas, ideo Parochialium Eccleſiarum Curati videant potiùs, ſi placet, meam Collectionem de Parochis Sæcularibus, & Regularibus, vel alteram de Confeſſariis utriuſque Cleri, ubi nonnulla invenient Decreta ad hanc rem emanata, ex quibus, dum volunt obſervantiam Præcepti Eccleſiaſtici in Eccleſia Parochiali, intacta præſervantur etiam quoad hoc Jura Parochialia: nam omni quidem tempore, ſed in hoc potiſſimum Paſchali illud Evangelii debet verificari de Parochis & Parochianis: *Ego cognoſco Oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan.* 10.

Abſente verò Epiſcopo in Eccleſiis Cathedralibus, & in Collegiatis, aliquis Canonicus, ſeu Dignitas, vel is, ad quem de conſuetudine ſpectat hac die Paſchæ celebrare in abſentia Epiſcopi, paretur in Sacriſtia more ſolito cum Pluviali albo, & accedat ad Altare, medius inter Diaconum & Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipſis convenientibus: & factà Altari reverentia, ac ſalutatis hinc inde Canonicis, accepto de manu Diaconi Aſperſorio cum Aqua Benedicta, dicens *Vidi aquam*, proùt in Miſſali, aſpergit primò Altare, deinde ſeipſum, mox Diaconum & Subdiaconum, tum alios Canonicos, & omnes de Choro, & Populum more ſolito. Quo facto depoſito Pluviali, capiet Planetam, & factà iterum reverentia Altari, & 340

Ca-

Canonicis, inchoabit Miſſam, quam proſequitur more ſolito, ſecundùm Rubricas Miſſalis. Poſtquam Celebrans Sanguinem ſumpſerit, & antequam ſe purificaverit, & digitos abluerit, dictà confeſſione per Diaconum, nempè, *Confiteor Deo*, *&c.* communicabit primò Diaconum & Subdiaconum, ſi non ſint Sacerdotes qui hac die celebrent, deinde ſingulos Canonicos, Beneficiatos, ſeu Manſionarios, Clericos, & Cantores, non Presbyteros, ac etiam ſuo loco Officiales, Magiſtratus, ſi adſint, & communicari voluerint in hac Miſſa. Cæteri verò de Parochia utriuſque ſexus communicari poterunt in alio Altari, ſeu Capella ad hoc præparata, per Parochum, ſeu Sacriſtam, ubi continuè, tam ante Miſſam majorem, quàm poſt, ac etiam dum Miſſa decantatur, ſecundùm concurſum & frequentiam Populi, adſit Curatus Eccleſiæ, vel alius Sacerdos, qui Communionem præbeat ſingulis accedentibus: qui locus, ſeu Cappella non debet eſſe in conſpectu Altaris majoris, ſed in navi, ſeu loco ſeparato, ita ut, quoad fieri poſſit, non videatur ab his, qui Miſſæ majori interſunt, ne continuè genuflectere cogantur, propter reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti. Finita Communione, Celebrans ſe purificabit, & abluet digitos, & proſequetur Miſſam more ſolito. Hucuſque Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 30. *per tot. pagin.* 394.

Expoſitis, quæ de manè agenda ſunt, tranſeamus ad Veſperas. Ad has igitur ſive ſolemniter 341
cantandas, ſive recitandas privatim, dicitur Antiphona *Angelus autem Domini* cum reliquis de Laudibus; Pſalmus verò *Dixit Dominus* cum reliquis de Dominica in Pſalterio. Deinde dicitur Antiphona *Hæc Dies, quam fecit Dominus*, *&c.* quam in ſolemni Veſperarum decantatione Officiator intonat ſolemniter, Bauldrius *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 12. *ſub num.* 5. *pag.* 265. & tono ſolemni eſſe inchoandam à Celebrante, dicit Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 20. *ſub numer.* 5. *pag.* 196. & Chorus canendo proſequitur. Poſtmodum

dicitur Antiphona ad *Magnificat*, & ea poſt Canticum repetita, Officiator cantat Orationem, quæ debet eſſe unica, licèt Feria ſecunda ſequenti occurat Feſtum ſimplex, quia eo Anno omittitur, Anno ſequenti non impedito reſumendum. *Ad Benedicamus Domino*, ſicuti etiam ad *Deo gratias* duo adduntur *Alleluja*, & ſic per totam hanc Hebdomadam. Ut autem aliquid ex priſcis temporibus ſumamus, Pſalmi Veſperarum dividebuntur, nam *Dixit Dominus*, *Confitebor*, ac *Beatus vir* dicentur quidem in Choro, ſed *Laudate Pueri*, & *In exitu Iſrael* cantabuntur ad Fontes Baptiſmales. Ratio autem hujus antiqui ritus eſse poteſt, quia *Laudate Pueri* ſpectat ad Baptizatos, nam Neophyti facti ſunt Pueri à vitiis eſpurgati, unde Nicodemo dicenti: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex*? reſpondit Chriſtus: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Alter verò Pſalmus ſpectat ad Baptiſmum, ſcilicet, *In exitu Iſrael*, quia in eo fit mentio Jordanis, qui fuit locus Baptiſmi: & dicitur: *Qui convertit rupem in Fontes aquarum*, quod intelligi poteſt de Baptiſterio ſemper lapideo in quo eſt verus Fons aquarum viventium: & Chriſto redduntur gratiæ, quia *Dominus memor fuit noſtri* in iſtitutione Baptiſmi, quia ipſe eſt qui baptizat. Ubi autem non erant Fontes Baptiſmales, canebantur Pſalmi ſine dicta diviſione, ait Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 14. *ſub num.* 7. Romæ autem talem fuiſſe uſum, ita ut duo ultimi Pſalmi dicerentur per duas Stationes, ſcilicet, ad Fontes, & ad Crucifixum, teſtatur Amalarius *lib.* 8. *de Divin. Offic.* ubi ſic revera habet: *Notum eſt Matrem noſtram Eccleſiam Romanam tres Pſalmos dicere, & duo per diverſa Altaria Pſalmos, ſæpiſſimè ad Fontem, & ad Crucem*, ut ex eodem Amalario refert Grancolas *in Commentar. ad Breviar Roman. lib.* 2. *cap.* 72. *circa finem pag.* 335. ubi etiam ait, quòd incipiebantur Veſperæ per *Kyrie*, & *Chriſte eleiſon*, ſicuti etiam nunc incipiunt Carmelitæ: Attamen non eſt ritus ſpecialis Carmelitarum, ſi quidem & Venetiis in Ducali Baſilica S. Marci ex antiquiſſim uſu ſic incipiuntur Veſperæ, ut patet ex Officio impreſ-

preſſo Hebdomadæ Sanctæ ſecundùm conſuetudinem iſtius Ducalis Baſilicæ.

In Eccleſia verò Cathedrali deberet Epiſcopus Pontificaliter peragere etiam haſce Veſperas, nam Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 1. §. 2. & 3. pag. 184.* poſtquàm dixit, quòd ſi Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam die ſequenti celebraturus, Veſperæ ſolemniùs peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: ſtatim addit, quòd ſecundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eàdem ſolemnitate celebrari ſaltem in Dominica Reſurrectionis, &c. ubi ly *Saltem* adeo includit haſce ſecundas Veſperas, ut videatur neceſſaria Epiſcopi functio; eſt enim dictio excluſiva quodamodo non expreſſorum, ſed certè incluſiva rei expreſſæ. Dicuntur igitur Veſperæ in Cathedrali, prout præſcribitur in dicto Cæremoniali *loco proximè citato*: Sed cantatis Pſalmis, & ultimà Antiphonà, Pontifex depoſità Mitrà ſurgit, & cum eo ſurgunt pariter omnes detectis capitibus, ſicque ſtant, donec à Choro cantetur Antiphona *Hæc, Dies quam fecit Dominus, &c.* quà completa, præintonatur Epiſcopo ſtanti Antiphona ad Magnificat *Et reſpicientes, &c.* & ea repetita, Epiſcopus ſedet, & accipit Mitram pretioſam, omneſque pariter ſedent. Dum tamen cantatur per Chorum dicta Antiphona, Epiſcopus imponit thus in thuribulum, & cum Chorus incipit *Magnificat*, ſurgit cum Mitra omnibus ſurgentibus, pergit ad Altare, illud ſine Mitra incenſat ibique Mitra recepta, redit cum Baculo ad Sedem Suam, ubi ſtans cum Mitra incenſatur, & Mitra depoſità adhuc ſtans, retento tamen Baculo inter manus junctas, ſtat uſque ad finem Cantici, & Verſiculi *Sicut erat, &c.* Iterim thurificantur alii ordine ſuo: & repetita Antiphona Cantici, Epiſcopus deponit Baculum, ſedet, & recipit Mitram. Finita Antiphona, & Organo ſilente, Epiſcopus depoſita Mitra ſurgit, cantat *Dominus vobiſcum*, deinde *Oremus*, & mox Orationem, & repetit *Dominus vobiſcum*, dictoquæ per Chorum *Benedicamus Domino, Alleluja, alleluja*, & vel per eundem Chorum vel per Organum cantato 342

Deo gratias, *Alleluja*, *alleluja*, Epiſcopus dat ſolemnem Benedictionem, dicens, *Sit Nomen Domini Benedictum*, *&c.*

Ut autem compleamus hodiernum Officium cum ſuo Completorio: iſtud ſignificat, gaudium Electorum, quod, completo eorum numero, complebit Deus in Sanctis ſuis in die generalis Reſurrectionis, in fine Mundi: & ideo in fine Diei recitatur, ait Gavantus *tom.* 2. *Sect.* 5. *cap.* 6. *ſub numer.* 5. Hoc igitur Completorium, quod (quia ſemper eſt idem) invariabile vocatur ab eodem Gavanto *dicto tom.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3. *ſub num.* 12. ac etiam à Dominico Macrio *in Hierolexic. verb. Completorium*: Attamen hæc regula fallit hodie, & diebus ſequentibus uſque ad Sabbatum in Albis excluſivè, nam variatur prædictis diebus, & differt à ſolito, quia veluti acceſſorium, ſequitur naturam ſui principalis, nempè totius præcedentis Officii: Siquidem, dum dicti Auctores contemplantur in Completorio permanentiam ejuſdem Hymni, Capituli, Reſponſorii brevis, & Verſiculi, hiſce Diebus Octavæ Paſchalis prædicta omnia omittuntur, & ideo variatur ſaltem quoad omiſſionem. Verum quidem eſt, quòd incipitur more ſolito: Dicitur enim Verſus *Jube Domne*, Lectio brevis *Fratres*, *Sobrii eſtote*, cum Verſiculo *Adjutorium noſtrum*, & etiam cum *Pater noſter*: Deinde facta Confeſſione & Abſolutione, dicitur quoque Verſus *Converte nos Deus*, nec non & Verſus *Deus in adjutorium*, cum *Gloria Patri*. Hiſce dictis, ſine ullo initio Antiphonæ dicuntur immediatè tres Pſalmi conſueti: quibus finitis, ſtatim ſuccedunt quatuor *Alleluja*. Mox omiſsis, ut ſupra diximus, Hymno, Capitulo, Reſponſorio brevi, & Verſiculo, dicitur nulla inchoata Antiphona Canticum Simeonis *Nunc dimittis*: Poſtmodum Antiphona *Hæc Dies, quam fecit Dominus*, *&c.* & ſubinde Oratio conſueta *Viſita*, *quæſumus*, *Domine*, cum Antiphona finali Beatæ Virginis *Regina Cœli*, *&c.* 343

In Eccleſia verò Cathedrali, ſi Epiſcopus Completorio intereſſe, & per ſe Officium facere voluerit, depoſitis Veſperarum paramentis, deſcendens 344

de

de Sede Pontificali, aſſiſtet cum ſua Cappa in Choro in ſuo loco ſeu ſtallo, panno aliquo vel tapete cum pulvinaribus ornato. Stantibus igitur Epiſcopo & omnibus aliis ſine birreto, Cantor in medio Chori dicet canendo, *Jube Domne benedicere*, Epiſcopus verò in eodem tono cantabit, *Noctem quietam*, &c. Terminata à Cantore Lectione, & reſponſo a Choro *Deo gratias*, Epiſcopus ſine cantu, ſed alta voce dicat, *Adjutorium noſtrum*, &c. deinde *Pater noſter*, quem omnes ſecretò recitant. Inde Epiſcopus eàdem intelligibili voce ſine cantu facit Confeſſionem, & Abſolutionem de more. Mox cum cantu intonat *Converte nos Deus*, &c. & poſtea *Deus in adjutorium*, &c. Intonato tamen à Cantoribus primo Pſalmo *Cùm invocarem*, &c. Epiſcopus ſedebit, & omnes alii, tectis capitibus. Cantatis Pſalmis conſuetis, nec non & quatuor *Alleluja*, ſurgunt omnes detectis capitibus, & dicto ſolemniter Cantico *Nunc dimittis*, ad quod nulla fit Altaris incenſatio, atque ſucceſſivè cantata Antiphona *Hæc Dies, quam fecit Dominus*, &c. Epiſcopus cantat Orationem, *Viſita, quæſumus, Domine*, &c. Cætera autem per Hebdomadarium, & Chorum complentur. Ad hoc tamen Completorium ſic ſolemniter cantatum adhiberi poterit Organum. Cùm verò Epiſcopus præſens erit, & Officium non faciet, omnia prædicta per Hebdomadarium in ſuo habitu Canonicali fient, obſervatis tamen debitis reverentiis verſùs Epiſcopum: nam ipſe Hebdomadarius ad Verſiculum *Indulgentiam*, &c. in principio, & ad alium Verſiculum *Benedicat, & cuſtodiat nos*, &c. in fine, inclinabit ſe profundè verſùs Epiſcopum: In Collegiatis denique Eccleſiis, vel abſente Epiſcopo, eadem obſervantur per Hebdomadarium. Hæc ferè omnia, deſumpta tamen ex Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capit.* 4. *per tot. pag.* 207. habet Horatius Chriſtianus *in Prax. Pontific. ſect.* 6. *capit.* 7. *de Complctor. in Domin. Reſurrect.*

§. VII.

De quibuſdam aliis ſcitu dignis, ad Diem Sanctum Paſchæ ſpectantibus.

INter nonnulla, quæ hoc loco occurrunt no- 343
tanda: *Primò* ſe offert firmiſſima Doctorum aſſertio, per quam qui legitimè non impeditus, ter vel quater aut etiam quinquies in Anno non celebrat, peccat mortaliter, quia ex vi præciſa Ordinis Sacerdotalis tenetur ſaltem tribus vel quatuor, aut quinque diebus infra Annum celebrare: quæ aſſertio illos tantùm ſpecialiter tangit, qui rarò in Anno ſolent Sacrum facere, ut tenet Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. in Append. poſt ejus Opus, quæſt.* 3. *punct.* 1. *pag.* 451. & citata Doctorum caterva ſuſtinet Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 2. *quæſt.* 480. *ſub numer.* 5. & 6. Cùm autem Sacerdos teneatur ſaltem, ut diximus, ter vel quater aut quinquies intra Annum celebrare, debet eligere ſolemniores Anni Feſtivitates, inter quas, quis dubitet, àn Dies ſanctus Paſchæ ſit connumerandus? Et certè poſtmodùm *Sacra Congregatio Concilii in Tortonen. Menſe Novembri* 1696. ſic revera reſpondit: *Si Sacerdos ſine juſta cauſa, ter vel quater in Anno non celebret, cùm peccet mortaliter, poteſt ab Epiſcopo vigore Decreti Synodalis, aut aliàs monitione præmiſſa, mulctari & puniri*, ut refert Franciſcus Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 1. *tit.* 5. *formul.* 9. *ſub num.* 15. Hiſce dictis de obligatione Sacerdotis rarò celebrantis ad hodiernum Sacrificium peragendum: *Secundò* notandum eſt, quòd hæc Miſſa de Dominica Reſurrectionis non poteſt infra Annum fieri Votiva, cùm omnia adeo in ea ſint propria hujus Diei, ut non valeant verificari,

rificari, & ideo extendi ad alias Dies, ut inter varias exceptas hujuſmodi proprietatis Solemnitates, hanc expreſſè connumeravit *Sacra Rituum Congregatio de ordine Pauli Quinti*, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regular. vero, Miſſe Ritus, ſub nu. 2. pag. 332. juxta edit. Roman.*

Sed & alia hodie obſervanda ſunt: *Tertiò* enim notandum eſt, quòd de Feſto occurrente & conſequenter transferendo, utcumque illud ſit ſolemne, ſive Patroni Loci, ſive Titularis Eccleſiæ, ſive etiam Dedicationis, non poteſt hac die Paſchæ cantari Miſſa, neque ratione Concurſus, quia Rubrica Miſſalis *tit. 6. de translat. Feſtor.* expreſſam in exceptionibus mentionem facit de Dominica iſta Reſurrectionis, ut clarè patet legenti: Quòd ſi non poteſt cantari de Feſto aliquod jus hodie habente, quod eſt majus: neque cantari poterit alia quævis Votiva, quod eſt minus. *Quartò* etiam notandum eſt, quòd neque in hac Paſchæ ſolemnitate celebrari poteſt Miſſa, cum cantu pro Defunctis in Die Obitus, etiam præſente Corpore in Eccleſia, tum quia hæc eſt verè magna Diei celebritas, de cujus exceptione loquitur Rituale Romanum *tit. de Exeq. rubric.* 5. tum quia eſt Feſtum duplex primæ claſſis, de quo ad hanc rem ſupra dixi in Sabbato Sancto ad favorem cujuſvis Officii eumdem ritum habentis, citata Sacræ Rituum Congregationis declaratione. Non ſolùm autem non eſt in Die Paſchæ cantanda dicta Miſſa in Die Obitus, ſed neque aperiendum hodie Sepulchrum, Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 2. ſub nu. 7. pag.* 430. & ex Gavanto tradit etiam Barruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. tit. 34. ſub num. 42. pag.* 188. dum enim dicunt, quòd ſi quis in Die Paſchæ, moriatur, Corpus ejus ſervetur in ſequentem diem: ergo non eſt ſepeliendum in Die Paſchæ, ob reverentiam (ut addunt) Paſchæ: Et revera, quia Chriſtus hodie ſurrexit à mortuis, & ſurrexit de Sepulchro, nullus Defunctus debet idcirco in Sepulchrum intrare, quia unde exivit vita, non debet mors illuc ingredi. Quòd ſi neceſſitas cogat, aperiatur privatim 246

tim Sepulchrum, & repoſito priùs Cadavere in aliquo remotiori Eccleſiæ loco poſt Veſperas, ſine cantu fiant legendo Exequiæ pro ejus Anima.

Unum reſtat hoc loco dicendum quoad Miſſam. 347
Quinto igitur notandum eſt, quòd in hoc Die Sancto Paſchæ celebrari non debet in Oratoriis privatis: tum quia in Brevibus Apoſtolicis Indultum hujuſmodi continentibus excipiuntur ſemper Feſta Anni ſolemniora, inter quæ nemo eſt qui ambigat eſſe connumeratum Paſcha: tum quia Decretum Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris* omnem tollit dubitandi rationem, ſiquidem in eo expreſſè excepta legitur hæc Dominica Reſurrectionis, ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 293. *pagina* 88. ubi citata conſpicitur Doctorum caterva dictum Decretuum referentium, & ex me tradit etiam La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *libr.* 6. *part.* 2. *tract.* 4. *ſub numer.* 2055. *Decreto* 128. Et hanc ſpecificam Paſchæ exceptionem voluit Clemens Undecimus hiſce præciſis verbis ſequentibus, ſcilicet: *In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non liceat Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut alias quibuſcumque Sacerdotibus, celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque Anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis*, ut habetur in particulari Bullario dicti Pontificis, *par.* 3. *Conſtitut.* 1. *quæ incipit* Quoniam Sancta ſanctè, *pag.* 540. *emanata anno* 1703. *ſub die* 15. *Decembris*, & refert etiam Eminentiſſimus Petra in ſæpè laudatis, ſemperque laudandis Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas, *tom.* 2. *circa Conſtitut.* 8. *Honorii III. ſect. unic. ſub num.* 66. *pag.* 501. Quòd ſi Regulares celebraverint in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis (& conſequenter hoc Die Paſchæ) poteſt Epiſcopus in eos animadvertere, ſervata forma Concilii, ut reſpondit *Sacra Concilii Congregatio in Neapolitana ſub die* 30. *Maii* 1699. apud

Fran-

Franciſcum Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *ſub numer.* 21. *pag.* 235. & agomet retuli in mea Collectione de Regularibus cujuſcumque Ordinis, *tom.* 3. *ſub nu. margin.* 4092. *pag.* 469.

Quòd ſi Litaniæ majores, quæ præſcribuntur re- 348
citandæ die vigeſima quinta Aprilis, occurrant in Die Sancto Paſchæ (ut contigit hoc Anno 1734. in quo ſcribo: & ſic vidi utrumque Paſcha, modò longius, & antea brevius, Anno ſcilicet 1693.) earum Proceſſio, unà cùm Miſſa, transfertur ad Feriam tertiam feſtivam immediatè ſequentem infra hanc Octavam, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *de die* 25. *Septembris* 1627. quod Decretum à pluribus relatum, factum poſtmodùm fuit Rubrica Breviarii & Miſſalis Romani *in Feſto S. Marci Evangeliſtæ*; quidquid dicat Bauldryus quoad hoc, cautè legendus, qui *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *cap.* 12. *ſub numer.* 9. *pag.* 265. transfert in Feriam ſecundam, cùm Decretum ſupra citatum præceſſerit ejus Opus, in quo ſæpè ipſe Bauldryus Gavantum citat, cui forſan quoad hoc noluit fidem præſtare. Gavantus autem, quo petente emanatum fuit Decretum ipſum, affert etiam juſtas ſuæ petionis rationes, nam *tom.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 6. *die* 25. *Aprilis*, ait, quòd ideo non eſt facienda in Die Sancto Paſchæ Proceſſio Litaniarum majorum, quia Miſſa Epiſcopalis, Communio totius Populi, & Cleri, & ob has cauſas occupatio, impediunt dictam Proceſſionem, in Die tamen Feſto faciendam (ut addit) ex inſtitutione S. Gregorii: ſed circa hoc, mihi potiùs videtur dicendum, ex Decreto ſupracitato, nam S. Gregorius inſtituit in Die non Feſtivo, prout eſt illa S. Marci, qui ſolùm feſtivus eſt, ubi S. Marcus eſt Patronus Loci principalior, ut eſt Venetiis. Hæc tamen Proceſſionis translatio, eſt ſolius Diei Paſchæ privilegium, non autem dierum, qui ſequuntur.

Quia verò non ſolent hodie Fideles aliquid man- 349
ducare, quod non ſit priùs benedictum: ideo Sacerdos benedicturus Agnum Paſchalem, Ova, Panem,

nem, & cætera comeſtibilia, ſit indutus Superpelliceo, & Stola alba, aſſiſtentibus duobus Clericis cum Cottis, uno cum vaſe Aquæ benedictæ, alter vero cum Rituali Romano vel Miſſali, ex quo ſumendæ ſunt Benedictiones, ut benè ſuggerit Piſcara *in Prax. Caeremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *ſub num.* 8. *pag.* 429. Prædictas tamen Benedictiones non eſſe de Juribus merè Parochialibus, & conſequenter fieri poſſe etiam à Capellanis Confraternitatum, declaravit *Sacra Rituum Congregatio in Decreto Urbis & Orbis*, *emanato ſub die* 10. *Decembris*, *approbante Clemente Undecimo ſub die* 12. *Januarii* 1704. ut egomet retuli in mea Collectione de Parochis; utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 1680. *juxta tertiam editionem Paternam de Anno* 1737. & poſt me dixit quoad Ovorum Benedictionem Barruffaldus *in Commentar. ad Rituale Rom. tit.* 58. *ſub num.* 5. *pagina* 276. Hanc tamen Agni in Paſcha, & Ovorum Benedictionem, cùm ſit antiquiſſima, ab Apoſtolis introductam fuiſſe, probabiliter tenet Quartus *tit.* 3. *de Benedict. ſect.* 3. & 4. *utrobique prælud.* 1. At Panis Benedictio, originem ducit proculdubio ab ipſo Chriſto, qui pluries benedixit Panes: ut ex ejus modo benedicendi & frangendi cognoverunt eum illi duo Diſcipuli, qui coegerunt illum, dicentes: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit.*

Ultimo loco ſuccedit Benedictio Menſæ, quæ ſicuti ponitur in fine Breviarii, ſic ego eam pono 350
in fine hujuſce Diei. Ubi igitur fieri ſolet hæc Benedictio, ut præſertim apud Clauſtrales numquam omittitur, in hoc Sancto Die Paſchæ, & deinceps uſque ad Cœnam ſequentis Sabbati, dicitur Verſiculus, *Hæc Dies, quam fecit Dominus, &c.* cum Pſalmo *Confitemini*. Quàm autem antiquus ſit mos benedicendi Menſam, patet ex eo, quòd originem habet à Chriſto, qui poſt Benedictionem Panis, diſtribuit ut manducarent. Apoſtoli itaque Chriſtum imitati, docuere poſteros Benedictionem Menſæ. Effectus verò hujuſmodi Benedictionis, eſt præſervatio Fidelium à peccatis gulæ, & damnis inde ſequen-

quentibus: & ſicuti hæc Benedictio eſt actus Fidei, ſic ſi quid mortiferi ederint, vel biberint, non eis nocebit. Idcirco in quacumque Domo, ſumpto à Clauſtralibus exemplo, fieri deberet Benedictio hujuſmodi, nam & in Deuter. 8. dicitur: *Cùm comederis, & biberis, memor eſto Domini Dei tui*. Hinc S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 83. *in Matth.* ſic habet, corrigens negligentes: *Audiant omnes, qui quaſi porci, cum jam comederint, temulenti conſurgunt, quando gratias agere Deo deberent*. Sed & S. Hieronymus hortatur ad hujuſmodi Benedictionem ante Menſam, & poſt Menſam ad actionem gratiarum, nam Epiſt. 22. ad Euſtochium, ſic ait: *Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa: nec recedatur à Menſa, niſi referatur Creatori gratia*. Non ſolùm autem Clauſtrales, ſed multi pii Epiſcopi volunt ad Menſam ſacras Lectiones, ut mentes cum corporibus reficiantur: & in fine Cœnæ legi ſolet Martyrologium pro die ſequenti, præſertim in Refectoriis Collegiorum, ut diſcatur ſufferentia paſſionum, & imitatio virtutum.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam infra Octavam Paſchæ.

Feria ſecunda infra Octavam Paſchæ habet annexum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Ejus Officium celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo: Attamen nullum Feſtum hodie occurrens celebrari poteſt, quocumque ritu ſit decoratum: Unde ſi hæc Feria ſecunda incidat in diem ſextam Aprilis, ut in Tabula decima quinta ordinis perpetui, Mantuæ in Ducatu hujus nominis transfertur 351

Feſtum

Feſtum S. Cœleſtini Papæ & Martyris, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, & conſequenter duplex primæ claſſis: Si verò occurrat die duodecima ejuſdem Menſis, ut in Tabula vigeſima prima, Veronæ in Dominio Veneto transfertur ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum Sancti Zenonis Epiſcopi & Martyris, præcipui Urbis Patroni: Si autem dicta Feria ſecunda veniat die vigeſima quarta dicti Aprilis, ut in Tabula trigeſima tertia, Patavii apud Venetos transfertur Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, donec forſan nova dies aſſignetur (quia in meliorem formam ex integro reducitur) vel reſervetur antiqua. Quia verò quilibet Dies hujus Octavæ inſcribebatur *in Albis Paſchalibus*, antiquitùs hoc tempore fiebat ab Epiſcopo Benedictio Virginum: ita enim ſtatuitur in Epiſtola Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Lucaniæ: *Devotis quoque Deo Virginibus, niſi, aut Epiphaniarum Die, aut in Albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum Natalitiis, ſacrum minimè velamen imponant*, ut refert eruditiſſimus Menardus *in Notis ad Libr. Sacramentor. S. Gregor. Pp. nota* 603. ubi etiam *nota* 604. addit ad rem verba S. Ambroſii in ipſa Reſurrectionis Dominicæ Solemnitate, libro ad Virginem lapſam: *Non es recordata diei ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis, in quo Divino Altari te obtuliſti velandam*. Quoad verò hodierni Officii recitationem, omnia dicuntur, ut in Die Paſchæ, exceptis propriis hujus Feriæ ſecundæ. Propria autem ſunt, Verſiculus *ſurrexit Dominus de Sepulchro*, Reſponſorium *Qui pro nobis*, tres Lectiones de Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Lucæ *Duo ex Diſcipulis Jeſu*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Jeſus junxit ſe*, ac etiam Oratio *Deus, qui ſolemnitate Paſchali*, ſine commemoratione Feſti ſimplicis, ſi hodie occurrat.

Miſſa hujus Feriæ ſecundæ eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, unica Oratio, omiſſa tum commemoratione Feſti ſimplicis hodie occurrentis, tum Collecta de Anniverſaria Die Electionis & Conſecrationis Epiſcopi ſi incidat, quia in duplicibus primæ claſſis non eſt facienda hujuſmodi commemoratio: 352

moratio:

moratio : unde hoc Anno 1734 benè ſe geſtit Kalendariſta Genuenſis , qui die undecima Maji , tamquam prima die non impedita , ordinavit Officium translatum duplex primæ claſſis de S. Georgio Martyre , Patrono Urbis Principali , tunc occurrente in Sabbato Sancto, & addidit: *Dies Electionis Illuſtriſſimi , ac Reverendiſſimi Domini Domini Fratris Nicolai Mariæ de Franchis , Ordinis Prædicatorum , de qua hoc anno nihil , neque in Miſſa ſolemni* , ſed ſubdit, quòd Sacerdotes orent pro eo , & proculdubio intelligit in Memento Vivorum , ſine Collecta : & idem dicit die ſeptima Julii ejuſdem Anni, in qua occurrit Feſtum S. Syri Epiſcopi , quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, & ſimul cadit Dies Conſecrationis ejuſdem Archiepiſcopi. Nihilominùs quoad Miſſam ſolemnem , vide ſupra Decretum poſitum de Miſſa in Epiphania. Cæterùm in hac eadem Miſſa dicitur *Sequentia* poſt Graduale, & poſt Evangelium *Credo* , cum Præfatione *Te quidem Domine omni tempore* , & cum *Communicantes*, ſicuti etiam *Hanc igitur* de Octava.

Ex veteri tamen Eccleſiæ conſuetudine Præfatio 353
hodiernæ Miſſæ erat alia ab illa, quæ habetur modò in Miſſali , quam ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ deſumptam , hìc ad litteram tranſcribimus, & ante oculos ponimus Lectoris Eccleſiaſtici, videlicet : *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Et te ſuppliciter exorare , ut Fidelibus tuis dignanter impendas, quæ & Paſchalia capiant ſacramenta , & deſideranter expectent ventura : Ut in myſteriis , quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operantibus perducantur, per Chriſtum Dominum noſtrum : Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli , &c.* Benedictio verò Epiſcopalis , de cujus antiquo uſu jam ſupra diximus in Miſſa Sabbati Sancti , itidem deprompta ex eodem Libro Sacramentorum , ſub ſequentibus præciſis verbis continebatur pro hac Feria ſecunda Paſchæ , ſcilicet , *Deus , qui pro vobis ſuſcepit injuriam Crucis, lætitiâ vos innovet ſuæ Reſur-*

rectio-

rectionis. Amen. *Et qui pendenti ſecum in Cruce Latroni omiſit delictum, vos ſalvet à cunctis nexibus peccatorum*. Amen. *Ut Redemptionis veſtræ myſterium & dignè conſervetis in opere, & locupletiùs æterna perfruamini remuneratione*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in dicta Miſſa Sabbati Sancti.

Sed & alias duas Præfationes volumus de more noſtro hìc adnectere ad eruditionem, ut Lector Eccleſiaſticus & ſciat quam olim recitabant aliquæ Eccleſiæ, & quam etiam modò legunt à Romana diverſam. Brevem igitur dicebat antiquitùs Eccleſia Gallicana, ut patet ex Mabillonio *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 254. & ex eo tranſcriptam habes hìc ſequentem, nempè: *Verè dignum & juſtum eſt: quia verus ille Agnus, qui pro nobis eſt immolatus. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam noſtram reſurgendo reparavit Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Cui meritò omnes Angeli, &c.* Quæ autem etiam noſtris temporibus legitur Præfatio in particularibus Eccleſiis, eſt illa Ambroſianorum, non longa quidem, ſed in ſua brevitate differt ab aliis, quam pro Feria iſta ſecunda continet eorum Miſſale Mediolani impreſſum, & eſt ea, quæ ſequitur, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ſemper in nobis Paſchale perficiat Sacramentum: ut per initiata remedia, continuis educare non deſiſtat augmentis. Unde profuſis gaudiis totus in orbe terrarum Mundus exultat: Sed & ſupernæ virtutes, & Angelicæ concinunt poteſtates hymnum gloriæ tuæ perpetim, ſine fine dicentes.* 354

Ut autem aliquid vel breviter diſſeramus de iis, quæ fieri poſſunt vel nequeunt in hac Feria ſecunda Paſchæ, inprimis de Feſto occurrente & transferendo, utcumque ſolemni & concurſum habente, non poteſt Miſſa cantari, quia Rubrica Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* complectitur in exceptione etiam hanc Feriam ſecundam, imò & tertiam ſequentem. Sed neque cantanda eſt Miſſa Votiva, 355

neque

neque pro Defunctis in Die Obitus, ex rationibus ſupra allatis in Dominica Reſurrectionis. Quoad Oratoria verò privata Indultùm Apoſtolicum habentia, poteſt ibi celebrari in hac Feria ſecunda: ex eo enim, quòd nulla cani poteſt ex dictis Miſſa Votiva, non infertur ad prohibitionem Miſſæ privatæ de Die in præfatis Oratoriis: nam de Miſſa non cantanda ſatis clarè loquitur Rubrica Miſſalis ſupra citata, ubi expreſsè legitur excepta *Dominica Reſurrectionis cum duobus Diebus ſequentibus*: Decretum verò de exceptione Dierum ſolemniorum pro celebratione in memoratis Oratoriis, nullam facit mentionem de duobus Diebus ſequentibus, ſed tantùm dicit *in Paſchate*: ergo hæc Feria ſecunda non eſt excepta: Idcircò ſicut in publicis Eccleſiis non cantatur Votiva, quia Rubrica excipit, ſic dicitur privata de Die in Oratoriis, quia Decretum non excipit: Et hæc forſan poteſt eſſe ratio, propter quam communiter ſentiunt tum Theologi, tum Rubriciſtæ, quòd hodie, & feria tertia ſequenti dici poſſit Miſſa in ſæpè dictis Oratoriis privatis, ut pluribus relatis hanc opinionem ſequentibus tenet Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *tractat.* 1. *quæſt.* 639. *ſub numer.* 2. ne alios nominatim dicam Auctores quoad hoc unanimes & concordes. At quia in Brevibus Privilegiorum de Altaribus exprimitur Miſſa pro Defunctis, ita ut Doctores ſentiant, quòd niſi dicatur talis Miſſa, Privilegium non valeat, ideo ſciendum, quòd Miſſæ de hac Octava Paſchæ ad Altare quomodolibet Privilegiatum celebratæ, ſuffragantur perinde, ac ſi celebratæ eſſent pro Defunctis, juxta formam Privilegiorum, ut concedit *Innocentius Undecimus in Conſtitut. qua incipit*: Aliàs poſtquàm, *edita anno* 1688 *die* 4. *Maji*, apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *ſub num.* 6. *pag.* 330. & refert etiam Matthæuccius *in Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 4. *ſub num.* 3.

Licèt autem Rubrica Breviarii & Miſſalis dicat in die S. Marci Evangeliſtæ, quòd ſi in die Sancto Paſchæ occurrant Litaniæ majores, transferen- 356

dæ ſint in Feriam tertiam ſequentem, non inde ſequitur, quòd ſi hæc Feria ſecunda incidat in diem vigeſimam quintam Aprilis, (ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui) non ſint eo die celebrandæ. Hujuſmodi igitur caſu eveniente, fit hodie earum Proceſſio, & conſequenter cantatur Miſſa de Rogationibus in colore violaceo: & hæc eſt unica Miſſa privilegiata, quæ poteſt hac die cantari, vel Feria tertia ſequenti. At quia extat Decretum Sacræ Rituum Congregationis de die 23. Maij 1603. in quo dicitur: *Si terminetur Proceſſio Litaniarum majorum ad Eccleſiam S. Marci, cantatur ibi Miſſa de S. Marco*, ut clariùs infra dicetur in Feria quarta ſequenti: non ideo in hac Feria ſecunda, nec in ſequenti tertia, canenda eſt hujuſmodi Miſſa: nam Decretum loquitur de Miſſa S. Marci poſſibiliter-canenda: ſed in noſtro caſu ex dictis non poteſt cantari: ergo cantanda eſt de Rogationibus, quæ hodie conceditur, & eſt privilegiata, non tamen omiſſa Conventuali, ſeu altera de Die. Præterquàm quòd ideo in aliis caſibus cantanda eſt dicta Miſſa S. Marci in Eccleſia propria, quia titulus eſt Eccleſiæ, & lætitiæ locus eo die, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub numer.* 10. ſed in caſu propoſito ceſsat ratio lętitiæ, & non contaminandæ ſolemnitatis, quia prævalet in omnibus & per omnia Miſsa de Feria ſecunda, vel tertia ſequenti, & nihil fieri poteſt de ſolemnitate Titularis: ergo ceſsante ratione, ceſsat & Miſsa de S. Marco in ſua Eccleſia.

Cæterùm in Miſsa Rogationum, quæ cantari debet in prædicta Feria ſecunda, vel tertia ſequenti infra Octavam Paſchæ non dicitur *Gloria*, quia utimur colore violaceo, cum quo non benè ſtat Hymnus Angelicus, ut habet Rubrica Miſsalis *tit.* 8. *ſub num.* 4. nec fit in eà commemoratio de Octava, ſed in Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſsæ, una ſcilicet de Die, & altera de Rogationibus. In hac tamen Miſsa Rogationum cantanda, dicitur ſecunda Oratio de Beata Maria *Concede*, & tertia *Eccleſia*, vel *pro Papa*, niſi Sedes va- 357

caret,

caret, quia eo caſu tertia Oratio ſemper eſset *Eccleſiæ*. Et cùm ſit Miſsa extra Octavam, ſic nec dicitur *Credo* ratione Octavæ: Unde cùm ad rem noſtram Capitulum & Canonici Cathedralis Collenſis humiliter ſupplicaſsent Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione viginti duorum Dubiorum, inter ea fuit ſequens, videlicet: *An occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis, in Miſſa Rogationum ſit dicendum, Credo*? Sacra eadem Rituum Congregatio ad decimum ſeptimum dubium reſpondit: *Negativè, ſub die* 5. *Julii* 1698. quæ quidem Declaratio, unà cum omnibus aliis eadem die emanatis, quod me reperitur in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii, & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub numer.* 530.

Præfatio tamen in eadem Miſsa de Rogationibus 358
dicitur de Octava, ſed in cantu feriali, cum *Communicantes*, ac etiam *Hanc igitur*, quia conſiderantur de tempore. In fine hujus Miſsæ de Rogationibus, ad *Benedicamus Domino* non adducuntur duo *Alleluja*, ut benè notat Piſcara Caſtaldus in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 21. *ſub numer.* 6. *pag.* 199. cujus ratio eſse poteſt, tum quia in colore violaceo, & in Miſsa mœroris non dantur ſigna lætitiæ, quam ſignificat *Alleluja*: tum quia dicuntur tantùm in Miſsa de Octava: tum denique quia Rubrica expreſsè dicit ad *Ite Miſſa eſt*, & ideo non etiam ad *Benedicamus Domino*. Tandem ad hanc Miſsam non accenditur Cereus Paſchalis, ut uno ore omnes ſentiunt; Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 8. *ſub num.* 4. *pag.* 428. Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 11. *artic.* 5. *ſub numer.* 24. *pag.* 263. Quartus *de Benedict. ſect.* 6. *dubitat.* 3. *pag. mihi* 121. Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 30. *pag.* 294. *juxta edit. Venet.* & denique Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 21. *pag.* 127. quorum rationem eſse exiſtimo, quia cùm Cereus Paſchalis repræſentet Chriſtum reſurgentem, ut alibi diximus, non eſt accendendus in

Miſſis luctuoſis, nam per Reſurrectionem Chriſti *ſat funeri*, *ſat lacrymis*, *ſat eſt datum doloribus*.

De Veſperis in hac Feria ſecunda Paſchæ, ſive ſolemnibus ſive privatis, parùm occurrit dicendum: omnia enim dicuntur, ut in ſecundis Veſperis de Dominica Reſurrectionis: exceptis dumtaxat Antiphona ad *Magnificat*, quæ hodie eſt *Qui ſunt hi ſermones*, *&c.* & Oratione propria hujus Feriæ ſecundæ, nempè: *Deus, qui ſolemnitate Paſchali*, *&c.* Et Oratio quidem debet eſse unica, ita ut neque facienda ſit commemoratio de Feſto ſimplici, ſi cras occurrat: unde ſi hæc Feria ſecunda incidat in diem decimam tertiam, vel decimam ſextam Aprilis, ut in Tabula vigeſima ſecunda, vel vigeſima quinta ordinis perpetui, nihil in his Veſperis de SS. Tiburtio, & Sociis, nihil de Sancto Aniceto, cras reſpectivè occurrentibus. Completorium verò omninò dicitur, ut in Die ſancto Paſchæ. 359

§. IX.

De modo dicendi Litanias majores, ſive occurrant in Feria ſecunda Paſchæ, ſive in alia Die infra hanc Octavam.

NOnnulla occurrunt hoc loco dicenda de Litaniis majoribus, ſive in Feriam ſecundam Paſchæ, ſive in aliam quamcumque Diem infra hanc Octavam incidentibus. Nihil tamen intendimus dicere de earum inſtitutione: ſiquidem, cùm non conveniant inter ſe Auctores, nec veritas rei idcircò clarè appareat, Lector curioſus audiat illos, 360

illos, quos remiſſivè videre poterit. Et eo magis tacenda videtur earum inſtitutio, quia & Inſtitutorem ignorari, & Auctorem hujus Proceſſionis neſciri, fatetur Quartus *de Proceſſ. ſect. 2. punct. 9. pag. mihi* 26. Unum dici poteſt, quòd hæ Litaniæ nuncupantur forſan majores, quia antiquitùs majori ſolemnitate fuerint celebratæ, majori videlicet Eccleſiaſticorum & Sæcularium concurſu; majori apparatu, majori luminum copia, quibus Litanias Rogationum minores ideò appellatas excedebant, ut videtur velle dicere licèt non tam clarè, Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib. 2. ſect. 10. cap. 7. ſub num.* 1. *pag.* 275. Noſtrum hoc loco præcipuè eſt, antequàm loquamur de modo, diſſerere de præcepto. Rubrica enim Breviarii in Feſto S. Marci Evangeliſtæ ſic habet: *Hodie qui non interſunt Proceſſioni Litaniarum, dicant illas privatim, &c.* ubi proculdubio ly *dicant* eſse verbum præceptivum, obſervat Gavantus *tom. 2. ſect. 6. cap.* 16. *ſub num.* 3. & conſequenter earum omiſſio eſt lethalis, in quo omnes conveniunt: & omnium noviſſimus quoſcumque ſacris Ordinibus initiatos ad has recitandas teneri ſub culpa gravi dixit Reverendiſſimus Dominus mihi in amicitia conjunctiſſimus Joannes de Comitibus Parochus Archipresbyter in Loco *La Tiſana* nuncupato Diœceſis Venetæ, in ſua erudita Diſſertatiuncula de hujuſmodi Litaniis, quam, ne deperdita evaderet, impreſsam volui in fine Libri, cui titulus: *Directorium Sacrificantium, Auctore Joanne Maria Turrino, Venetiis* 1732.

Cùm ergo hæ Litaniæ ſint præceptivæ, debent 361
peculiari mentis attentione, & cordis fervore cantari vel recitari: unde qui volunt ſatisfacere, non debent fabulari, vel materialiter tantùm cum aliis cantare. Privatim recitantes, debent eas dicere flexis genibus, nam tempore Paſchali genua non flectimus, ſed ſtantes oramus, niſi in duabus Litaniis, ait Joannes Belethus *in brevi explicat. Divinor. Officior. cap.* 121. *in fine, pag. mibi* 360. Nec obſervandum eſt, quòd hoc tempore non jejunemus, nam Romana conſuetudine vocatur *Litania major*

non in jejunio. ut habent Ordo Romanus, Alcuinus, & Amalarius, citati à Jacobo Eveillon Canonico Eccleſiæ Andegavenſis in Libro *de Proceſs. Eccleſ. cap.* 20, *pag. mihi* 227. *juxta edit. Pariſien. de Anno* 1651. Et jure merito genua ſunt flectenda, in hac etenim Supplicatione ſtatum peccatorum repræſentamus, rogantes humiliter Deum, ut nobis parcendo, & avertendo iram ſuam à nobis, *fructus terræ dare & conſervare dignetur:* Siquidem inſtitutæ ſunt Menſe Aprili, quia hoc tempore ſegetes omnes ſunt in via ad profectum, meſſes pullulant, arbores floreſcunt, Vineæ, & Olivæ prorumpunt: quare citatus Ordo Romanus ſic hatet: *Ex qualitate temporis colligimus, Litaniam neceſſariam eſſe ad fruges conſervandas*, ut habet dictus Eveillon *loco citato*, *pag.* 233.

His præmiſſis de præcepto recitandi Litanias majores, veniamus ad modum eas cantandi in Proceſſione, Clerus igitur, & Populus, hora ſtatuta, manè in Eccleſia congregati: in Eccleſia ſcilicèt majori, inquit Piſcara *in Prax. Ceremoniar. libr.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 7. *ſub numer.* 2. *pag.* 275. omnes contrito corde, & humili corde Deum flexis genibus pauliſper precentur: non tamen canendo, ſed vel vocaliter ſubmiſſa voce, vel mentaliter: quam Ritualis Romani Rubricam rarò ſervari vidi, cùm ferè quovis anno in uno vel altero Loco ſim hoc tempore præſens huic Proceſſioni: unde non fuit ſolus in hujuſmodi obſervatione Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Rom. tit.* 79. *ſub num.* 27. *pagin.* 331. Sacerdos Pluviali cum Miniſtris, vel ſaltem Superpelliceo, & Stola violacei coloris ſit indutus: in majoribus autem Eccleſiis, non ſolùm ipſe Pluviali indui debet, verùm etiam Miniſtri paramentis ſui Ordinis, Piſcara *loco citato*, *ſub numer.* 2. Cæteri verò Sacerdotes, & Clerici Superpelliceis induti, ſequentem Antiphonam ſtantes concinant, nempe: *Exurge Domine*, *&c.* cum Pſalmo *Deus auribus noſtris*, *&c.* & cum *Gloria Patri*: Poſtmodùm repetant dictam Antiphonam *Exurge Domine*, *&c.* ut in Rituali Romano. Deinde genuflectant omnes, 362

& duo

& duo Clerici ante Altare majus genuflexi, devotè Litanias cantare incipiant, cæteris eadem voce reſpondentibus. Dum Rituale dicit, quòd debeant reſpondere eadem voce, oritur Dubium, an reſpondere debeant iiſdem verbis invocationum, ut ſupra diximus de Sabbato Sancto. Primus omnium hoc Dubium poſtea ferè ab omnibus excitatum propoſuit Gavantus *tom. 2. ſect. 6. cap. 16. ſub numer. 5.* ubi ad ſolutionem reſpondet cum diſtinctione, videlicet: Si Proceſſio ſit longior, cantantur cum repetitione: ſi verò brevior, ſine repetitione hujuſmodi: ſed tamen hæc diſtinctio reſpicit Eccleſiarum conſuetudinem: unde Auctor concludit, hanc repetitionem eſſe propriam Sabbati Sancti: ideoque ſi in longiori Proceſſione non ſufficiant Litaniæ, poſſunt vel repeti, vel addi Pſalmi hoc loco à Rituali aſſignati. Non ideo ſunt dicendi Hymni, vel Cantica lætitiæ, quia eſt Proceſſio de luctuoſis: unde conſuetudinem quorumdam Locorum Reſponſoria & Hymnos canentium reprobat Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremoniar. par. 4. cap. 12. ſub numer. 11. pag.* 265. Quapropter Cæremoniale Epiſcoporum inferiùs citandum præſcribit, ut per viam Proceſſionis cantentur quæ in Rituali Romano continentur, & ſtatim addit, *& nihil ultra.*

Cùm autem cantatum erit, *Sancta Maria, Ora pro* 363
nobis, incluſivè, ſurgunt omnes, & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniaſque proſequentes, præcedente Cruce, cum Candelabris & cereis accenſis, ut benè notat Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 2. ſect. 10. cap. 7. ſub num. 2. pag.* 275. Exeunte Proceſſione ab Eccleſia, Clerus imponit capiti Birretum Sacerdotale, non tamen Galerum, niſi pluvia cogente, quem cæteroquin prohibet Rituale Romanum, *tit. de Proceſs. rubric.* 3. cui Rituali inhærens Sacra Rituum Congregatio, neque Regulares uti poſſe pileo, non obſtante prætenſo ſolito, decrevit, & ita ſervari mandavit *in una Aquipendii, ſub die* 26. *Aprilis* 1692. apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par. 3. in ſupplemen. ad I. Tomum, pag.* 9. *ſub num.* 81. *&* 82. & noviſſime ut Sacri Ritus in

Functionibus Eccleſiaſticis ad ammuſſim ſerventur; dictam diſpoſitionem Ritualis Romani, quoad prohibitionem Galeri in Proceſſionibus, obſervandam eſſe, non ſolùm ab Eccleſiaſticis Sæcularibus, ſed etiam Regularibus, præcepit Clemens Undecimus *in Bullario Romano poſtrema editionis Luxemburgenſis, tom. 8. par. 2. Decreto 8. emanato ſub die 9. Decembris* 1704. Crux vero debet præcedere, quia ejus prælatione proteſtantur Fideles ſe Chriſto Crucifixo nomen dediſſe, ſub ejus Signis militare, quorum primum & magis conſpicuum eſt Crucis Vexillum, de quo Eccleſia, *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis myſterium*, ut dicit, & optimè dicit Paulus Maria Quartus *de Proceſſ. ſect. 1. punct. 6. conſiderat. 2. pag. 6.* ubi etiam egregiè addit, quòd, cùm ſignum Crucis magnam vim habeat fugandi Dœmones, ad cujus præſentiam contremiſcunt, quo ipſi debellati fuerunt, *Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ*, meritò in Proceſſionibus, quæ diriguntur ut caſtrorum acies ordinata contra Dœmones, erigitur Crux in principio ut fugatis inimicis, via tutiſſima paretur. Et revera illis amoris, attentè & devotè poſſumus orare, quid à pravis cogitationibus in mente mundati, humiliùs Deum rogamus in Litaniis, *ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigat*.

In prædictis Litaniis, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ, ſtatim addendum illud S. Joſephi, dicendo: *Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis: Sancte Joſeph, ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ &c.* de qua additione vide, quæ diximus in Litaniis Sabbati Sancti prout dictum nomen S. Joſephi eodem loco ad omnes Sanctorum Litanias apponi mandavit Benedictus Decimustertius *in Decreto Urbis & Orbis, edito ſub die* 19. *Decembris* 1726. Attamen hæc notitia pro illis tantùm inſervit, qui Breviaria habent & Ritualia veteris editionis, nam in noſtris recentioribus jam hujuſmodi additio, me ſuadente cum oſtenſione Decreti, omninò cernitur impreſſa. Notandum tamen venit, quòd poſt Verſiculum *Ab ira tua*, non eſt dicendus, imò abſolutè omittendus ille alius Verſiculus *A flagello terræmotus*: & ideò caute quo- 364

ad

ad hoc legendus Baruffaldus (cæteroquin in pluribus ſequendus) *in Commentar. ad Rituale Rom. tit. 79. ſub num.* 8. *pag.* 329. hic etenim error, qui in aliquibus Breviariis apud nos impreſsis irrepſerat, fuit poſt modùm, me admonente, correctus: Siquidem Clemens Undecimus à dicto Baruffaldo citatus fecit ordinationem ſpecialem pro Alma Urbe Regnoque Neapolitano, tunc temporis terræmotu vexatis: non tamen fuit ordinatio generalis, nec conſequenter additio in Breviariis & Ritualibus imprimenda. Vacante verò Sede Apoſtolica, omittendum eſt ly *Domnum Apoſtolicum*; & cùm dictæ Litaniæ terminandæ ſint cum Precibus & Orationibus, ex Rituali Romano, hinc eſt, quòd etiam omitti debet, tum Verſiculus poſt Pſalmum in Precibus, *Oremus pro Pontifice Noſtro*, tum etiam Oratio pro eodem, *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifice Noſtro*, ea ratione, quia Papa non eſt, ſi vocat Sedes, ut monet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 4. *ſub numer.* 11. & ipſum rectè monere dicit Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *cap.* 20. *quæſt.* 7. *in fine*, *pag.* 302, *juxta editionem Venetam de Anno* 1729. *poſt Pariſienſem de Anno* 1657.

In his Litaniis nulla alia Sanctorum nomina ſunt exprimenda, præter ibi deſcripta, nec de Sancto Urbis Patrono, nec de Titulari Eccleſiæ, ſi ejus invocatio non reperiatur in Litaniis, inconſulta Sede Apoſtolica, quæ hujuſmodi additionem denegavit Canonicis Cathedralis Regienſis, *ſub die* 22. *Martii* 1631. ut citata Doctorum caterva, dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 582. *pag.* 177. licèt conſuetudinem Eccleſiarum Sanctos ſuos Litaniis inſerentium pro virili tueatur Guyetus *loco proximè citato*, *quæſt.* 7. *verſ. Ex his verò colligas*, *pag.* 301. Multò minùs invocari debent, qui nondum ſunt canonizati, neque privatim recitando Litanias, ut citatis auctoribus tenet Gavantus *dicta ſect.* 9. *cap.* 4. *ſub numer.* 10. & ſubſcribit Guyetus *ibidem*, *verſ. Quod dictum*: Sed poſt eos declaravit Sacra Rituum Congregatio, approbante Alexandro Septimo, *in Decreto Generali de* 365

Beatis

Beatis emanato ſub die 27. *Septembris* 1659. ubi reverà ſic expreſsè habetur ſub numero decimo: *Publicis in Precibus; præter indulta, & à Sede Apoſtolica approbantes, Beati non invocentur*, ut refert Angelus à Lantuſcà *in Theatro Regular. verb. Beati*, & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 370. Unde Patribus Servitis conceſsa quidem fuit facultas deſcribendi juxta proprias claſſes in Litaniis majoribus in Eccleſiis Ordinis tantùm recitandis, nomina Beatorum Ordinis præfati, ſed tamen poſt illorum deſcriptionem in Sanctorum Albo, ut cum tali conditione indulſit Benedictus Decimustertius *anno* 1729. *ſub die* 20. *Martii*, *in Decreto Romæ impreſſo*, *typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* 1729. quod ego integrum Domi aſſervo.

Quòd ſi aliqua Religio habeat Privilegium Apoſtolicum nominandi in Litaniis Fundatorem Ordinis, non ideo ex ſola Privilegiorum communicatione poſſunt aliæ Religiones uti eo Privilegio, ſed debent ſpeciale obtinere, prout ad tertium Dubium ita declaravit, ac ſervari voluit, & inſuper imprimi mandavit Sacra Rituum Congregatio in Decreto generali de die 20. Martii 1706. in Bullario particulari Clementis XI. Romæ impreſſo 1723. *par.* 3. *Conſtitut.* 6. *pag.* 565. ac etiam in Bullario Romano novo, *tom.* 8. *par.* 2. *Decreto* 6. *pag.* 434. ſed modò reperitur initio Breviarii noviſſimi. Religio verò, quæ gaudet hujuſmodi Privilegio, dum invocat in Litaniis Sanctum Ordinis Fundatorem, non debet addere nomen Patriæ, dicendo exempli gratia: *Sancte Franciſce de Paula, ora pro nobis:* quod clarè patet ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, emanato *ſub die* 23. *Decembris* 1624. & per extenſum relato à Peyrino *de Privileg. Regular. tom.* 1. *circa Conſtitut.* 17. *Leonis X. ſub numer.* 2. *pag.* 138. in quo dicitur, quòd Regulares Ordinis Minimorum, dum in Litaniis Orationibus, Verſiculis, cæteriſque actibus inter Divina Officia occurrentibus invocant Sanctum Franciſcum ſuæ Religionis Fundatorem, non debent addere *de Paula*: ex quo ſolo, licèt unico exemplo, quid in ſimilibus 366

bus

bus ſit faciendum, oſtenditur: non enim hic caſus eſt unus ex illis ſpecialibus, qui trahi non poſſit in exemplum ſimilium: ſed neque videtur, quòd ſit ita particularis prohibitio, ut extendi non valeat ad quaſcumque alias Religiones in ſuorum invocatione ſanctorum in Litaniis ex Privilegio facienda: & noviſſimè hoc idem decrevit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Einſilden. hoc noſtro anno* 1736. *ſub die* 23. *Junii*, hiſce præciſis verbis, unde licèt: *Ab Orationibus ex pungenda ſunt cognomina, & Patria Sanctorum*, prout refert fideliſſimus teſtis de viſu, Reverendiſſimus P. Gajetanus Maria Merati, ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultat, *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 682.

Si ad unam, vel plures Eccleſias in via ſit di- 367
vertendum, ingreſſis Eccleſiam, intermiſſiſque Litaniis vel Pſalmis, cantatur Antiphona cum Verſu, & Oratione Sancti Patroni illius Eccleſiæ. Deinde egredientes, reſumptis Precibus, eodem ordine procedunt uſque ad Eccleſiam, ubi cum Precibus, omnibuſque Orationibus Proceſſio terminatur, ut in fine Breviarii Romani poſt Pſalmos Pœnitentiales: Ita Rituale Romanum *de ordine ſervando in Litaniarum majorum Proceſſione*. Circa hanc Rubricam notandum primò venit, quòd paulò ante quam Proceſſio illam ingrediatur Eccleſiam, ſunt pulſandæ campanæ, nec debent ſilere donec omnes de Proceſſione ſint de illa Eccleſia omnino egreſſi. Notandum ſecundò, quòd aliquis Sacerdos Superpelliceo indutus, intra oſtium Eccleſiæ debet Aqua benedicta ingrediens aſpergere, ne interrumpatur Proceſſio in acceſſu ad concham. Notandum tertio, quòd Antiphona cum Verſu cantanda pro Titulari illius Eccleſiæ, ſumenda eſt ex ejus Communi in Breviario: Oratio verò non eſt dicenda, ut in Feſto ejuſdem Sancti, ſed ea cantanda eſt, quæ dici ſolet pro eo in Suffragiis ſeu Commemorationibus communibus, ut ait Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 7. *ſub numer.* 4. *pagina* 276. Et hæc Oratio præparetur ab illa Eccleſia,

ut

ut Officiator, qui ſecum habere non ſolet, niſi Rituale, poſſit eam opportuno tempore cantare. Non video tamen, cur non valeat cani etiam Oratio Feſti, ſi in illa non habeantur verba eidem Feſto dumtaxat convenientia. Notandum quartò, quod ex conceſſione cantandi Orationem de Titulari illius Eccleſiæ, non infertur ejus invocatio in egreſſu Proceſſionis, ut Aliqui faciunt, licèt deſcriptus ſit in Litaniis: tum quia facillimè diſcontinuatur ordo Invocationum reſumendarum: tum quia ſæpè contingit, quòd Sanctus ille non eſt de ea claſſe, ex qua ſunt alii, qui ſucceſſivè ſunt invocandi: Unde Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 12. *ſub num.* 13. *pag.* 266. neque concedit, ſi Titularis ſit de eàdem claſſe, quando inverti debeat ordo præſcriptus: ut ſi Sanctus Eccleſiæ Patronus ſit S. Laurentius, non eſt nominandus ante S. Stephanum, à quo eſſent reſumendæ Litaniæ, licèt ambo ſint de eàdem claſſe, quia in Litaniis eſt primus S. Stephanus: tunc tamen poſſet egrediendo nominari S. Laurentius Titularis, ſi Proceſſio ingrediendo terminaſſet cum S. Stephano incluſivè: quòd potius benè eſſet, ſi fieri poteſt.

Cùm autem quæſitum fuiſſet: An ille, qui recitat veſperi Matutinum cum Laudibus, poſſit etiam 368
ſtatim recitare has Litanias? Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 16. *ſub numer.* 6. tuetur affirmativam: & ideo reſpondet, quòd poteſt recitare: ejuſque ratio eſt, quia Rubrica conjungit Litanias cum Laudibus idcircò adimitur Verſiculus *Fidelium Animæ, &c.* vigore Rubricæ Breviarii *tit.* 30. *de Oratione*, *ſub num.* 3. *in fine*, ubi revera ſic habetur: *Qui Verſus* (Fidelium Animæ) *non dicitur, quando poſt aliquam Horam immediatè ſequuntur ſola Litania*: Sed in hoc caſu Litaniæ ſunt acceſſorium: ergo ſequuntur naturam ſui principalis: ſed principale ſunt Laudes: Ergo ſi poſſunt dici ipſæ, poteſt & dici acceſſorium, nempè Litaniæ: Sic videtur velle argumentari Gavantus. Huic tamen opinativæ ratiocinationi Gavanti adverſatur Guyetus *in Heortolog. libr.* 4. *cap.* 20. *quæſt.* 6. *pag.* 300. & contra Hominem inſurgit

ſurgit cum argumento ad hominem: Ait enim: Refert ipſemet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 7 *cap.* 13. *ad* 2. *Novembr.* Decretum Sacræ Rituum Congregationis *de die* 1. *Septembris* 1607. ne pridie Commemorationis omnium Fidelium defunctorum veſperi recitetur eorum Matutinum, ſed ipſa die manè: ſed Matutinum & Laudes Defunctorum æquè pars ſunt Laudum Diei, ac Litaniæ, nam æquè Laudibus adiunguntur per Rubricam, & æquè iis adimitur Verſus *Fidelium Animæ*: ergo à pari, ſi non poteſt veſperi dici Matutinum cum Laudibus Defunctorum, neque poſſunt dici Veſperi Litaniæ. Præterquàm quòd ratio Decreti prohibitivi ea vel maximè eſſe poteſt, quia cum dies ſecunda Novembris addita ſit pro Defunctis, anticipatò veſperi eorum Matutino cum Laudibus, ſupereſſet Orationis in ipſa Die: Sed ejuſmodi ratio æquè pugnat pro Litaniis Diei vigeſimæquintæ Aprilis addictis: Ergo ſi veſperi anticipentur, nihil ſupererit ejuſmodi Præcum in ipſo Die, cùm tamen anticipato pridie Officio Defunctorum, adhuc ſuperſit ipſo Die Miſſa a ſingulis Sacerdotibus pro Defunctus celebranda. *Hæc Guyetus.*

Attamen dicta Guyeti paritas mihi forſan videtur ſubſiſtere, ſuumque integrum robur habere, 369 niſi aliquid in contrarium inveniſſem; nam ſi uſus eſt (ut ipſe ibidem ait) multarum Eccleſiarum, ut veſperi decantent Matutinum & Laudes Defunctorum publicè, quod eſt majus, & abſque prævia in Choro Matutini cum Laudibus Diei recitatione, ut etiam in Cathedralibus concedit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. & 5. *pag. mihi* 267. & 269. & ipſemet Gavantus non reprobat ex conſuetudine in Eccleſiis Regularium *tom.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 2. *ſub numer.* 17. potuerunt quidem, & majori ratione, poſt ſolitam anticipatam Matutini recitationem cum Laudibus Diei, recitari veſperi, & proprio recitationis loco, Litaniæ privatim, quod eſt minus: ſiquidem hoc potiùs à pari mihi videtur inferendum: cùm enim in utroque caſu effixus ſit recitationi præciſus Dies, conceſſa unius anticipa-

tione,

tione, conceſſa videtur & altera: ex uno namque caſu commodum potiùs reſpiciente vel uſum, quàm privilegium, ex eodem Gavanto *loco citato, ſub numer.* 16. quid in ſimilibus ſit faciendum, oſtenditur: ex quo ſubſiſtere non cenſeo, quod addit Guyetus: *Nullibi receptum eſt, ut Litania pridie decantentur*, nam Gavantus non loquitur de publica earum decantatione, ſed de recitatione privata. Secuta verò à privatis veſpertina Litaniarum recitatione, quomodo quæſo nihil reſtat pro Die ſequenti? Nonne facienda eſt manè ſolemnis earumdem Litaniarum Proceſſio, cum interventu etiam privatim recitantium, qui ferè omnes ſaltem ex devotione, ſi non ex debito, iterum eas cum aliis decantant? Nonne reſtat canenda Miſſa de Rogationibus, cui totus Eccleſiæ Clerus aſſiſtit cantando? Et cùm applicatio Miſſarum in Die Defunctorum ſit ad libitum Sacardotum, & non neceſſariò pro omnibus, ut ſupponit Guyetus, cùm fieri poſſit pro aliquibus in ſpecie, ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1663. *ſub die* 4. *Auguſti*, nonne poſſunt Sacerdotes privatim veſperi Litanias recitantes, in Miſſa de Die rogare Deum in Memento Vivorum juxta intentionem Eccleſiæ, reſpectu finis, propter quem ſunt inſtitutæ? His igitur confutationibus innixus (parcat Guyetus) adhæreo potiùs opinioni Gavanti privatam veſperi Litaniarum recitationem admittentis ex uſu.

In Cathedrali denique Eccleſia ſolemniùs celebratur hæc Litaniarum Proceſſio. Die igitur vigeſimaquinta Aprilis congregatur de mandato Epiſcopi totus Clerus Sæcularis & Regularis, ac etiam, ubi conſuetum eſt, Confraternitates Laicorum, cum eorum Inſignibus, ante fores Eccleſiæ unde Proceſſio diſcedere debet, ſeu etiam intra Eccleſiam ſi ſit capax: ibique expectant, donec erit tempus. Tunc incipiet à Deputatis dirigi Proceſſio ordine ſolito, in qua priùs procedent Confraternitates Laicorum, deinde Religioſi, poſtmodùm Clerus, & Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimò Clerus Eccleſiæ Cathedralis, 370

cujus

cujus Canonici omnes, ſi commodè fieri poterit, erunt parati parame tis ſibi competentibus violacei coloris, quemadmodum ſolent, Epiſcopo celebrante, vel ſaltem ſex vel octo eorum erunt cum Pluvialibus. Ultimo loco procedet Epiſcopus paratus Pluviali ſimiliter violaceo, & Mitra ſimplici, medius inter duos Canonicos Diaconos aſſiſtentes, paratos Dalmaticis, & manu ſiniſtrà Baculum Paſtoralem geſtabit, dexterà verò Populo benedicet. Si erit Archiepiſcopus, præibit Crux Archiepiſcopalis ante Canonicos Eccleſiæ Cathedralis: & ſi conſuetum ſit, in hujuſmodi Proceſſione portari aliquas Sanctorum Reliquias & Sacras Imagines, ſervabitur conſuetudo: removendi tamen erunt à Proceſſionibus ludiori, & indecori actus. Hæc ordine ibit Proceſſio uſque ad Eccleſiam, ad quam juxta conſuetudinem Civitatis dirigitur, cujus Eccleſiæ Clerus, ubi ita conſuetum eſt, procedet obviam, uſque extra portam Eccleſiæ, Proceſſioni, ibique ſtans, eam recipiet. Per viam Proceſſionis cantentur Litaniæ, & alia quæ in Libro Ritualis Romani continentur, & nihil ultra. Ipſa tamen via priùs, de mandato Epiſcopi, ab omnibus in ea habitantibus mundetur. Prælati, ſi qui aderunt, de gremio Eccleſiæ, ibunt immediatè ante Epiſcopum: alii verò Prælati, Magiſtratus, & alii Nobiles laici poſt Epiſcopum. Cùm autem Epiſcopus, & Proceſſio pervenerit ad dictam Eccleſiam, celebretur ibi Miſſa ſolemnis Rogationum, & non S. Marci, niſi fuerit titulus Eccleſiæ (*ſed neque ſi fuerint titulus Eccleſia, occurrentibus Litaniis in Feria ſecunda, vel tertia infra Octavam Paſcha, quia Miſſa etiam ibi tunc cantanda erit de Rogationibus*) Celebretur ergo, vel ab Epiſcopo, vel ab aliquo Canonico coram eo, cum ſolitis cæremoniis: & in fine Epiſcopus dabit Benedictionem ſolemnem, & faciet publicari Indulgentiam. Si autem hæc Miſſa opportuniùs in regreſſu Proceſſionis in Cathedrali celebrari judicabitur, tunc in Eccleſia, ad quam Proceſſio pervenerit, per Epiſcopum, vel Celebrantem, cantata per Cantores Antiphona de Bea-

ta

ta Virgine, & de Sancto Titulari, ſubjungentur propriæ Orationes. Hucuſque, excepta parentheſi, Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 32. per tot. pag. mihi* 399.

Quòd ſi in Die S. Marci poſt Proceſſionem in 371
Eccleſia minori, ſeu non Collegiata cantatur unica Miſſa, ipſa debet eſſe de Rogationibus, & ſervanda eſt Rubrica Miſſalis Romani poſita ante Miſſam de S. Marco, ubi præſcribitur, quòd de prædicto Sancto cantanda eſt Miſſa tantummodo, quando Proceſſio terminatur ad Eccleſiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum canetur in Cæremoniali Epiſcoporum, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Galliarum de anno* 1693. *ſub die* 10. *Januarii*, apud Reverendiſſimum P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub num.* 507. ubi ſub numero 679. aliud refert ejuſdem Sacræ Congregationis Decretum *in Finſilden. de anno* 1736. 5. *Maii*, tenoris ſequentis, ſcilicet: *In Feſto S. Marci, vel reſpectivè in Feriis Rogationum, ſi fiat de Officio duplici vel Semiduplici, in Locis ubi una tantùm Miſſa cantatur, pro majori Populi commoditate, ut poſſit poſt Proceſſionem vacare lavoribus, convenientiùs eſt Proceſſionem facere poſt Nonam, inde cantare Miſſam Rogationum.* Cæterum, ubi Horæ Canonicæ dicuntur in Choro, non licet poſt Primam celebrare Miſſam Rogationum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, ut ſupplicante P. Juvenali Viſitatore Generali Congregationis Camaldulenſium de Monte Corona, reſpondit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1701. *ſub die* 22. *Januarii, ad primum Dubium*, quam reſponſionem, unà cum aliis eodem die emanatis, ſed modò ad noſtram rem non facientibus, ego Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Occurrente denique Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum *Credo*, ut reſolvit eadem Sacra Congregatio *in Collen. anno* 1698. *ſub die* 5. *Julii, ad decimum ſeptimum Dubium*, cujus Reſolutionis authenticum exemplar eſt itidem apud me;

& re-

& refert etiam ſupra citatus P. Merati, *ibidem*, *ſub num.* 530.

§. X.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam infra Octavam Paſchæ.

Feria tertia infra Octavam Paſchæ annexum habet præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. Ejus Officium celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo. De nullo autem Feſto hodie occurrente fieri poteſt utcumque ſolemniter celebrando, licèt illud ſit vel Patroni Loci, vel Titularis Eccleſiæ, vel ejuſdem Dedicationis: Ideoque, ſi hæc Feria tertia veniat die duodecima Aprilis, ut in Tabula vigeſima ordinis perpetui, Veronæ in Dominio Veneto transfertur Feſtum S. Zenonis Epiſcopi & Martyris, Patroni principalis Urbis, ſub ritu duplici primæ claſſis: Si verò incidat in diem decimamtertiam ejuſdem Menſis, ut in Tabula vigeſima prima, Ravennæ in Romandiola transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de Dedicatione Eccleſiæ Majoris: Si autem occurrat die vigeſima quarta dicti Aprilis, ut in Tabula trigeſima ſecunda, Ferrariæ in Statu Eccleſiaſtico transfertur Feſtum S. Georgii Martyris, Titularis Cathedralis, quod ibi eo die celebratur, & quidem ſub ritu duplici primæ claſſis. Quoad Officium hujus Feriæ tertiæ, omnia dicuntur, ut in Die Paſchæ, exceptis propriis, quæ hodie habentur in Breviario. Propria autem ſunt, Verſiculus *Surrexit Dominus verè*, Reſponſorium *Et apparuit Simoni*, tres Lectiones de Homilia S. Ambroſii Epiſcopi in Evangelium Lucæ *Stetit Jeſus in medio Diſcipulorum*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus 372

Stetit Jeſus, nec non & Oratio *Deus, qui Eccleſiam tuam:* quæ Oratio debet eſſe unica, licèt hodie occurrat Feſtum ſimplex, de quo idcircò nihil.

373 Miſſa hujus Feriæ tertiæ eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, nihil enim hac die fit de Feſto ſimplici occurrente, ſed neque de Die Anniverſaria Electionis, & Conſervationis Epiſcopi, ſi alicubi occurrat: unde benè Kalendariſta Ferrarienſis anno 1734. die 27. Aprilis adnotavit quidem in hac Feria tertia Anniverſatium Electionis Eminentiſſimi Epiſcopi Ruffi, ſed tacuit Collectam in Miſſa: Nihilominus vide ſupra Decretum pro Miſſa ſolemni in Feſto Epiphaniæ. Dicitur in hac Miſſa *Sequentia*, nec non & *Credo*, ac Præfatio *Te quidem, Domine*, *omni tempore ſed in hac*, ſicut & *Communicantes*, ac etiam *Hanc igitur*; quæ ſunt propria hujus Octavæ. Antiquitùs tamen dicebatur hodie Præfatio diſtincta, & ideò alia ab illa, quam habet hæc Octava Paſchalis in Miſſali: & eam extendit Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ; pagina 77. ſequentibus verbis exaratam, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus; per Chriſtum Dominum Noſtrum. Qui oblatione ſui Corporis, remotis Sacrificiorum carnalium obſervationibus, ſeipſum Tibi ſacram Hoſtiam, Agnumque immaculatum Summus Sacerdos pro ſalute noſtra immolavit. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Attamen Benedictio, quam tunc temporis ſolebat Epiſcopus Populo impertiri, & quam ad eruditam venerabilis Antiquitatis memoriam hìc duximus extendendam, erat hodie ea, quæ ſequitur, ex eodem Sacramentario Gregoriano Deprompta, ſcilicet: *Deus, qui vos lavit aqua ſui Lateris, & redemit effuſione Cruoris, ipſe in vobis confirmet gratiam adeptæ Redemptionis.* Amen. *Per quem renati eſtis ex Aqua & Spiritu Sancto, ipſe vos cœleſti conſociet regno.* Amen. *Quique dedit vobis initia Sancta Fidei, ipſe conferat & perfectionem operis, & plenitudinem charitatis.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa Sabbati Sancti.

Aliam

Aliam Præfationem cenſemus hoc proprio loco ponendam, ab Eccleſia Gallicana priſcis temporibus recitatam in Miſſa hujus Feriæ tertiæ, cæteroquin relatam à Mabillonio *in Liturg. Gallic. lib. 3. pag. 255.* & eſt ſequens, nempè: *Dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Per quem humanum genus vivificans, Paſcha etiam per Moyſen & Aaron famulos tuos Agni immolatione juſſiſti celebrari: conſequentibus temporibus uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſicut Agnus ad victimam ductus eſt, eandem conſuetudinem in memoriam obſervare præcepiſti: Ipſe eſt Agnus immaculatus, qui prioris populi primum Paſcha in Ægypto fuerat immolatus. Ipſe eſt Aries in verticem montis excelſi de vepre prolatus, ſacrificio deſtinatus. Ipſe eſt Vitulus ſaginatus, qui in tabernaculo patris noſtri Abraha propter hoſpites eſt victimatus: Cujus Paſſionem & Reſurrectionem celebramus, cujus & adventum ſperamus. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c.* Extenſis tamen antiquis Præfationibus, reſtat & alia hic ponenda, quæ noſtris etiam temporibus recitatur in Eccleſia Ambroſiana, ut Lector Eccleſiaſticus & videat priſcum morem, & ſimul vigentem. Præfatio igitur, quam pro hujuſmodi Eccleſia habet Miſſale Mediolanenſis editionis, in hac Feria tertia Paſchæ his paucis concepta verbis legenda conſpicitur, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tuam magnificentiam deprecantes, ut, qui alligans fortem noſtri generis inimicum, vaſa ejus diripere non deſiſtis, ad conſortium Chriſti tui facias venire vincentes, per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Circa verò Miſſam de Feſto hodie occurrente & conſequenter transferendo: De Votivis ſolemnibus in hanc Feriam tertiam incidentibus: De Miſſa pro Defunctis cantanda in Die Obitus: De celebratione hac Die in Oratoriis privatis facienda: De Miſſis deniqùe in Altari hodie forſan pro Animabus Privile- 375

vilegiato: vide quæ diximus ſupra in Feria ſecunda immediatè præcedenti: nam ea omnia, quæ heri in præmiſſis ſunt adnotata, etiam hodie ſunt adamuſſim ſervanda. Cæterùm ex duplici ratione poſſunt hac die dici Litaniæ Majores cum Miſſa Rogationum, ſcilicet: vel tamquàm in hac Feria tertia occurrentes: vel tamquàm in hanc Feriam tertiam translatæ. Et quidem tamquàm occurrentes, videlicèt, ſi hæc Feria tertia incidat in diem vigeſimam quintam Aprilis, ut in Tabula trigeſima tertia ordinis perpetui, nam dicendæ ſunt, quia occurrunt. Tamquàm verò translatæ hodie celebrantur, quando nempe hæc eadem Feria tertia veniat die vigeſimaſeptima ejuſdem Aprilis, ut in Tabula trigeſima quinta, & caſus fuit hoc Anno 1734. in quo ſcribo, futurus verò eſt remotiſſimus: nam tunc ex Die ſancto Paſchæ, in quo revera occurrebant, transferuntur in hanc ipſam Feriam tertiam, ex Decreto, Rubrica, & ratione ſuperiùs allatis in Dominica Reſurrectionis. Quoad tamen præceptum, modum, ordinemque haſce Litanias cantandi vel recitandi, ſatis ſuperque diximus in Feria ſecunda.

De Veſperis autem vel ſolemniter peragendis, 376
vel privatim recitandis, etiam in hac Feria tertia omnia ſumuntur ex ſecundis Veſperis de Die ſancto Paſchæ. Excipienda tamen eſt Antiphona ad Magnificat, ut propria hujus Diei, ſcilicet: *Videte manus meas*; ſicuti & Oratio, quæ in hac Feria eſt itidem propria, videlicèt: *Deus, qui Eccleſiam tuam, &c.* In hiſce verò Veſperis nihil fit de Feſto ſimplici forſan ſequenti, licèt enim cras de eo facienda ſit commemoratio, ut infra ſuo loco dicemus, hodie nihilominus eſt omittenda tam in ſolemni Veſperarum decantatione, quam in recitatione privata. Completorium denique nullam habet adnotandam ſpecialitatem, ſed totum dicitur ut in Dominica Reſurrectionis.

§. XI.

§. XI.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam quartam infra Octavam Paſchæ.

OFficium hujus Feriæ quartæ celebratur quidem ſub ritu ſemiduplici in colore albo, ſed non ideò cedit Feſto duplici primæ claſſis occurrenti, quod idcircò erit transferendum in primam diem non impeditam poſt hanc Octavam: quapropter ſi hæc Feria quarta veniat die vigeſima tertia Aprilis, ut in Tabula trigeſima, Segniæ in Dalmatia transfertur Feſtum S. Georgii Martyris, Urbis Patroni præcipui, quod propterea ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, & caſus fuit Anno 1710. ut etiam pro illa Civitate eodem anno in Kalendario ſeu Directorio adnotavi. Attamen quoad Officium hujus Feriæ quartæ, ſumuntur omnia ex Dominica Reſurrectionis, illis exceptis, quæ ſunt propria hujus Feriæ in Breviario. Propria verò ſunt, Verſiculus: *Gaviſi ſunt Diſcipuli*, Reſponſorium: *Viſo Domino*, tres Lectiones de Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Joannis: *Manifeſtavit ſe iterum Jeſus*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus: *Mittite in dexteram navigii rete*, atque etiam Oratio: *Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ, &c.* Ad Matutinum tamen, ſi hodie occurrat Feſtum ſimplex, non legitur ejus lectio, ſed ad Laudes fit tamen de eo commemoratio, ut ſi hæc Feria quarta occurrat die 14. vel decima ſexta Aprilis, ut in Tabula vigeſima prima, vel vigeſima quarta ordinis perpetui, tacita in Matutino vel utraque Lectione de SS. Tiburtio & Sociis, vel reſpectivè unica de S. Aniceto, fit de primis, vel ſecundo commemoratio dumtaxat in Laudibus: niſi 377

alicubi omnes iſti Dies infra Octavam Paſchæ celebrantur ſub ritu duplici primæ claſſis, prout in Breviario Bituricenſi in dicti ritus ſerie recenſeri, teſtatur Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *pag.* 251. nam ibi neque commemoratio de Feſto ſimplici occurrente erit in Laudibus facienda, juxta morem duplicis primæ claſſis commemorationem hujuſmodi excludentis.

378 Miſſa de hac Feria quarta infra Octavam Paſchæ eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum ſecunda tantùm Oratione contra perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa. Kalendariſtæ tamen deberent in annuis Diœceſum Directoriis hanc ponere alternativè ſecundam Orationem, ita ut una die adnotetur *Eccleſiæ*, altera verò die recitetur *pro Papa*: aliter iſta eſſet ſemper ſupervacanea, ſi illa ſemper diceretur: quod etiam obſervari faciant Sacriſtæ propter uniformitatem, ne in una eademque Eccleſia ab uno Sacerdote dicatur prima, ab alio verò eodem die legatur ſecunda: licèt enim ſit utraque ad arbitrium dicenda, benè tamen erit, ut dicta uniformitas ſervetur. Quòd ſi Sedes Apoſtolica vacaverit, tunc & eo caſu neceſſariò erit quotidie & ab omnibus dicenda ſecunda Oratio *Eccleſiæ*. Sicuti autem eſt res gravis dicere Orationem pro Summo Pontifice inter vivos exiſtente, ſic graviorem rem cenſeo, eo defuncto dicere Orationem *Pro eligendo*: nam ſi, donec de Epiſcopo ſucceſſore Capite unius Diœceſis proviſum fuerit, preces ad Deum continuè afferendæ ſunt pro opportuna novi Epiſcopi electione impetranda, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *libr.* 2. *capit.* 38. §. 26. *pag. mihi* 434. multo magis erit orandum pro novi Summi Pontificis creatione, qui non unius Diœceſis, ſed totius Orbis Catholici eſt Caput. Unde, ſalva meliori opinione, ſaltem in hujuſmodi caſu una die dicerem *Eccleſiæ*, altera verò die *Pro eligendo* recitarem. Si quis tamen ex Sacerdotibus habeat ex Litteris particularibus ſibi Roma fideliter tranſmiſſis certam, ſed privatam notitiam de creatione novi Pontificis, cum expreſſione Nominis ſibi impoſiti, non

non ideò debet dicere ſecundam Orationem pro Papa, ſed debet expectare publicum ſignum per feſtivam campanarum pulſationem, quia notitia ſumitur à Superioribus, non à privatis.

Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex in hac Feria quarta Paſchæ, ſecunda Oratio in Miſſa erit de eo, ſed non ideò tertia Oratio dicenda, ait & benè Gavantus *tom. 1. par. 1. tit. 9. ſub num. 8.* cum quo licèt optimo ac plurimùm venerando Auctore, acre tamen init certamen Guyetus *in Heortolog. lib. 4. ſect. 3. cap. 18. quæſt. 28. pag. mihi* 292. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. mordicùs tenens, in prædicto caſu Feſti ſimplicis occurrentis dicendam eſſe tertiam Orationem. Potiſſima hujus cæteroquin celeberrimi Auctoris ratio eſt, quia Rubrica in hac Feria quarta ſic habet: *Poſt Orationem Diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantùm, niſi facienda ſit commemoratio alicujus Feſti ſimplicis occurrentis*: Ergo (infert) ſi facienda ſit hujuſmodi commemoratio, dicitur Oratio tertia: Intelligit enim; quòd ly *tantùm* ſit vox quidem tertiæ Orationis excluſiva, quando tamen non occurrat ſimplex: ly verò *niſi* ſit incluſiva ipſius Orationis tertiæ, occurrente Feſto ſimplici. Ad hoc nihilominùs reſpondeo, quòd cùm Dictio *tantùm* ſit excluſiva tertiæ Orationis, Dictio *niſi* non adverſatur (ut ipſe putat) ipſi Dictioni *tantùm*, ſed ipſi Orationi tertiæ, & ideo *tantùm* ſtat pro ſola ſecunda Oratione, *niſi* verò pro Feſto ſimplici ad excluſionem tertiæ Orationis: & ideo utraque Dictio perinde ſe habet, ac ſi Rubrica diceret: *Poſt Orationem Diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantùm, niſi facienda ſit commemoratio alicujus Feſti ſimplicis, quia tunc loco ſecundæ Orationis aſſignatæ, dicitur ſecunda Oratio de ſimplici ſine tertia Oratione.* 377

Quidquid igitur ſit de aliis Rubricis ad ſuam rem à Guyeto ad tuendum oppoſitum relatis ad noſtram rem hunc eſſe ſenſum Rubricæ declaravit Sacra Rituum Congregatio ſub die 22. Novembris 1659. anno ſecundo poſt editionem Heortologiæ Guyetanæ factam primò Lutetiæ Pariſiorum anno 1657. 387

& ideo ejus opinio vix nata, obiit in cunabulis, & conſequenter illa Gavanti magis magiſque reviviſcit. Declaratio igitur eſt ſequens: *Inſtitutum fuit à Sacra Rituum Congregatione declaravi: In Miſſis ferialibus, quæ contingunt à Dominica Paſſionis ad Feriam quintam Cęna Domini, cùm facienda obveniat commemoratio de Simplici, an ſit omittenda tertia Oratio, quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempè, pro Papa, vel pro Eccleſia? Dubium inſurgit, ex quò Rubricæ præcipiant, dicendam eſſe ſecundam Orationem tantùm.* Sacra autem eadem Rituum Congregatio reſpondit, *omittendam eſſe tertiam Orationem, eo quod Rubricæ ſatis clarè diſponant: Et ita ſervari mandavit. Die 22. Novembris* 1659. Dictam Declarationem, prout ſtat & jacet, ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii. Dum ibi dicitur in numero plurali: *eò quòd Rubricæ ſatis clarè diſponant*, includuntur omnes & ſingulæ Rubricæ ad hanc rem, & conſequenter etiam illa hujus Feriæ quartæ: Ergo opinio Gavanti eſt ad ſenſum Rubricæ: Ergo illa Guyeti extra ſenſum. Dictum autem Decretum, una cum aliis poſtmodum ad hanc rem emanatis, confirmavit, & ſimul in ſequenti recentiſſimo univit eadem Sacra Rituum Congregatio *in una Rubricarum, edita anno* 1736. *ſub die* 15. *Septembris*, ubi ſic reſpondit, imò clarioribus verbis dixit. *In Miſſis Ferialibus à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam Quintam in Cęna Domini, & infra Octavas Paſchatis & Pentecoſtes, juxta alias reſolutiones* 22. Novembris 1659. in una Rubricarum, 13. Septembris 1692. in Cæſarauguſtana, & 4. Maij 1719. in Piſtorien. *occurrente Feſto ſimplici, non eſt dicenda tertia Oratio* Eccleſiæ, *vel* pro Papa: Sic enim refert teſtis omni exceptione dignus meritiſſimus ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultor, Reverendiſſimus Pater Cajetanus Maria Merati, *in addit. noviſs. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub num.* 700. *pagin.* 1429. *juxta primam editionem Romanam de Anno* 1737. Quartus autem *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 1. *tit.* 9. *ſub nu.* 8. dat rationem duarum tantùm Orationum

tionum infra hanc Octavam, quia ſcilicet noſtra intentio ferri debet in ſolùm Chriſtum redivivum & triumphantem, ſuamque Eccleſiam vivificantem.

381 Si verò ſimul cum Feſto ſimplici occurrat in hac Feria quarta Paſchæ etiam Dies Anniverſaria Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi; quid in hoc agendum? Omittenda eſt (ut reor) in Miſſa Collecta pro Epiſcopo. Si quidem, cùm non ſit omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſsali, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, ut pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Lateranenſium, ad nonum Dubium reſpondit *Sacra Rituum Congregatio ſub die 2. Decembris* 1684. Sequitur, quòd dicta Collecta pro Epiſcopo dici deberet poſt Orationem *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, & ideo tertio loco eſſet legenda: Sed ex ſuperiùs dictis nullo modo eſt dicenda tertia Oratio: Ergo Oratio pro Epiſcopo (ſive occurrat Simplex, ſive non) in caſu propoſito videtur omittenda. Verum quidem eſt, quòd hujuſmodi caſu alicubi forſan eveniente, ſuppleret tum Miſſa ſolemnis de dicta Die Anniverſaria in Cathedrali cantanda, ut poſſe hodie cantari, patet ex inferiùs dicendis: tum etiam recordatio omnium totius Diœceſis Sacerdotum in *Memento Vivorum*, de quo admonitio facienda eſt à Kalendariſtis in Diœceſano Directorio illius anni quoad hoc impediti: non enim eo modo, quo fieri poteſt, prætermittendæ ſunt preces Deo offerendæ pro diuturna ſui Epiſcopi incolumitate, ut verbo & exemplo, quibus præ eſt, proficiat. Quòd autem dicitur de hujuſmodi Die Anniverſaria, intelligendum venit de Gratiarum actione, de petitione Pluviæ, de poſtulatione Serenitatis, vel de aliis indigentiis, ſi hac die occurrant, ita ut cantata Votiva neceſſitati conveniente, privatim celebrantes Deum rogent in *Memento*, abſque additione Collectæ in Miſſa.

In dicta Miſſa de Feria quarta Paſchæ dicitur poſt Epiſtolam *Sequentia*, & poſt Evangelium *Credo*, 382
cum Præfatione *Te quidem, Domine &c.*, & cum *Communicantes*, atque etiam *Hanc igitur* propriis de Octava, Sed ut etiam hodie aliquid dicamus de antiqua

tiqua Eccleſiæ conſuetudine circa Præfationem, illa erat itidem propria hujus Feriæ quartæ, quam ex Libro Sacramentorum S. Gregorii, *pagin.* 78. diligenter de more tranſcriptam, Lectori Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudioſo integram exponimus, rem gratam ei, ut ſperamus, facturi: eſt igitur ea, quæ ſequitur, videlicet: *Verè dignum, & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam indeſſeſſis precibus implorare, ut qui Paſchalis Feſtivitatis ſolemnia colimus, in tua ſemper ſanctificatione vivamus. Quo per temporalis Feſti obſervationem, pervenire mereamur ad æternorum gaudiorum continuationem, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Nec tamen, omittere volumus Benedictionem illam ſolemnem, quæ priſco uſu Populis in Eccleſia ad audienda Divina Officia devotè congregatis tribuebatur, nam hac die erat ſequens, ſcilicet: *Dominus Deus noſter vos perducat ad arborem vitæ, qui eruit de lacu miſeriæ.* Amen. *Ipſe vobis aperiat januam Paradiſi, qui confregit portas Inferni.* Amen. *Ipſe vos eruat flagello, & in regnum ſuum perducat confitentes; qui pati dignatus eſt pro impiis innocens.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de Sabbato Sancto.

Sed, ut ſequamur morem inceptum, alias duas ponimus Præfationes, quarum prima olim recitata fuit: altera verò adhuc recitatur hoc noſtro tempore. Et quidem jam recitata, eſt illa, qua propria hujus Feriæ quartæ utebatur Eccleſia Gallicana, & ex Mabillonio *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 255. de verbo ad verbum deſumpta, erat ſequens, nempè: *Dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper laudes & gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui ſicut Ovis ad occiſionem ductus eſt: & ut Agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Hic enim eſt Agnus Dei, Unigenitus Filius tuus, qui tollit peccatum Mundi: Qui ſe pro nobis offerendo non deſinit, noſque apud te perpetua advocatione defendit. Quia nunquam moritur immolatus, ſed ſemper vivit occiſus:* 383

Pa-

Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Ut jam non in fermento veteri, neque in carnalium ſanguine victimatum, ſed in azimis ſinceritatis, & Corporis veritatis immolemus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c. Quæ autem adhuc recitatur Præfatio in Miſsa de hac Feria quarta Paſchæ, eſt illa contenta in particulari Ambroſianorum Miſſali ad eorum dumtaſſat uſum Mediolani impreſso, ex quo ſequentibus concepta verbis fideliter deprompta, ſic habet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterna Deus: Quia refulſit in æternum Dies noſtræ reſurrectionis, & gloria Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui idem Sacerdos & Hoſtia dignanter exiitit; non ſolùm qui ſanctificet Populum, ſed ipſos quoque dicatos Majeſtati tuæ commendet. Unde profuſis gaudiis, totus in orbe terrarum Mundus exultat: Sed & ſupernæ virtutes, & Angelicæ concinunt poteſtates hymnum gloriæ tuæ perpetim, ſine fine dicentes.*

Hiſce de Miſſa Diei adnotatis, videamus quid dicendum ſit de aliis Miſſis. De Feſto igitur hodie occurrente & transferendo cantari poteſt Miſſa, quia Rubrica Miſſalis *tit. 6. de translat. Feſtor.* excipit tantùm Dominicam Reſurrectionis cum Duobus Diebus ſequentibus: ergo hic Dies non eſt exceptus, juxta illud Axioma, *exceptio firmat regulam in non exceptis*. Attamen, ſi Feſtum transferendum ſit de Patrono Loci, non erit canenda Miſſa in qualibet Urbis Eccleſia, ut non benè adnotarunt quidam Kalendariſtæ, quorum Diœceſanos Libellos modò præ manibus teneo & ſub oculos habeo, ſed in illa dumtaxat Eccleſia, in qua Patronus Loci eſt Titularis, nam Rubrica præcitata loquitur expreſsè de Titulo. Licèt enim Patronus ſit totius Civitatis, non tamen eſt Titularis omnium Eccleſiarum Urbis: impedito ergo ejus Officio, quo liberè cantaretur de eo Miſſa in omnibus Eccleſiis, tota facultas cantandi ad unam reducitur Eccleſiam Titularem. Inſuper cantari poteſt Miſſa ratione concurſus Populi, ſed & quælibet Votiva pro re gravi, 384

can-

cantata tamen alia de Die, ut præſcribit prælibata Rubrica. Si verò cantetur Miſſa de SS. Sacramento pro Oratione quadraginta Horarum, in ejus repoſitione ad Verſiculum *Panem de Cœlo* additur *Alleluja* ratione temporis Paſchalis, ut præcipit Clemens Undecimus *in noviſſ. Bullar. Rom. tom. 8. par. 2. Conſtitut.* 9. §. 21. Non tamen cantanda eſt Miſſa de Venerabili in cantu fundata, ſeu relicta, vel ordinata à Benefactoribus, quam in hujuſmodi Diebus duplicia excludentibus cantari non poſſe, ſed eſſe cantandam de Die, cum applicatione Sacrificii, ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri reſolvit, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, quam abuſum eſſe declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die 24. Julii* 1683. apud Henricum Piſart *in Expoſit. Rubricar. Miſſal. Roman. par. 1. tit. 4. de Miſſis Votivis, ſub numer. 8. pag. 8.* & refert etiam P. Merati *tom. 1. par. 2. in Indice, ſub numer.* 463. Et ratio eſſe poteſt, quia hodie cantari poteſt Votiva pro re gravi: Sed non eſt res gravis adimpletio mentis Benefactorum, quæ adimpleri poteſt per Miſſam cantatam de Die: Ergo non eſt cantanda prædicta Miſſa.

In dictis Miſſis Votivis ſolemniter celebrandis 385
pro re gravi, ad Introitum dicuntur duo *Alleluja*, & unum ad Offertorium, ac alterum ad Communionem, ubi ſcilicet non habetur, prout præſcribit Rubrica de Miſſis Votivis, in fine Miſſalis Romani. Non tamen in eis dicendum eſt Graduale, quod convenit quidem huic Octavæ, ſed non Votivæ Paſchali, inquit & benè Gavantus *in Theſauro Sacror. Rit. tom. 1. par. 4. tit. 17. ſub num. 12.* quem ſequitur Bauldryus *in Manuali Sacrar. Cæremoniar. par. 4. tit. 12. ſub num. 7. pag.* 265. & idem ſentit Guyetus *in Heortolog. lib. 4. cap. 21. quæſt. 16. verſ. Tertium, pag. mihi* 312. *juxta edit. Venet. poſt Pariſien.* Sed de hac Gradualis omiſſione ſatis ſuperque clarè loquitur Rubrica generalis *tit. 10. ſub numer. 2.* remiſſivè ad exemplum *in Sabbato in Albis*: & etiam alia Rubrica *in Votiva SS. Sacramenti.* Omnes autem & tres præcitati Auctores *locis citatis*, non

dice.

dicerent duo *Alleluja* in fine hujuſmodi Votivarum ſolemnium ad *Ite miſſa eſt*, forſan quia addere *Alleluja* ad Introitum, Offertorium, & Communionem, eſt temporis Paſchalis, ſed ad *Ite miſſa eſt*, eſt ſolius Miſſæ de Octava. Quòd ſi Votiva ſolemnis habeat Præfationem propriam, ea proculdubio dicenda erit, omnibus in hanc ſententiam convenientibus, ſed ſemper tum *Communicantes*, tum etiam *Hanc igitur* de Octava, licèt de ea non ſit facienda commemoratio in hiſce Votivis ſolemnibus. Unum denique de Votivis ſolemnibus hodie celebrandis reſtat dicendum, quòd notat Guyetus ſupra relatus, *in fine illus quæſtionis decimæ ſextæ*: Ait enim, quod ſunt qui in Votiva ſolemni de SS. Sacramento inſerunt Sequentiam *Lauda Sion Salvatorem*, quam rectiùs omittendam dicit: ſed ego non ſolùm rectiùs, ſed abſolutè omittendam eſſe teneo, tam ex ratione, quia non verificatur ennunciatio illa *Dies enim ſolemnis agitur*, quàm etiam, quia ejus Feſto aliquid ſpecialitatis eſt relinquendum: Præterquàm quòd cantanda eſt illa, quæ habetur inter Votivas in fine Miſſalis: Sed ibi non adeſt *Sequentia*: ergo in decantatione hujus Votivæ eſt omittenda.

Non tamen poſſunt hodie dici Miſſæ Votivæ privatæ, aut de Requie, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, de quo in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 525. *pagina* 156. Miſſæ tamen privatæ de Octava ad Altare quomodolibet Privilegiato celebratæ, ſuffragantur, ut dixi in Feria ſecunda præcedenti. Una tamen conceditur Miſſa ſolemnis pro Defunctis, præſente Corpore in Eccleſia: unam dixi, non plures, ſi plura forſan convenient Capitula diſtincta ad celebrandas Exequias in eàdem Eccleſia. Ad hanc tamen Miſſam ſolemnem in Die Obitus non accenditur Cereus Paſchalis, Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 8. *ſub numer.* 4. *pag.* 428. Bauldryus *in Man. Sacr. Cærem. par.* 4. *cap.* 11. *artic.* 5. *ſub num.* 24. *pag.* 263. Quartus *de Benedict. ſect.* 6. *dubit.* 3. *pag. mihi* 121. Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. 386
cap.

cap. 18. *quæſt.* 30. *pag. mihi* 294. & noviſſimè Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 21. *verſ. Cavendum*, *pag.* 127. Et quia nullam de hoc reddunt rationem, ratio idcircò eſſe poteſt, quia cùm Cereus Paſchalis repræſentet ex alibi dictis Chriſtum reſurgentem, *quem quæris? viventem cum mortuis?* Quod autem conceſſum dicimus de unâ Miſsâ ſolemni pro Defunctis in Die Obitus, non intelligimus extenſum ad Anniverſarium Defunctorum, ſiquidem hujuſmodi Miſsâ licèt ſolemnis non poteſt cantari infra hanc Octavam Privilegiatam; ut ad favorem omnium & ſingularum Octavarum Privilegiatarum declaravit *Sacra Rituum Congregatiò in Colten. ſub die* 5. *Julii* 1698. *in reſponſione ad nonum Dubium*: quam quidem Declarationem, unà cum aliis ad noſtram rem non facientibus; ego aſſervo Domi in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de manu propria Illuſtriſſimi D. Secretarii: & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*; *ſub num.* 526.

Si verò hæc Feria quarta Paſchæ incidat in diem vigeſimam quintam Aprilis, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui, dicendæ erunt Litaniæ Majores, tam publicè cum Proceſſione, quàm privàtim à non intereſſentibus, eo prorsùs ordine & modo, de quo ſupra in Ferià ſecunda præcedenti. Miſſa quoque cantanda erit de Rogationibus, ſervatis tamen, quæ in dicta Feria ſecunda diximus eſſe ſervanda. Hæc autem Miſſa de Rogationibus non dicitur hodie in Eccleſia Sancto Marco dicata: licèt enim in Eccleſia etiam Titulari transferendum ſit hac die ejus Feſtum, poteſt nihilominùs ibi cantari Miſsâ de eo; juxta Rubricam Generalem Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* Et cùm per Miſſam cantatam fiat in dicta Eccleſia Titulari convenienter Solemnitas, intrat Decretum Sacræ Rituum Congregationis de die 23. Maii 1603. in quo dicitur: *Si Proceſſio Litaniarum Majorum terminetur ad Eccleſiam S. Marci, cantatur ibi Miſſa de S. Marco*, quia titulus eſt Eccleſiæ, & lætitiæ locus eo die, & idcircò in Miſsâ de eodem Sancto neque ſit commemo- 387

memoratio Rogationum. In dicta Miſſa S. Marci, ad Introitum adduntur duo *Alleluja*, unumque ad Offertorium, & Communionem, cum *Gloria*, atque *Credo*, cum Prefatione inſuper Apoſtolorum, ſed cum *Communicantes*, & cum *Hanc igitur* de Octava Paſchæ: nec ideo adduntur duo *Alleluja* in fine ad *Ite miſſa eſt*, quidquid ſentiat Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 2. ſub num. 4. pag.* 430. & cum eo Turrinus *in Director. Sacrificant. par. 3. ſect. 3. cap. 1. pag. 182. juxta edit. Venet. de Anno* 1732. nam quamtumvis (vocanda) ſit Miſſa ſemifeſtiva, aliquid habens juris in Die ſuæ ſedis propria, illud tamen duplex *Alleluja* ſoli convenit Miſſæ de Octava Paſchæ; aliud enim eſt Tempus Paſchale, & aliud Octava Paſchæ: Nec mihi videtur metaphyſica hæc diſtinctio, ſiquidem revera ſumus modò & infra Octavam Paſchæ, & intra Tempus Paſchale: quæ igitur ſunt Temporis, conceduntur: quæ verò Octavæ, denegantur: unde etiam pro hac Miſſa S. Marci adhæreo tribus celebribus Auctoribus paulò ante citatis, licèt loquantur de Votivis ſolemnibus.

Quòd ſi Eccleſia S. Marci, ad quam terminatur Proceſſio, ſit una ex illis, quibus onus incumbit cantandi duas Miſſas, diſpenſatur in hoc caſu ab hujuſmodi duplici decantatione: alioquin Solemnitas, quæ non contaminatur per Miſſam cantatam de Feſto, contaminaretur per ſecundam de Rogationibus: quod clarè infertur ex Gavanto *tom. 1. par. 4. tit. 11. ſub numer. 9.* ubi ait, quòd niſi ſit Eccleſia S. Marco dicata, cantandæ ſunt duæ Miſſæ: ergo una duntaxat eſt cantanda, ſi terminetur Proceſſio ad Eccleſiam S. Marci. Sequitur ex dictis, quòd ſi Proceſſio procedat quidem ad Eccleſiam S. Marci ad Miſſam de eo cantandam, ſed non terminetur ibi eadem Proceſſio, in regreſſu ad Eccleſiam termini à quo, reſumuntur Litaniæ, quibus completis cum Precibus, altera ibi cantanda erit Miſſa de Rogationibus. Imò ſi Proceſſio inchoetur in Catedrali vel Collegiata poſt Miſsam ibi cantatam de Die, & progrediendum ſit ad Eccle- 388
ſiam

ſiam S. Marci, in qua forſan cantari debet Miſſa de Feſto, ſi adhuc Proceſſionaliter ſit redeundum ad dictam Eccleſiam Cathedralem vel Collegiatam, tertia Miſſa erit ibidem cantanda de Rogationibus poſt Litanias & Preces, quæ non debent terminari ſine Miſſa: nec mirum: nam ſi in Vigilia Aſcenſionis fiat de Feſto novem Lectionum, cantantur tres Miſſæ, vigore Rubricæ, nempè de Feſto, de Vigilia, & de Rogationibus, poſt Tertiam, Sextam, & Nonam, Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *num.* 14. Quod autem prædicatur de Miſſa ſolemni S. Marci, intelligitur prædicatum de alio quovis Titulari alicubi die vigeſimaquinta Aprilis forſan occurrente: ut ſi ſit Titularis S. Anianus Beati Marci Diſcipulus, ejuſque in Epiſcopatu Succeſſor: vel ſit S. Stephanus Epiſcopus & Martyr: vel alius quivis Sanctus in Martyrologio, dicta die vigeſima quinta, deſcriptus, & ſimul incidat hæc Feria quarta Paſchæ, Miſſa erit proculdubio cantanda de eo, ſi ad ejus Eccleſiam terminetur Proceſſio: cùm ratio Decreti ſupracitati, quæ valet pro S. Marco, valere etiam debeat pro alio quovis Titulari eadem die occurrente: exemplum enim unius Feſti, quid in ſimilibus ſit faciendum, nos inſtruit.

389 Circa Veſperas hujus Feriæ quartæ quid adnotandum occurrit? Parùm: Quæ enim vel publicè cantatæ ſunt, vel privatim recitatæ, in Die Paſchæ, eædem hodie reſumuntur. Varietas autem ſtat in Antiphona ad *Magnificat*, quæ in hodiernis Veſperis eſt propria, ſcilicet *Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis*: nec non & in Oratione, cujus initium eſt *Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ*. Attamen ſi cras occurrat Feſtum ſimplex, in Veſperis hujus Feriæ quartæ fit commemoratio de eo; & cùm non poſſit occurrere, niſi Feſtum vel SS. Tiburtii & Sociorum, vel S. Aniceti, vel etiam S. Vitalis, ut in Tabula vel vigeſima, vel vigeſimatertia, vel denique trigeſimaquarta, hinc eſt, quòd Antiphona cum Verſiculo & Reſponſorio ſumenda erit ex Communi Martyrum Tempore Paſchali, Oratio verò habetur

habetur ſuo loco extenſa in Proprio de Sanctis. De Completorio autem nihil novi reſtat dicendum, ſiquidem regulatur, ut in Dominica Reſurrectionis. Hùc tamen accedit, quod non ſemel in praxi vidi obſervatum apud aliquas Eccleſias in meis itineribus. Cùm enim conceſsa ſit ex ſuperiùs dictis Miſſa ſolemnis de Feſto transferendo Titularis Eccleſiæ, cantatæ etiam fuerunt Veſperæ de eodem Feſto, illi forſan innixæ Axiomati, quòd conceſſo principali nempè Miſsa, conceſsum etiam intelligatur acceſsorium nempè Veſperæ. Hanc tamen opinionem in nulla auctoritate fundatam ego ſtabilire non audeo. Audiò tamen Gavantum egregè ad rem noſtram loquentem *tom. 1. par. 1. tit. 6. de translat. Feſtor.* Ait enim circa conceſſionem Miſsæ ſolemnis de Feſto Titularis, cæteroquin transferendo tamquam impedito, ut in noſtro caſu: *Vide hoc loco ſolutiores Leges Miſſæ, quàm Officii Divini, quia Populus concurrit ad audiendam potiùs Miſſam, quàm Veſperas: ideo conceditur poſſe fieri alteram Miſſam ſolemnem de Feſto translato.* His igitur ſuppoſitis, ſic breviter argumentor: Solutæ ſunt Leges pro Miſſa ſolemni Titularis: ergo remanent ſervandæ pro Veſperis utique non cantandis: ergo conceſſo principali, excluditur in noſtro caſu acceſſorium.

Concludamus tamen hanc Feriam quartam cum iis, quæ fieri ſolent à Papa. Romæ Summus Pontifex anno primò ſui Pontificatus, aliquo Die poſt Paſcha ante Sabbatum in Albis, & plerumque in hac Feria quarta, & duabus ſequentibus, prout ipſi Pontifici videtur, ſolemnem facit Agnorum Dei Benedictionem, ut Auctor Anonymus habet in Opuſculo Coloniæ Agrippinæ impreſſo 1557. cui titulus: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive, Sacrarum Caremoniarum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Libri tres, pag. 79. à tergo*: & poſtmodum hoc idem refert Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 3. pag.* 430. Benedictus Decimuſtertius Anno Jubilæi 1725. qui primus fuit ſui Pontificatus, prædictos Agnos Dei ſolemniter benedixit in hac Feria quarta, in quin- 390

ta, & ſexta ſequentibus, ſcilicet Diebus quinta, ſexta, & ſeptima Aprilis tunc occurrentibus infra Octavam Paſche, ut dixi in ejus Vita quam Italicè conſcripſi, & Pater meus Leonardus impreſſit, pagina quinquageſima ſexta, juxta verò editionem Mediolanenſem, pagina octogeſima tertia.

§. XII.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam quintam infra Octavam Paſchæ.

OFficium hujus Feriæ quintæ celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore albo, & nihilominùs transfertur Feſtum duplex primæ claſsis hac die alicubi occurrens quapropter ſi hæc Feria quinta veniat die vigeſimaſexta Aprilis, ut in Tabula trigeſimaſecunda ordinis perpetui, Pyrhani Oppidi conſpicui de Diœceſi Juſtinopolitana, ubi reſidet Venetus Prætor, transfertur Dedicatio Eccleſiæ majoris, quæ ritu gaudet duplici primæ claſſis: Si verò incidat in diem vigeſimamſeptimam ejuſdem Menſis, ut in Tabula trigeſimatertia, Tarviſii in Marchia hujus nominis ſub Dominio Veneto, transfertur Feſtum duplex primæ claſsis de S. Liberale Confeſsore, præcipuo illius Urbis Patrono. Quoad tamen Officium hujus Feriæ quintæ, ſumptis quæ ſumenda ſunt ex Die ſancto Paſchæ, quædam ſunt propria hujus Diei, videlicet, Verſiculus *Surrexit Dominus de Sepulchro*, Reſponſorium *Qui pro nobis*, tres Lectiones de Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Joannis *Maria ſtabat ad Monumentum*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Maria ſtabat*, nec non & Oratio *Deus, qui diverſitatem Gentium*. Si verò occurrat Feſtum ſimplex, 391

plex, omiſsa ad Matutinum ejus Lectione, fit in Laudibus commemoratio de eo, cujus Antiphona, Verſiculus, & Reſponſorium, ſumuntur ex Communi Martyrum Tempore Paſchali, quia non poteſt occurrere, niſi unum ex tribus Feſtis ſimplicibus ſupra enumeratis in Veſperis Feriæ quartæ præcedentis.

Miſsa eſt propria hujus Feriæ, quintæ, in qua dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione *pro Papa*, ſi heri dicta ſit Oratio *Eccleſiæ*, niſi occurrat Feſtum ſimplex, quia tunc ſecunda Oratio erit de Simplici, omiſsa tertia Oratione, ut fuſiùs diximus ſupra in Feria quarta immediatè præcedenti, ubi plura ad rem ibidem remiſſivè videnda. In hac Miſsa dicitur *Sequentia*, nec non & *Credo*, cum Præfatione Octavæ *Sed in hac potiſſimùm die*, & cum ſuis *Communicantes*, atque *Hanc igitur* propriis. Non tamen diſcedendum cenſemus à noſtro more circa ea, quæ ex antiquo Eccleſiæ uſu ſolemus deſumere pro Eccleſiaſticorum utriuſque Cleri laudabili eruditione. Enim vero delectet Antiquitas, & ſub oculos poſitam placere magis agnoſcimus. Ergo etiam in hac Feria quinta recitabatur diſtincta Præfatio, quam ex ſæpè citato Sacramentario Gregoriano, *pagina* 78. tranſcriptam, hìc integram habes, Lector Eccleſiaſticæ, priſcæ conſuetudinis amator, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos per Paſchale myſterium docuit vetuſtatem vitæ relinquere, & in novitate ſpiritus ambulare, à quo perpetuæ mortis ſuperatur acerbitas, & æternæ vitæ Fidelibus tribuitur integritas. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Sed & Benedictio ex eodem Libro Sacramentorum extracta, quam Populo in Eccleſia congregato ſolebat inter Miſsarum ſolemnia olim Epiſcopus impertiri, erat ea, quæ ſequitur, ſcilicet: *Omnipotentis Dei, & Domini noſtri Benedictionibus repleamini, cujus eſtis Sanguine pretioſo redempti.* Amen. *Ejus vos indeficiens repleat gratia, cujus ineffabilis plaſmavit potentias.* Amen. *Et qui vobis in hoc Mundo*

 praſti.

392

praſtitit conditionem naſcendi , ipſe in regno æterno tribuat manſionem ſine fine vivendi . Amen . *Quod ipſe praſtare dignetur* , *&c.* cum reliquis , ut ſupra in Miſſa Sabbati Sancti .

Ne autem hæc Feria , quinta aliis careat Præfationibus , quas præteritis diebus duximus non omittendas , en antiquæ conſuetudinis Gallicanam propriam , ex eruditiſſimo Mabillonio deſumptam *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 257. hiſce præciſis verbis conceptam , nempè : *Verè dignum & juſtum eſt , unanimes & concordes omnipotentem Deum profuſiùs deprecari cum unico Filio ejus Domino Jeſu Chriſto Salvatore noſtro , qui Eccleſiam ſuam ſecunda liberavit à morte , quando Sanguis ipſius effuſus eſt ſuper Cruce . Per ipſum te rogamus , omnipotens Deus , ut Eccleſiam tuam augeas in Fide , cuſtodias in Spe , protegas in Charitate : & ſacrificia noſtra libens ſuſcipere digneris cum gloria & honore . Et ideo cum Angelis & Arcangelis laudamus , dicentes .* Et quia Præfationum antiquitati addere poſſumus etiam eam , quæ in viridi obſervantia adhuc exiſtit , & in particulari Eccleſiæ Ambroſianæ Miſſali reperitur , ideò ſequenti contentam formula habes, Lector Priſci moris ſimul & vigentis ſtudioſe , in hac Feria quinta recitari ſolitam , videlicet : *Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi ſemper , & ubique gratias agere , Domine ſancte , Pater omnipotens , æterne Deus , per Chriſtum Dominum noſtrum . Qui oblatione ſui Corporis , remotis ſacrificiis carnalibus victimarum , ſeipſum tibi pro ſalute noſtra offerens , idem Sacerdos & ſacer Agnus exhibuit . Unde profuſis gaudiis , totus in orbe terrarum Mundus exultat : Sed & ſuperna virtutes , & Angelica concinunt poteſtates hymnum gloria tua perpetim , ſine fine dicentes .* 393

De Miſſa verò Feſti occurrentis & transferendi , Votiviſque ſolemnibus & privatis , ac pro Defunctis & in Anniverſario , nec non de Altari Animabus Privilegiato , videnda ſunt quæ ſupra diximus in Feria quarta præcedenti . Circa tamen Litanias Majores , ſi occurrant in hac Feria quinta , ut in Tabula trigeſimaprima ordinis perpetui , modum 394

eas

eas recitandi extendimus jam in Feria ſecunda Paſchæ, ſed quoad Miſsam in Eccleſia S. Marco dicata cantandum, diximus in dicta Feria quarta: quæ omnia ſuis reſpectivè locis reperientur. Remanet igitur, ut aliquid vel breviter diſseramus de hodiernis Veſperis, quæ ſicuti dicuntur ut in Die Paſchæ, ſic parùm nobis relinquunt adnotationis. Pauca ſunt propria hujus Diei, nempè Antiphona ad Magnificat *Tulerunt Dominum meum*, atque etiam Oratio *Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ*: Dicta Oratio in hiſce Veſperis erit unica, niſi craſtina die occurat Feſtum ſimplex, cujus ratione admittenda eſt hodie ejus commemoratio; tam in privata Veſperarum recitatione, quàm in publica decantatione earumdem: Quapropter ſi hæc Feria quinta incidat in diem vel decimam tertiam, vel decimamſextam, aut vigeſimamſeptimam Aprilis, ut in Tabula vel decimanona, vel vigeſimaſecunda, vel trigeſimatertia, occurret in his Veſperis commemoratio facienda vel de SS. Tiburtio & Sociis, vel de S. Aniceto, vel de S. Vitale, cum Antiphona, Verſiculo, & Reſponſorio ex primis Veſperis de Communi Martyrum Tempore Paſchali, & cum Oratione proprio loco extenſa in Breviario. Completorium denique dicitur, ut in Die Paſchæ.

§. XIII.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſextam infra Octavam Paſchæ.

OFficium hujus Feriæ ſextæ eſt ſemiduplex, & celebratur in colore albo, ſed huic ritui cedit tamen quodvis Feſtum hodie forſan alicubi occurrens. Quapropter ſi hæc Feria ſexta incidat in diem quintam Aprilis, ut in Tabula decima ordinis perpetui, Peruſiæ in Statu Eccleſiaſtico transfertur Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, & conſequenter Feſtum duplex primæ claſſis: Si verò veniat die vigeſimaquarta ejuſdem Menſis, ut in Tabula vigeſimanona, Genuæ in Liguria transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Georgio Martyre, Urbis Patrono, quod ibi dicta die celebratur, non vero die vigeſimatertia, ut in Eccleſia Univerſali. Quoad Officium hujus Feriæ ſextæ, omnia dicuntur ut in Dominica Reſurrectionis, exceptis propriis. Propria autem ſunt, Verſiculus *Surrexit Dominus verè*, Reſponſorium *Et apparuit Simoni*, tres Lectiones de Homilia S. Hieronymi Presbyteri in Evangelium *Undecim Diſcipuli abierunt*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Undecim Diſcipuli*, ſicuti & Oratio *Omnipotens, ſempiterne Deus*. Quòd ſi hac die occurrat Feſtum ſimplex, ad Matutinum non dicitur ejus Lectio, ſed in Laudibus fit de eo commemoratio, cum Antiphona de Communi Tempore Paſchali, & cum Oratione ut in Proprio de Sanctis in Breviario. 395

Miſſa hujus Feriæ ſextæ eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, & ſecunda Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro* 396

Papa,

Papa, ſed ſi heri dicta fuit *pro Papa*, hodie meo judicio dicenda erit *Eccleſia*, ut ſervata alternativa, ambæ dicantur: niſi occurrat Feſtum ſimplex, quia tunc ſecunda Oratio dicetur de eo, omiſſa tertia Oratione, ut videre eſt in Feria quarta præcedenti, ubi nonnulla adnotantur ad hanc rem ſcitu digna. Si verò non occurrat Feſtum ſimplex, non dicerem Orationem ſecundam pro occurrente Die Anniverſaria Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi: Ratio autem eſt, quia hujuſmodi Oratio dicenda eſt poſt Orationes aſſignatas de tempore in Miſſali: Sed ſi hodie diceretur poſt aſſignatam, diceretur poſt ſecundam, & ideo tertio loco, contra Rubricam hujus Octavæ: Ergo non dicerem, & conſequenter eo Anno omitterem. Quòd autem dicenda ſit poſt aſſignatas de tempore, patet ex ſuperiùs dictis in Miſſa de Feria quarta præcedenti; & hoc etiam intellexit Kalendariſta Ferrarienſis, qui Anno 1733. die 13. Aprilis tunc Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, adnotavit in Feſto ſemiduplici S. Hermenegildi ſecundam Orationem *Concede* tunc temporis aſſignatam in Miſſali, deinde tertiam pro Die Anniverſaria Conſecrationis Eminentiſſimi Cardinalis & Epiſcopi D. Thomæ Rufi: quæ tunc temporis dici poterat: licèt (ſalvo meliori judicio) ſi poſuit ſecundam aſſignatam, poterat etiam ponere tertiam Eccleſiæ, vel pro Papa, quæ eſt altera ex aſſignatis, & quarto loco adnotare Collectam pro Eminentiſſimo Cardinale & Epiſcopo, quæ poterat eo loco dici. Quoad autem caſum omiſſionis Collectæ, ſupplet Miſſa ſolemnis in Cathedrali & Collegiatis cantanda de dicta Die Anniverſaria, quæ hodie cantari poteſt: ſupplet & Oratio mentalis omnium Sacerdotum Diœceſis in *Memento Vivorum*, ut alibi diximus, facta eo Anno de hoc admonitione in Directorio à Kalendariſta.

In dicta Miſſa de Feria ſexta infra Octavam Paſchæ dicitur ſequentia, *Credo*, Præfatio, *Communicantes*, nec non & *Hanc igitur* propria. Ut autem incæptum morem proſequamur, etiam hodie Præ- 397

ſatio antiquitùs erat alia ab ea, quæ modò habetur in Miſsali: & ideo in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ., *pagina* 79. legitur ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ſecundùm promiſſionis ſuæ incommutabilem veritatem, cæleſtis Pontifex factus in æternum, ſolus omnium Sacerdotum peccati remiſſione non eguit, ſed potiùs peccatum Mundi idem verus Agnus abſterſit. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Benedictionem quoque Epiſcopalem, quæ tunc temporis Populo dari ſolita erat, habet dictum Sacramentarium Gregorianum *loco citato*, ex quo diligenter transſcripta, eſt tenoris ſequentis, ſcilicet: *Benedicat vos de Cœlis omnipotens Deus, qui per Crucem & Sanguinem paſſionis ſuæ vos dignatus eſt redimere in Terris.* Amen. *Ipſe vos renovet à vetuſtate peccati, qui pro vobis dignatus eſt crucifigi; voſque ad cœleſtia ſuſcitet qui pro vobis inferos penetravit.* Amen. *Vitam ſuam vobis Dominus tribuat, qui mortem veſtram ſuſcepit & perdidit.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſsa de Sabbato Sancto.

Diverſam à Gregoriana habet Miſſale Gothicum-Gallicum Præfationem, quæ ante mille annos in uſu erat apud Gallos, & quam refert eruditiſſimus Antiquitatis perſcrutator Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib.* 3. *pag.* 257. ſequenti longiori formula conceptam, nempè: *Dignum, & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, quem pro nobis omnibus tradi Hoſtiam voluiſti. O mira circa nos pietatis tuæ dignatio! O ineffabilis dilectio charitatis: ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti. O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! Numquam enim, quanta circa nos pietatis tuæ dilectio eſſet, cognoſceremus, niſi ex morte unici & coæterni Filii tui Domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti probaremus. Vicit malitiam diaboli pietatis tuæ dignatio* 398

quia

quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia. Sed plùs nobis tua miſericordia reddidit, quam invidus inimicus abſtulerat. Ille Paradiſum invidit, tu Cœlos donaſti. ille mortem temporalem intulit, tu vitam perpetuam tribuiſti. Propterea profuſis gaudiis, totus in orbe terrarum Mundus exultat, Sed & ſuperna concinunt poteſtates hymnum gloriæ tuæ, ſine fine dicentes. Hoc autem tempore breviſſimam in hac Feria ſexta recitant Præfationem Ambroſiani, ex quorum particulari Miſſali Mediolani ad eorum dumtaxat uſum impreſſo deſumpſimus, & eſt ſequens, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus: Poſcentes, ut cujus muneris myſticum pignus accepimus, manifeſta donà comprehendere valeamus. Et quæ nobis fideliter ſperanda Paſchale contulit Sacramentum, attingere mereamur Reſurrectionis Dominicæ firmitate, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Cum autem non ſint multiplicanda entia ſine ne- 399
ceſſitate, idcircò videantur quæ ſupra diximus in Feria quarta præcedenti quoad Miſſam cantandam de Feſto hodie occurrente, & transferendo, circa Votivas ſolemnes, & privatas, nec non de *Requiem*, & in Anniverſario Defunctorum, ac circa Miſſas de Die in Altari Animabus Privilegiato celebrandas. De Litaniis verò Majoribus in hac Feria ſexta occurrentibus, ut in Tabula trigeſima ordinis perpetui, ſatis ſuperque diſſeruimus in Feria ſecunda itidem præcedenti: nec non de Miſſa in Eccleſia S. Marci cantanda, ſi ad eam terminetur Proceſſio, jam ſermo fuit in præcitata Feria quarta. Sed ut Officium hodiernum ſuas habeat Veſperas licèt parùm diſtinctas, hæ igitur dicuntur ut in Die Paſchæ: excipiuntur tamen propria hujus Diei, videlicèt Antiphona ad Magnificat *Data eſt mihi omnis poteſtas*, nec non eſt Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus*, & etiam addenda erit commemoratio de Feſto ſimplici, ſi cras forſan occurrat, ſumpta Antiphona ex Communi Martyrum Tempo-

re

re Paſchali, quia non poteſt craſtina die occurrere, niſi Feſtum ſimplex de uno vel pluribus Martyribus, ut videre eſt in Tabula decima octava, vel vigeſima prima, aut trigeſimaſecunda, ubi die decimaquarta, vel decimaſeptima, ſive vigeſima octava Aprilis in Sabbato, occurrit reſpectivè Feſtum ſimplex SS. Tiburtii & Sociorum, aut S. Aniceti, ſeu S. Vitalis, qui omnes ſunt Martyres. Quod verò ſpectat ad Completorium, illud ex integro dicitur, ut in Dominica Reſurrectionis.

§. XIV.

De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum in Albis.

Officium hujus Sabbati habet ritum ſemiduplicem & colorem album, nec tamen fit hodie de Feſto etiam duplici primæ claſſis occurrente: idcircò, ſi hoc Sabbatum incidat in diem vigeſimam Aprilis, ut in Tabula vigeſima quarta ordinis perpetui, Cauriæ in Hiſpania transfertur Dedicatio Cathedralis, quæ celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis: Si verò veniat die vigeſima octava ejuſdem Menſis, ut in Tabula trigeſima ſecunda, Ravennæ in Romandiola transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Vitale Martyre. Quoad Officium hujus Sabbati, omnia dicuntur ut in Dominica Reſurrectionis, retentis tamen propriis hujus Diei quæ ſunt, Verſiculus *Gaviſi ſunt Diſcipuli*, Reſponſorium, *Viſo Domino*, tres Lectiones de Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium *Una Sabbati Maria Magdalene venit manè*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Currebant duo ſimul*, nec non & Oratio *Concede, quæſumus, omnipotens Deus*. Sed ſi occurat in hoc Sabbato Feſtum ſimplex, omiſſa ad Matutinum ejus Lectione, fit de eo commemoratio in Laudibus, in quarum fine adduntur 400

quidem

quidem de more Octavæ duo *Alleluja* ad Verſiculum *Benedicamus Domino*, ſed hodie tantùm, & ideo non ampliùs dicuntur.

Miſſa eſt propria hujus Sabbati, in qua dicitur *Gloria*, cum ſecunda Oratione *Eccleſia*, vel *pro Papa*: ſed hodie dicatur *pro Papa*, ſi heri dicta fuit *Eccleſia*, ut rationabiliter diximus in Feria quarta præcedenti, ubi alia adnotavimus ad rem ſpectantia. Hæc tamen Oratio, ſive *Eccleſia*, ſive *pro Papa*, omittenda eſt, ſi occurrat Feſtum ſimplex, ita ut in hujuſmodi occurrentia non eſt dicenda tertia Oratio, ut & ratione & auctoritate probavimus in dicta Feria quarta. Diſcordat tamen in aliquo iſta Miſſa ab aliis Miſſis infra hanc Octavam jam celebratis; habet enim aliquid ad diſtinctionem, quia habet aliquid ad omiſſionem: ſi quidem Graduale, quod dictum fuit quotidie per Octavam, hodie non dicitur, ſed ejus loco dicuntur duo Verſus cum quatuor *Alleluja*, hoc ordine, nempè, duo imediatæ *Alleluja*, deinde primus Verſus, poſtmodùm tertium *Alleluja*, cui ſuccedit ſecundus Verſus & eo dicto, ſequitur ſtatim *Sequentia*, cum quarto *Alleluja* in ejus fine. Dicitur in hac Miſſa Credo & quæ propria ſunt Octavæ, nempè, *Præfatio*, in qua etiam hodie & non ampliùs exprimitur, *ſed in hac potiſſimùm die*, atque etiam *Communicantes*, nec non & *Hanc igitur*; quæ omnia hac die tantùm ſunt dicenda: Ad Nonam enim terminatur Octava Paſchalis, quam poſt Nonam in Sabbato Sancto inchoavimus, unde totius Hebdomadæ circulus ad Nonam hujus Diei perficitur, ait Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 4. ſub num. 5. pag.* 432. In fine tamen hodiernæ Miſſæ ad *Ite miſſa eſt*, adduntur quidem duo *Alleluja*, ut in præcedentibus diebus infra Octavam, ſed hac die tantùm, & non ulteriùs.

401

Quia verò etiam hodie ex priſco Eccleſiæ more ſumere poſſumus ad eruditionem varium Præfationis conceptum, illum idcirco nobis præbet breviſſimum Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 80, & vobis legendum traſcribimus, Lectores 402

tes Eccleſiaſtici : eſt igitur ſequens , videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi ſemper , & ubique gratias agere, Domine ſancta , Pater omnipotens , æterne Deus : Per quem ſupplices expoſcimus , ut cujus muneris pignus accepimus, manifeſta dona comprehendere valeamus. Et quæ nobis fideliter ſperanda Paſchale contulit ſacramentum, per Reſurrectionis ejus firmitatem attingere mereamur ineffabile myſterium. Per quem , Majeſtatem tuam laudant Angeli , &c.* Quæ quidem Præfatio eſt eadem numero, quam, Ambroſiani dicunt in Feria ſexta præcedenti. Benedictio tamen, quam dare Populo ſolitus erat Epiſcopus, licèt in dicto Sacramentario Gregoriano non adſit hoc proprio loco, reperitur nihilominùs in alio Benedictionum Epiſcopalium ſupplemento, ibidem, *pagina* 631. quæ ſequentibus legitur concepta precationibus, ſcilicet : *Deus , qui peracto ſenario numero die ſacro Sabbati ab omnibus operibus quieviſti, volens ut in homine condito , ubi requieſceres , tibi domicilium præparares : exaudi preces ſuplicum ad dona tua clementia fideliter occurrentium* . Amen . *Præpara ſenſus eorum ad te ſuſcipiendum , ut ipſi tibi propriè mereantur effici templum.* Amen. *Et ita præſentes famulos in hac vita protegas, ut in æternam requiem tecum Dominator admittas.* Amen . *Quod ipſe præſtare dignetur , &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſsa Sabbati Sancti .

Apud Gallos autem dicebatur antiquitùs in Miſsa hujus Sabbati ſequens Præfatio , quam ex Miſsali Gothico deſumptam inſerit Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib.* 3.*pag.*258. & nos ex celeberrimo Auctore tranſcriptam ponimus hoc ſuo loco , nempè : 403
Dignum & juſtum eſt , neceſſarium & ſalutare eſt , ut te Dominum ac Deum totis viſceribus humana conditio veneretur , Rex mirabilis Chriſte . Cujus condemnatione , tartareis vinculis abſoluta credentium turba, libertatis inſignia gratulatur. Qui verè ut Leo de tribu Juda Mundo oſtenſus, animarum devoratorem extinctum leonem diabolum omnis terra lætatur . Permittis te clavorum nexibus alligatum adſtipitem Crucis teneri (forſan teneri) *ut non ſit parva , quem impius quondam*

expa-

expaveſcat, potentia. Ad cujus vocem emittens ſpiritum, Terra tremuit. Cœlum expavit, Dies fugit, Sol obſcuratus eſt, Aſtra abſcondentes (abſconderunt) *radios ſuos, ſimul omnia migraverunt. Cujus deſcenſu, confractis portis, luget Infernum. Quo reſurgente, lætantur Angeli, exultat Terra cum habitatoribus ſuis. In quo triumpho conſpicitur comitatio* (cominatio) *illa, prophetico ore promiſſa, Ero mors tua, Inferne. Ubi eſt ergo victoria tua? Nec enim ab alio poterat, niſi à vita mors devorari. Qui de ſcenſu ſuo eos, qui tenebantur à morte, ſuperis reddidit reſurgendo, ut ejus Reſurrectio, vivorum vel mortuorum teſtimonio frmaretur* (firmaretur). *Unde, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum gloria tibi ſemper, qui in te, & ex te, & tecum ſemper eſt. Per quem te laudamus dicentes.* At quia etiam Eccleſia Ambroſiana aliam retinet Præfationem à præmiſſis diverſam, quam noſtris quoque temporibus legit in hoc Sabbato, eam ab ejus particulari Miſſali tranſumptam ducimus hoc ſuo loco extendendam, paucis verbis contentam, ut non ſolùm habeatur antiquus Præfationum uſus, ſed etiam modernus: eſt igitur ea, quæ ſequitur, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et nunc maximè gratulari, quando Dies ſalutis noſtræ, & tua erga nos pietatis myſterium ſolemniter celebratur. Quo de tenebris captivitatis antiquæ, filii lucis & libertatis efficimur: & terrenis exuti, ad cœleſtia dona tranſimus. Propterea profuſis gaudiis, totus in orbe terrarum Mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes, & Angelicæ concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ perpetim, ſine fine dicentes.*

De Miſſa Feſti hodie occurrentis & transferendi, deque aliis non paucis, quæ etiam in hoc Sabbato ſunt ſervanda, vide Feriam ſecundam & quartam hujus Octavæ, ne per eorum repetitionem fiat per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Ad Veſperas autem hujus Sabbati, completo jam Paſchali Feſto, ordo Officii variatur pro Dominica ſequenti, quæ nihilominus inſcribitur *Octava Paſchæ*, quia 404

revera

revera celebravimus Paſcha in Dominica, ut clariùs patet ex ipſa Dominica ſequenti, cujus Officium voluimus idcirco etiam adnotare. Officium ergo Veſperarum eſt duplex ſaltem majus; ex conſequentia, quam infero ex Piſcara in dicta ſequenti Dominica citandus, & etiam ex ſecundis Veſperis ejuſdem Dominicæ. Sub unica Antiphona trium *Alleluja* dicuntur Pſalmi de Sabbato in Pſalterio: Capitulum verò eſt proprium de Dominica, cum Hymno, & aliis itidem propriis in Breviario: ſed ad Benedicamus Domino non adduntur duo *Alleluja*. Quòd ſi cras occurrat Feſtum ſimplex, fit in his Veſperis commemoratio de eo. Completorium quoque hodie variatur; dicitur enim ut in Pſalterio, omiſſis Precibus, ſed loco Antiphonæ *Miſerere*, dicitur Antiphona trium *Alleluja*: Duo quoque *Alleluja* adduntur ad Reſponſorium breve: *In manus tuas, Domine*, & unum dumtaxat ad Verſiculum *Cuſtodi nos*, & ad Reſponſorium *Sub umbra*; ac etiam unum in fine Antiphone *Salva nos*. Ad Menſam verò in Cœna, depoſita Benedictione Paſchali, reſumitur communis, ut in fine Breviarii.

Addenda mihi videtur hoc proprio loco diſtributio Agnorum Dei, quæ fit Romæ à Summo Pontifice, ut ſi aliquid diximus de eorum Benedictione in fine Feriæ quartæ præcedentis, aliquid etiam hìc habeatur de ritu in ipſorum diſtributione ſervari ſolito. Olim itaque in hoc Sabbato Romani Pontifices primo Pontificatus ſui Anno Miſſam ſolemnem celebrare conſueverunt, ut legitur de Urbano Quinto, & de Gregorio Undecimo Avenione, nec non Romæ de Urbano Sexto. Modò tamen uſu receptum eſt, ut à Presbytero Cardinali celebretur, cui DD. Cardinales aſſiſtunt cum cappis rubeis. In ipſo autem Anno, in quo Agni Dei benedici debent, intra Miſſarum ſolemnia in hoc Sabbato diſtribuuntur in Capella. Dicto enim in Miſſa *Agnus Dei*, & Pace delata, DD. Cardinales accipiunt paramenta alba ordinibus ſuis convenientia in locis ſuis, alii verò Prælati extra cancellos Capellæ. Deinde miniſtrante naviculam Presby- 405

ſbytero Cardinali, Papa imponit more ſolito incenſum in thuribulum. Tum præcedente Subdiacono Capellæ cùm Cruce inter duos Ceroferarios, quos præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, Subdiaconus Apoſtolicus ſacris indutus veſtibus, ac ſi Epiſtolam ſolemniter lecturus eſſet, unà cum Cæremoniarum Magiſtro, ac aliis Capellanis ſuperpelliceo indutis, vadit ad locum præparatum, ubi de manu Sacriſtæ magnam lancem accipit plenam Agnis Dei bombyce involutis, ac mappula ſerica coopertis; & eodem ordine in Capellam revertitur ad Pontificem.

Ubi autem dictus Subdiaconus Apoſtolicus fuerit 406
intra oſtium Capellæ, genuflectunt omnes, & Subdiaconus cantat competenti voce, ita ut ab omnibus audiatur: *Pater ſancte, iſti ſunt Agni novelli, qui annunciaverunt alleluja: modò venerunt ad fontes: repleti ſunt claritate, alleluja*: & Cantores eadem voce reſpondent: *Deo gratias, alleluja*. Secundò idipſum cantat ante Cancellos: & tertiò ante ſolium Pontificis, genuflexus. Poſtmodùm aſcendit ad dexteram Papæ, & iterum genuflexus dictam lancem tenet uſque ad finem diſtributionis. Dicti verò Agni Dei diſtribuuntur per Pontificem Cardinalibus, & Prælatis ſuo ordine ante ipſum accedentibus. Cardinales verò Agnos Dei accepturi, factis debitis reverentiis, porrigunt ei Mitras cornua vertentes deorſum, & Papa imponit eis tot Agnos Dei, quot ei placet: ipſi tamen manum Pontificis, & genu dexterum deoſculantur. Prælati autem eodem modo, quo Cardinales, ſed genuflexi in Mitra Agnos Dei accipiunt, & oſculantur genu dexterum Papæ, non manum. Protonotarii denique, & omnes alii capiunt Agnos Dei in manus, genuflexi, & Pontificis pedem oſculantur. Poſt diſtributionem, Cardinalis Celebrans proſequitur Miſſam, in cujus fine dat Papa Benedictionem & Indulgentias. Ita Anonymus Auctor in Opuſculo Coloniæ Agrippinæ edito 1557. cui titulus: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive, Sacrarum Cæremoniarum SS. Romanæ Eccleſiæ Libri tres pag. 239. à tergo*, & ex eo

forſan

forian ſumpſit Piſcara Caſtaldus *in Prax. Cæremon. lib.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 4. *pag.* 432. niſi ſint verba præciſa Cæremonialis Papæ *lib.* 1. *cap.* 8. Dictam Agnorum Dei diſtributionem fecit in hoc Sabbato, die ſeptima Aprilis, Benedictus Decimus tertius anno Jubilæi 1725. qui primus fuit ſui Pontificatus, ut clarè patet ex ejus Vita à me Italicè conſcripta.

§. XV.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam in Albis, & in Octava Paſchæ.

HÆC Dominica duplici gaudet titulo ſuæ propriæ qualitatis expreſſivo: inſcribitur enim primò *Dominica in Albis*: ſecundò verò *Dominica in Octava Paſcha*. Dum audis Dominicam *in Albis*, ſubaudi *depoſitis*, quia pridie à Baptizatis Albæ ſeu alba veſtimenta deponebantur, Alcuinus *de Offic. Eccleſ. cap. de Sabb. in Alb.* ubi ſic revera habet: *Hodie Albati, qui in Sabbato Sancto baptizati fuerant, Veſtibus albis exuuntur*: & ex eo refert Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *nota* 352. *pagina* 389. unde in Miſſali Ambroſiano hæc Dominica abſolutè nuncupatur *in Albis depoſitis*. Dum autem legis Dominicam *in Octava Paſcha*, reſpice ad antiquum Eccleſiæ ritum in hac nuncupatione retentum: ſiquidem, cùm in ipſo Solis occubitu Solemnitas Paſchalis inciperet, ut clarè patet, tum ex Oratione Miſſæ in Sabbato Sancto *Deus, qui hanc Sacratiſſimam noctem*, tum ex Præfatione ejuſdem Miſſæ *ſed in hac potiſſimùm nocte*, tum denique ex Communicantes *& noctem ſacratiſſimam celebrantes*: & cùm etiam in ipſa nocte celebraretur Baptiſma, quod nos de manè celebramus: revera hæc Dominica eſt 407

Octava

Octava Paſchæ: ideo in Miſſali Gottico-Gallico Dominica in Albis vocatur *Clauſum Paſcha*, quia claudit Octavàm. Itaque utrumque hujuſce Dominicæ titulum, clarum facit S. Auguſtinus in hodierno Officio: ait enim *Paſchalis Solemnitas hodierna feſtivitate concluditur*: ecce Octava Paſchæ: *& ideo hodie Neophytorum Habitus commutatur*: ecce Dominica in Albis depoſitis.

Ut Dominica *in Albis*, eſt Dominica major, ideoque primæ claſſis, numquàm omittenda, & conſequenter excluſiva cujuſvis Feſti utcumque ſolemnis: quapropter ſi hæc Dominica incidat in diem vigeſimam tertiam Aprilis, ut in Tabula vigeſima ſexta ordinis perpetui, in Regnis Hungariæ & Bohemiæ ac Poloniæ transfertur Feſtum S. Adalberti Martyris, qui cùm eſſet Epiſcopus Pragenſis, Polonis & Hungaris Evangelium prædicavit, & ideo eſt illorum trium Regnorum Patronus: Ut Dominica verò *in Octava Paſcha*, celebratur ſub ritu duplici majori, nam Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib*. 3. *cap*. 20. *ſub n*. 9. *pa*. 197. ſentit, quod non ſit celebranda cum ſolemni apparatu, ex ea potiſſimùm ratione, quia non eſt Feſtum duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, prout ex Rubricis Breviarii patet: ergo (infero) eſt duplex ſaltem majus, ut eſt Dies Octava Epiphaniæ, & SS. Corporis Chriſti: & hoc clariùs oſtenditur ex inferiùs dicendis in ſecundis Veſperis hujuſmet Dominicæ. 408

Quoad Officium in hac Dominica recitandum, Invitatorium eſt idem ac infra Octavam Paſchæ, ſed Hymnus eſt proprius. In omnibus & tribus Nocturnis dicuntur quidem Pſalmi de Dominica, ut in Pſalterio, attamen in quolibet eorum dicuntur ſub unica tantùm Antiphona, quæ eſt propria Temporis Paſchalis. Reliqua habentur hodie in Breviario, ſed ſi occurrat Feſtum ſimplex, legitur ad Matutinum nona Lectio de eo: unde ſi hæc Dominica incidat in diem decimam quartam, vel decimam ſeptimam, aut vigeſimam Octavam Aprilis, ut in Tabula decima ſeptima, ſive vigeſima, vel trigeſima prima, dicitur ad Matutinum nona Lectio SS. 409

Tiburtii & Sociorum, vel S. Aniceti, vel reſpectivè S. Vitalis. Ad Laudes autem omnia ſunt propria, in quibus poſt Orationem Dominicæ fit commemoratio Feſti ſimplicis, ſi occurrat. Ad Primam verò omittitur Pſalmus *Confitemini*, ut patet ex Rubrica in Pſalterio, ubi excipiuntur omnes Dominicæ poſt Paſcha, & hæc Dominica in Albis nuncupatur etiam prima hujus Temporis, & conſequenter incipit ab iſta omiſſio dicti Pſalmi. Symbolum tamen S. Athanaſii eſt hodie dicendum, non ſolùm, quia dicitur in Dominicis, quando fit Officium de eis, ut in Pſalterio, ex quo hæc Dominica in Albis multa ſumit, ſed principaliter (ut reor) quia cùm ſit Symbolum Fidei, Thomas palpando hodie verum Hominem, confeſſus eſt verum Deum: undè benè S. Gregorius Papa, *aliud vidit, & aliud credidit*, & tangendo loca clavorum, ſolidavit omnium fidem. Præterquàm quòd hodie revera eſt Feſtum omnium Apoſtolorum, qui primò tradiderunt Articulos Fidei. Reliqua hodierni Officii ſunt propria, ſed ad alias Horas dicitur in fine Hymnorum clauſula Paſchalis, *Deo Patri ſit gloria, & Filio qui à mortuis, &c.*

Miſſa de hac Dominica in Albis eſt propria, ante cujus initium, ſi eſt ſolemnis fit conſueta Aquæ benedictæ aſperſio, pro qua dicitur Antiphona Paſchalis: *Vidi aquam*, ut in fine Miſſalis. Dicitur *Gloria*, & unica Oratio, niſi occurrat Feſtum ſimplex, quia tunc ſecunda Oratio erit de eo. Dicitur etiam *Credo*, cum Præfatione quidem Paſchali, ſed depoſita Diei reſtrictione, aſſumitur ſpecialitas Temporis, & ideo dicitur: *ſed in hoc potiſſimùm*. Sed & *Communicantes* non eſt ampliùs de Octava, licèt hæc Dominica, ut ſupra diximus, nuncupetur *in Octava Paſcha*, quapropter dicitur *Communicantes*, ut in Canone Miſſæ, ex quo loco ſumitur etiam *Hanc igitur*, & in fine Miſſæ ad *Ite Miſſa eſt* non adduntur duo *Alleluja*. Ut autem huic Octavæ finem imponamus cum ſolita extenſione antiquæ Præfationis, quæ etiam hodie erat propria, eam idcircò ex ſæpè memorato Sacramentario Gregoriano *pa. 81.* depromptam, ſequenti habes formula elabo- 410

elaboratam, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et te ſuppliciter obſecrare, ne nos ad illum ſinas redire actum, cui jure dominatur inimicus: ſed in hac potiùs facias abſolutione perſiſtere, per quam diabolus extitit, Filio tuo vincente, captivus. Et ideò cum Angelis, & Archangelis, &c.* Benedictio verò, quæ hujus erat Dominicæ propria, ab Epiſcopo cæteroquin inter Miſſarum ſolemnia olim dari ſolita, ex eodem loco Sacramentarii tranſcripta, eſt ea, quæ ſequitur, ſcilicet: *Deus, cujus Unigenitus Diſcipulis ſuis januis clauſis dignatus eſt apparere, ſua vos Benedictionis dono locupletare, & cæleſtis vobis regni januas dignetur aperire.* Amen. *Et qui ab eorum pectoribus attactu ſui Corporis, vulnus amputavit dubietatis, concedat ut per Fidem, qua eum reſurrexiſſe creditis, omnium delictorum maculis careatis.* Amen. *Et qui cum Thoma Deum, & Dominum creditis, & cernuis vocibus invocatis, ab eo & in hoc Sæculo à malis omnibus tueri, & in futuro Sanctorum cœtibus adſciſci valeatis.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de Sabbato Sancto.

Eccleſia verò Gallicana prolixam priſcis tempori- 411
bus, recitabat in Miſſa hujus Dominicæ Præfationem, quam refert Mabillonius *Liturg. Gallic. lib.* 3. *pagina* 259. & nos Eccleſiaſtico Lectori exhibemus legendam, nempè: *Dignum & juſtum eſt, neceſſarium & ſalutare eſt, nos tibi gratias agere, omnipotens Deus, licèt gloria tua mortalium membra non congruant Redemptionis noſtræ perferre præconia. Dum hominum genus mancipatum morte, infernorum ſedibus tenebrarum vincula reſtringeret, ſpiritale Verbum, per quod in principio omnia fuerant conſtituta, deſcendit in Mariam. Quæ dum Partum ſuum Virgo miratur, incluſum hominem edidit Deum. Quem tamen tuum eſſe, ſumme omnipotens Deus, antequam naſceretur, cognoverat: quippè quæ ſciebat Mundi eſſe Principium. Is namque Crucem ſpontanea voluntate, propter redemptionem humani generis, de inimico tyranno triumphaturus, aſcendit; & relicto paulìſper Corporis templo, inferorum clauſtra*

confringens, priſtina, ut antè fuerat, vita reſtituit. Nec ſuffecerat ſolum hominem emendaſſe peccatum, ſed per ablutionem cœleſtem renatus, redivivo ac novo nativitatis genere, remeans ad originem ſuam, nos ad cœleſtia regna perduxit. O conſilium Divinæ Providentiæ! O inæſtimandum reparationis auxilium! Per Virginem nobis glorioſa vita reſtituitur, quæ per ligni inobedientiam credebatur extincta. Per aquam, Mundi peccata diluuntur, per quam antè ſenſerat Mundus ipſe naufragium. Tibi ergo, ſumme Genitor, pura devotione immaculatum munus offerimus; & elevatione manuum noſtrarum, juxta Filii tui Jeſu Chriſti diſpoſitionem, pium ſacrificium celebramus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c. Miſſale verò Ambroſianum eandem numero Prefationem hodie habet, quam ſupra in hac Dominica extendimus depromptam ex Sacramentario Gregoriano.

Cæterùm Votivæ ſolemnes, licèt pro re gravi, non poſſunt cantari in hac Dominica; quod infertur ex Decreto Clementis Undecimi, in quo dicitur, quòd Votiva ſolemnis de SS. Sacramento exponendo occaſione Orationis quadraginta Horarum, cantari poteſt pro re gravi, exceptis tamen (inter alios Dies) omnibus illis Dominicis, quæ ſunt primæ vel ſecundæ claſſis, ut clarè patet ex ejus particulari Bullario Romæ edito 1723. *par.* 2. *Conſtit,* 9. *emanata anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, §. 10. & ex Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis de Anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit. itid.* 9 *ejuſdem Pontificis*: Sed hæc Dominica in Albis eſt una ex illis Dominicis exceptis, quia eſt primæ claſſis: Ergo hodie non poteſt cantari Votiva de SS. Sacramento: Si non poteſt cantari Votiva de SS. Sacramento quod eſt majus: ergo non poterit cantari alia quævis Votiva, quod eſt minus. Et hæc eſt ratio potiſsima Paſqualigi, quam in contrarium adducit *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 243. ubi [illegible], quòd eo die, quo cantari poteſt de SS. Sacramentò, celebrari etiam poſſunt omnes Votivæ Solemnes: Cùm ergo contrariorum eadem ſit ratio: ergo eo 412

die,

die, quo non poteſt cantari de SS. Sacramento, neque cantari poterunt Votivæ, quantumvis res ſit gravis. Attamen, ſicut in Miſſa de hujuſmodi Dominicis concedit dictus Pontifex Clemens Undecimus *loco citato* Orationem de SS. Sacramento ſub unica concluſione, ſic cenſeo, quòd & Oratio cujuſcumque Votivæ pro re gravi hodie occurrentis poſsit ſimul dici cum Oratione Dominicæ in cantu, non privatim.

Miſſa verò Defunctorum in Die Obitus cum præſentia Corporis in Eccleſia, poteſt cantari in hac Dominica in Albis, quia Declaratio Sacræ Rituum Congregationis *de die* 5. *Julii* 1698. *in reſponſione ad octavum Dubium in Collenſi*, excipit tantùm Feſta duplicia primæ claſſis, non autem Dominicas primæ claſſis, ut alibi diximus: Sed hæc Dominica non eſt quoad Officium Feſtum duplex primæ, neque ſecundæ claſſis: ergo poteſt in ea cantari Miſſa Defunctorum in Die Obitus. Verum tamen eſt, quòd erunt cantandæ duæ Miſſæ in Eccleſiis, quibus incumbit onus eas cantandi, & quidem ex iteratis Decretis Sacræ Rituum Congregationis, nempè, 1628. 28. Auguſti, 1686. 4. Maii, & 1698. 5. Julii, de quibus in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. margin.* 552. *&* 1006. *ac* 1119. & clarè patet ex Rubrica Miſſalis ſub die ſecunda Novembris, ubi non obſtante ſolemni Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, pro qua omnes Miſſæ dicendæ ſunt de *Requiem*, præſcribuntur tamen in Cathedralibus & Collegiatis cantandæ duæ Miſſæ, una ſcilicet de Octava poſt Tertiam, altera verò principalis pro Defunctis poſt Nonam. 413

Cùm autem ſupra probaverimus, non poſſe in hac Dominica cantari Votivam pro re gravi, videndum eſt modò, an ſit cantanda Miſſa de Feſto Sancti Titularis hodie occurrente licèt transferendo. Et quidem in affirmativam partem deſcendere, mihi dubium non eſt: ſiquidem Decretum ſupra relatum Clementis Undecimi reſpicit dumtaxat Miſſam ſolemnem ſimpliciter Votivam. Sed Miſſa de Titulari in caſu propoſito non eſt ſimpliciter Votiva: Ergo in hac Dominica cantari poteſt. Minor 414

probatur, nam hujuſmodi Miſſa dicitur ſemifeſtiva, & habet aliquid juris & acquiſiti & acquirendi in propria ſua Die: Ergo non eſt ſimpliciter Votiva. Et quod me magis movet ad eam cantandam, eſt, quia Rubrica Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* inter expreſſam Feſtorum & Dominicarum exceptionem non includit hanc Dominicam in Albis: Sed exceptio firmat regulam in non exceptis: Ergo vigore hujus Rubricæ cantari hodie poteſt Miſſa de Titulari in propria Eccleſia, licèt ejus Feſtum ſit transferendum. Sequitur ex dictis, quòd ſi in hac Dominica occurrant Litaniæ Majores (cæteroquin recitandæ, ut ſupra diximus in Feria ſecunda præcedenti) quarum caſus eſt in Tabula vigeſima octava ordinis perpetui: Si terminetur Proceſſio ad Eccleſiam S. Marci, cantanda ibi erit Miſsa de Titulari, cùm etiam in hoc caſu intret Decretum Sacræ Rituum Congregationis emanatum Anno 1603. ſub die 23. Maji, & ſupra relatum in præcedenti Feria quarta. In dicta verò Miſsa de S. Marco cantatur tum *Gloria*, tum etiam *Credo*, tum denique Præfatio de Apoſtolis, omiſsa tamen commemoratione, non ſolùm Rogationum, ſed etiam Dominicæ, & conſequenter cum Evangelio S. Joannis in fine.

Ad Veſperas denique hujus Dominicæ in Albis 415
dicuntur Pſalmi omnes de Dominica, ut in Pſalterio, & quidem ſub una tantùm Antiphona trium *Alleluja*. Capitulum verò, Hymnus, & reliqua ſunt propria in Breviario. Notandum tamen eſt, quòd licèt in occurrentia non cedat hæc Dominica Feſto de duplici primæ claſſis occurrenti, cedit nihilominus in concurrentia Feſto duplici ſecundæ claſſis etiam translato: unde ſi incidat in diem trigeſimam Aprilis vel ſecundam Maji, ut in Tabula trigeſima tertia vel trigeſima quinta ordinis perpetui, Veſperæ erunt de SS. Apoſtolis Philippo & Jacobo, vel reſpectivè de Inventione S. Crucis, utroque Feſto duplici ſecundæ claſſis, cum commemoratione tamen Dominicæ: & idem dicendum de Feſto Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ in Feriam

riam ſecundam immediatè ſequentem non rarò transferendo. Dicta autem commemoratio eſt abſolutè facienda, licèt ejus ſecundæ Veſperæ concurrerent cum Feſto duplici primæ claſſis, quia eſt Dominica privilegiata, cujus commemoratio idcircò numquàm omittitur. Non tamen amittit ſuas integras ſecundas Veſperas in concurrentia Feſti duplicis majoris ſequentis, ex quo patet, quod ſupra innuimus, hanc Dominicam habere ritum duplicem ſaltem majorem. Cæterùm admittit in ſuis ſecundis Veſperis quamcumque commemorationem ſequentis, etiam Feſti ſimplicis. In Eccleſia verò SS. Apoſtolis dicata, ſicuti hodie eſt Feſtum Titulare, & conſequenter duplex primæ claſſis, ſic ſecundæ Veſperæ ſunt ſemper ibidem integræ in concurrentia cujuſvis Feſti eumdem ritum habentis, quia non tantum eſt hodie Feſtum Apoſtolorum, ſed principaliter Feſtum Chriſti reſuſcitati, & ſuis Diſcipulis manifeſtati, unde vocatur *Octava Paſchæ*.

416 Ut autem quæ per longam omnium & ſingularum difficultatum explanationem notata ſunt, per breviorem cunctorum articulorum poſitionem habeantur, in unum de more volumus quæcumque hujuſce Octavæ Privilegia redigere: nam ſicuti extenſa non ita promptæ ſunt recordationis; ſic reſtricta faciliùs retinentur in mente: ex quo fit, quòd memoriæ per elenchum mandata, poſtmodùm libenter perleguntur diffuſa. Itaque Privilegia ſunt ea, quæ ſequuntur. In Dominica Reſurrectionis non dicuntur Litaniæ Majores, ſi occurrat, nec canitur luctuoſa Miſſa de Rogationibus, nec celebratur in Oratoriis privatis. In primo triduo hujus Octavæ, non cantatur Miſsa de Feſto occurrente & transferendo, neque pro Defunctis in Die Obitus, nec ullum locum habet Feſtum ſimplex, nec canitur Votiva licèt pro re gravi. Poſt primum triduum, admittuntur quidem Votivæ ſolemnes, ſed non privatæ, neque de *Requiem*. Fit quidem commemoratio de Feſto ſimplici, nec tamen dicitur ejus Lectio. Celebrari poteſt ſolemniter pro Defunctis in Die Obitus, ſed non in Anniverſario Defun-

ctorum. Nullum admittitur Feſtum etiam primæ claſſis, licèt occurrens, ſed transfertur. Miſſæ de Octava ſuffragantur Animabus in Altari Privilegiato. Additur duplex *Alleluja* ad Benedicamus Domino in Laudibus, in Miſſa, & in Veſperis, ac ad *Ite Miſſa eſt* per totam Octavam. In Miſſa quotidie propria, quotidie dicitur *Sequentia*, cum Præfatione *Diem* ſpecialiter habente. In Votivis denique ſolemnibus, relicta eis Præfatione propria ſi habeant; dicitur nihilominus tum *Communicantes*, tum etiam *Hanc igitur* de Octava.

Ecce, Lector Eccleſiaſtice, Octava Paſchæ jam 417
completa eſt. Utinam ſit tibi proficua, ſicuti, ut proficiat laboravi libenter. Non me movit ad eam quantum potui exactè extendendam deſiderium placendi, ſed intentio juvandi. Omnes ferè Auctores perlegi tum antiquos tum recentiores, ut ſub hoc uno Capite omnia habeas, nihil ulteriùs forſan expectando. Nonnulla tamen in mea methodo ego addidi, ab Auctoribus omiſſa: ea certè, qua valui, attentione opinando, ut adhæreant Rubricis, conformentur Decretis. Si quid boni de meo inveneris, non mihi, ſed Deo gratias age, quia omne donum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.

DE OCTAVA PRIVILEGIATA PENTECOSTES.

CAPUT IV.

QUarta ex Octavis Privilegiatis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa Pentecoſtes. Pentecoſtes, inquam, Dies ſcilicèt Quinquageſimus à Reſurrectione Chriſti: ſic enim ſibi volunt ea verba Actuum Apoſtolorum: *Cùm complerentur Dies Pentecoſtes*. Dies autem iſte Quinquageſimus erat Judæis feſtivus & celebris, à Deo indictus. Eo igitur Die, ſub Hora Tertia *factus eſt repentè de Cælo ſonus*: ſonus quidem non ſolùm auditus à centum & viginti Fidelibus in Cœnaculo congregatis, ſed etiam per totam Civitatem Jeruſalem tunc certè plenam Populo, qui ex omni loco, ubi degebat, convenerat ad Solemnitatem, eò quòd non ſolùm fuit prima Chriſtianorum Pentecoſtes & quidem in Dominica, ſed eo Anno erat etiam Pentecoſtes Hebræorum à Die Azymorum ſecunda, juxta Calinum *de Act. Apoſt. cap.* 2. licèt Cornelius à Lapide neget fuiſſe, etiam Hebræorum *in Commentar. ad dict. Libr. & cap. verſ.* 1. At ne præter Caſinum, omittamus ad rem noſtram Auctores de Sacris Ritibus tractantes, & illorum & iſtorum Pentecoſten eodem die fuiſſe; indubitanter tenet Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 22. ubi ſic habet: *Eodem die, quo Pentecoſten celebrabant Hebræi, deſcendit in Apoſtolos Spiritus Sanctus, imò ſuper centum & viginti Diſcipulos*. Sed ante Gavantum dixerat probando Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 10. *cap.* 12. ubi poſt probationem, ita firmiter concludit: *Nihil ergo quæſtionis remanet, cur*

418

Dies

Google

Dies ille, quo Spiritus Sanctus datus eſt, Judæorum quoque fuerit Pentecoſtes. Factus igitur eſt ſonus de Cœlo, quod eſt Thronus Gloriæ Dei, & Spiritus Sancti, & quidem *repentè*, quia Spiritus Sanctus celeriter operatur, neſcit enim tarda habere rerum molimina Spiritus Sancti gratia, ſed homines terrenos *repentè* in cœleſtes tranſmutat.

Congregatis igitur Fidelibus *apparuerunt diſpertitæ Linguæ, tamquàm Ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, quia Apoſtolos hìc conſtituebat Prædicatores. Prædicationis autem inſtrumentum eſt Lingua. 419
Fuerunt verò Linguæ igneæ, quia Deus, & præſertim Spiritus Sanctus, eſt amor ſubtiliſſimus, efficaciſſimus, potentiſſimus, agillimus: unde ejus ſimbolum eſt Ignis, juxta illud Deuter. 4. 24. *Deus tuus Ignis conſumens eſt*, ut explicat Cornelius à Lapide *loco citato, verſ.* 3. Præterquam quòd, ſicut Ignis illuminat & inflammat, ita Spiritus Sanctus illuminat ad cognitionem Dei, & inflammat ad ejus amorem, ait Durandus *in Ration. Divinor. Offic. lib.* 6. *cap.* 107. *ſub num.* 10. *pag. mihi* 265. Apparuit etiam Spiritus Sanctus in Linguis igneis, ut facundi eſſent Apoſtoli in omni genere Linguarum, prout eo ipſo inſtructi fuerunt, nam cum ſtupore variarum Nationum *loquebantur variis Linguis Magnalia Dei*. Dicitur denique, *tamquàm advenientis ſpiritus vehementis*, quia nemo potuit poſtmodum reſiſtere Spiritui Sancto, nec Apoſtolis, nam adeò fortes facti ſunt, ut benè de illis dixerit S. Gregor. Hom. 30. in Evang. *Quales namque Doctores Sanctæ Eccleſiæ ante adventum hujus Spiritus fuerint, ſcimus: & poſt adventum illius, cujus fortitudinis facti ſint, conſpicimus*. Spiritus enim Sanctus profert verbum in corde hominis: unde dicitur Matth. 10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Quo Spiritu plenus Levita Stephanus ſuperavit adverſarios; quapropter de eo dicitur: quòd *non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur*.

§. I.

§. I.

De iis, quæ ſpectant ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes.

JUre merito Eccleſia Dei, cui ſemper Spiritus Sanctus aſſiſtit (promiſſus enim fuit, & advènit Spiritus veritatis, ut cum illa maneret in æternum, eamque doceret omnia; ac omnia ſuggereret uſque ad conſumationem Sæculi) tanti memor beneficii, ab eo tempore inſtitutum Feſtum ſolemniter celebrat quovis Anno, & quidem cum Octava. Hæc autem Octava incipit à Sabbato in Vigilia à Pentecoſte idcircò nuncupata: quæ certè Vigilia celebratur cum Jejunio ex generali Eccleſiæ conſuetudine, quæ Legis ac Præcepti vim habet, omninò ſervando, ut egregiè probat Guyetus *in Heortolog. lib. 1. ſect. 3. cap. 17. quæſt. 6. pag.* 78. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657. Imo & Grancolas *in Comment. ad Brev. Roman. lib. 2. cap.* 76. *pag.* 350. plura refert de obſervantia Jejunii in hac Vigilia Pentecoſtes. Attamen dum tractamus de Sacris Ritibus, non egemus Teſtibus de hoc Jejunio deponentibus: ſiquidem Rubricæ Breviarii ſatis ſuperque faciunt præceptivum: nam *tit. 6. de Vigil. ſub numer.* 5. ſic reverà habetur expreſsè: *Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum, quæ jejunantur, Vigilia Pentecoſtes, &c.* ubi exceptio reſpicit ordinem diverſum Officii recitandi, ſalvo tamen Jejunio: Itidem & alia Rubrica *tit.* 34. *de Precib. ſub numer.* 3. clarum facit præceptum Jejunii: ait enim: *Preces feriales dicuntur in Vigiliis, quæ jejunantur, exceptis Vigiliis Pentecoſtes, &c.* Ergo in Vigilia Pentecoſtes jejunatur, ſed non dicuntur Preces. 420

Dicta

Dicta in Choro Nona, & quidem in colore albo, 421
Sacerdos & Miniſtri induti paramentis violacei coloris, accedunt ad Altare, & facta reverentia, Sacerdos illud oſculatur in medio. Deinde leguntur Prophetiæ ſine titulo, candelis Altaris extinctis uſque ad principium Miſſæ, ſicut in Sabbato Sancto. Sacerdos legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes ſine *Flectamus genua*, ratione Temporis Paſchalis, in quo adhuc ſumus, ait & benè Gavantus *tom. 1. par. 4. tit.* 11. *ſub numer.* 19. quam rationem affert etiam Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. cap.* 14. *ſub numer.* 1. *pag.* 267. Prophetiæ autem ſunt tantùm ſex, & ſumuntur ex Sabbato Sancto, eo tamen ordine, quo hodie citantur in Miſſali; & dicuntur ad inſtructiorem Cathecumenorum, inquit Gavantus *loco proximè citato*. Debent itaque eſſe tertia, quarta, undecima, octava, ſexta, & ſeptima Sabbati Sancti, hoc etenim ordine citantur hodie in Miſſali. Orationes verò, quæ poſt quamlibet Prophetiam cantantur, ſunt propriæ hujus Vigiliæ, & conſequenter ab illis diverſæ, quæ dicuntur in Sabbato Sancto. His expletis, Celebrans accipit Pluviale violaceum, & deſcendendo ad Fontem, cantatur Tractus *Sicut cervus*, *&c.* deinde Sacerdos, antequam intret ad Benedictionem Fontis, præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicit Orationem *Concede, quæſumus, &c.* Poſtmodùm proceditur ad Benedictionem Fontis, ut in Sabbato Sancto.

In hac Vigilia Pentecoſtes fit Baptiſmus, & jure 422
merito, nam adventum Spiritus Sancti Chriſtus Baptiſmum vocavit: *Et vos baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*, *Act.* 1. Et baptizati à Spiritu Sancto Apoſtoli, baptizavère aqua ter mille in Die Pentecoſtes. Fit verò Baptiſmus poſt dictam in Choro Nonam, quia eadem hora Cornelius à S. Petro baptizatus eſt, ut ex Amalario *lib.* 4. *cap.* 28. notat Gavantns *tom. 1. par. 4. tit.* 11. *ſub num.* 18. Eſt autem vetus Eccleſiæ inſtitutum, quo in Solemnitate Pentecoſtes Baptiſmus conferebatur,

batur, ut docet Tertullianus lib. de Baptis. ubi ſic habet: *Exinde Pentecoſtes ordinandi Lavacris latiſſimum ſpatium eſt*. Idem videre eſt apud S. Hieronymum in Epiſtola ad Pammachium adversùs errores Joannis Hieroſolymitani: *Circa Dies Pentecoſtes quadraginta diverſæ ætatis & ſexus; Presbyteris tuis obtulimus baptizandos*. Omni quoque tempore in Pentecoſte baptizatum eſt, inquit Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 76. in fine, pag.* 352. ubi alium refert Tertulliani textum ad rem: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, exinde Pentecoſtes*: & concludit, quòd in Gallia Childebertus Sigiberti Filius Baptiſmum in Die Pentecoſtes accepit, ut teſtatur *Gregorius Turronenſis*.

Dicta tamen Fontis Benedictio, in Eccleſiis Fontes habentibus fit cum Cereo Paſchali accenſo, ut præſcribit Rubrica Miſſalis in Die Aſcenſionis, ibi: *Dicto Evangelio, extinguitur Cereus Paſchalis, nec ulteriùs accenditur, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad Benedictionem Fontis*: quæ quidem Miſſalis Rubrica, licèt per ſe ſit clara, id nihilominus notat Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib. 3. ſect. 8. cap. 8. ſub num.* 5. *pag.* 428. quem de verbo ad verbum ſequitur Quartus *in tract. 2. de Benedict. tit. 2. ſect. 6. dubit.* 3. *pag.* 121. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. *Neſcio* tamen, cur prædicti duo Auctores extendant dictam Rubricam ad totam Miſſam hujus Sabbati, cùm in ea nominetur tantùm Fontis Benedictio? Certè Guyetus, qui poſt eos ſcripſit, non facit mentionem de Miſſa, ſed attenta Rubrica loquitur de ſola Fontis Benedictione, ut videre eſt *in Heortolog. lib. 4. cap. 18. quæſt. 30. pag. 294. juxta edit. Venet. de Anno 1729. poſt Pariſien. de Anno* 1657. Aliud enim eſt, quòd loquamur de conſuetudine accendendi hujuſmodi Cereum à Paſcha ad Aſcenſionem: aliud verò, quòd diſſeramus à finali accenſione præſcripta & limitata ad tempus non præſcriptum & extra Rubricam extenſum. Idcirco terminata hodie Fontis Benedictione tunc removendum eſſe cenſeo: & ad hoc videtur adhærere noviſſimus omnium Scriptor de Sacris Ritibus. Hal- 423
den

den *in Ephemerolog. par. 1. tit. 28. in princip.* ubi ait, quòd licèt Cereus Paſchalis extinctus ſit in Aſcenſione Domini, reaccenditur tamen in Vigilia Pentecoſtes ad Benedictionem Fontis: Et nullum facit verbum de Miſſa ſolemni. Dum igitur recentiores nihil dicunt de Miſſa, infero quòd ad Miſſam non ſit accendendus: ſed hoc intelligatur dictum ſine præjudicio melioris opinionis.

Ubi verò non fuerint Fontes, finita ſexta Prophetia cum ſua Oratione; Celebrans deponit Caſulam, & cum Miniſtris ante Altare procumbit, & aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ à duobus Cantoribus in medio Chori, utroque Choro idem ſimul reſpondente. Circa verò has Litanias, ut alibi obſervavimus in Litaniis, tria occurrunt hoc proprio loco notanda. Primò, quòd poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim addendum eſt illud S. Joſephi, ut diximus in Sabbato Sancto. Secundò, quod Verſiculus ille *Per adventum Spiritus Sancti Paracliti* non eſt meo judicio bis decantandus, ſcilicet bis à Cantoribus, & bis à reſpondentibus, ut putat & tenet Piſcara *in Prax. Caremoniar. lib. 3. ſect. 9. cap. 8. ſub num. 6. pag. mihi* 436. nam nihil de hoc habet Rubrica Miſſalis, & ubi vult hujuſmodi repetitionem, clarè exprimit, prout ſæpè in Rituali Romano *tit. de Proceſſ.* & præſertim *tempore penuria*, & famis, ubi præſcribitur, quòd in Litaniis bis dicatur, *Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris*: & rationem affert Baruffaldus *ad dict. Rituale, tit. 84. ſub num. 2.* ad hoc ſcilicet, ut Divina Miſericordia dignetur nobis tradere fructus terræ, per quorum penuriam facta eſt univerſalis calamitas: ſed hujuſmodi ratio infertur ex lege lata repetitionis. Tertiò denique in dictis Litaniis notandum venit, quòd Verſiculus *Ut Domnum Apoſtolicum*, ſi Sedes Apoſtolica vacaverit, erit omittendus, ut benè docet Gavantus à nobis relatus in Sabbato Sancto, cùm de Litaniis illius Diei ſermo erat. 424

Cùm autem in præfatis Litaniis perventum fuerit ad Verſiculum *Peccatores, Te rogamus*, Sacerdos & Mi- 425

& Miniſtri ſurgunt, & accedentes ad Sacriſtiam, induuntur paramentis rubeis, & accenduntur luminaria circa Altare. In fine Litaniarum (ſurgentibus omnibus) cantatur ſolemniter *Kyrie eleiſon* pro Miſſa, & repetuntur, ut moris eſt. Quo incœpto, Sacerdos cum Miniſtris procedit ad Altare, & facit confeſſionem: deinde aſcendens, illud oſculatur, & incenſat more ſolito. Ut autem prædicta ſucceſſivè & ſuo tempore fiant, moroſè cantentur *Kyrie eleiſon*: quibus finitis, Celebrans incipit ſolemniter *Gloria in excelſis*, ad cujus intonationem Campanæ pulſantur, & Organa. Ab hac reverà Miſſa inchoatur Octava Pentecoſtes, ſiquidem tota hæc Miſſa eſt de miſſione Spiritus Sancti. Unica dicitur Oratio, quæ diſcordat ab Officio, in quo dicitur Oratio de Dominica infra Octavam Aſcenſionis: ſed in hac Miſſa Oratio pertinet ad Baptizatos, ut Sancti Spiritus illuſtratione confirmentur. Si hodie occurrat Feſtum ſimplex, nihil fit de eo in hac Miſſa, licèt ad Matutinum dicta ſit ejus nona lectio, & facta commemoratio in Laudibus, ut dicemus (ſi Deo placuerit) in Octava Aſcenſionis, de qua hodie eſt Officium uſque ad Nonam incluſivè. Omiſſio verò Feſti ſimplicis in Miſſa hujus Vigiliæ clarè patet ex Rubrica Miſſalis *tit.* 7. *de Commemorat. ſub num.* 1.

Ad Evangelium verò Miſſæ in hac Vigilia Pentecoſtes non portantur Luminaria, ſed incenſum tantùm, Acolythis tamen ab utroque latere Diaconi aſſiſtentibus ſine cereis, ut optimè meo judicio ſuggerit Piſcara *in Prax. Cæremoniar. lib.* 3. *ſect.* 9. *capit.* 8. *ſub num.* 7. *pagin.* 436. & iterum hanc Acolythorum aſſiſtentiam admittit in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 24. *ſub numer.* 12. *pag.* 204. hoc enim modo mihi videtur & benè ſervata Rubrica, quia ſine cereis; & optimè celebrata ſacra Functio, quia cum Miniſtris manus junctas devotè tenentibus. Poſt Evangelium non dicitur *Credo*, quidquid dicat Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 106. *ſub numer.* 9. *pag. mihi* 263. ubi habet, quòd *Credo* non eſt omittendum: ſed 426

nos

nos debemus ſtare Rubricæ excludenti, non Auctori admittenti. In hac Miſsa dicitur Præfatio propria, ſcilicet, *Qui aſcendens ſuper omnes Cælos*, cum ſuo itidem proprio *Communicantes*, atque etiam *Hanc igitur*: & eamdem Præfationem dicunt Ambroſiani in eorum Eccleſiis. Antiquitùs tamen alia recitabatur Præfatio in hoc Sabbato, quam volumus hìc per extenſum ponere, deſumptam ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 97. & erat ſequens, videlicet: *Verè dignum, & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterna Deus: Qui Sacramentum Paſchale conſummans, quibus per Unigeniti tui conſortium filios adoptionis eſſe tribuiſti, per Spiritum Sanctum largiris dona gratiarum, & ſui cohæredibus Redemptoris jam nunc ſuperna pignus hæreditatis impendis: Ut tanto ſe certius ad eum confideant eſſe venturos, quantò ſe ſciunt ab eo redemptos, & Sancti Spiritus infuſione ditatos. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, &c.* Et quia, antequàm Euchariſtiam ſumeret, ſolebat Epiſcopus Populo Benedictionem impertiri ſub formula juxta Feſtivitatem diverſa, ut fuſiùs diximus ſupra in Miſsa de Nocte Nativitatis Domini, benè cenſemus extendere ſequentem, quæ huic erat Sabbato conveniens, ſcilicet: *Benedicat vobis omnipotens Deus, ob cujus Paracliti Spiritus adventum mentes veſtras jejunii obſervantia præparatis, & præſentem diem ſolemnibus laudibus honoratis*. Amen. *Inſtar modò renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum Sancti Spiritus, ipſo tribuente, eſſe poſſitis*. Amen. *Atque idem Spiritus Sanctus ita vos hodie ſua habitatione dignos efficiat, ut cras ſe veſtris mentibus vobiſcum perpetim habitaturus infundat, & peracto præſentis vitæ curriculo, vos ad cœleſtia dona perducat*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum*. Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum*.

In Miſſis autem privatis hodie in colore rubeo dicendis, omiſſis Prophetiis, Orationibus, & Litaniis, 427

taniis, inchoatur ab Introitu *Cùm ſanctificatus fue-ro*, qui profectò Introitus habetur ſtatim poſt Miſ-ſam hujus Sabbati: & lecto Introitu, reliqua di-cuntur, ut in Miſſa ſolemni, proſequendo à *Kyrie eleiſon*, à quo illa ſolemnis incœpit. Quamvis ve-rò in ſolemni color adhibeatur violaceus poſt No-nam ad Prophetias, ad Benedictionem Fontis, & ad Litanias: qui tamen celebrat ante Nonam, uti debet colore rubeo, Gavantus *tom.* 1. *par.* 6. *titul.* 11. *ſub num.* 19. *in fine*: imò licèt Sacerdos cele-bret matutino tempore valde ante Nonam, ait Bauldryus *in. Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *capit.* 14. *ſub numer.* 1. *pag.* 267. Miſſæ tamen Votivæ privatæ non ſunt hodie dicendæ, ſed neque pro Defunctis, vigore Decreti integrè à nobis ſupra re-lati in Miſsa de Vigilia Nativitatis Domini, ex quo Decreto benè intelligit Gavantus, quòd neque in hac Vigilia Pentecoſtes dici poſſint dictæ Votivæ privatæ vel de *Requiem*, ut videre eſt apud ipſum *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *ſub num.* 3. *lit. o.* Difficultas tamen eſt de Votivis ſolemnibus pro re gravi, an ſcilicet poſſint in hac Vigilia Pentecoſtes cantari? Ego cenſeo, poſſe hodie cantari quaſcumque Voti-vas ſolemnes pro re gravi, nam Clemens Undeci-mus inter Dies exceptos pro Votiva ſolemni, ra-tione SS. Sacramenti exponendi, non inſerit hanc Vigliam Pentecoſtes, ut patet ex ejus Inſtructione emanata *anno* 1705. *die* 20. *Januarii*, de qua in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 1254. *juxta editionem Paternam de Anno* 1730. Ergo in hac Vigilia cantari poteſt Votiva de SS. Sacra-mento: His poſitis, ſic argumentor quoad cæteras Votivas ſolemnes pro re gravi canendas: Conceſſo majori, conceditur & minus: Sed major eſt Voti-va ſolemnis de SS. Sacramento: ergo conceduntur & minores, nempè quæcumque aliæ Votivæ pro re gravi cantandæ. Sic etiam Paſqualigus *de Sacrific. nov. Leg. tom.* 1. *quæſt.* 243. ex conceſſione Votivæ ſolemnis de Venerabili, infert ad alias quaſcumque Votivas pro re gravi canendas.

Quodcumque Feſtum hodie alicubi occurrat, trans- 428

fer-

fertur, licèt ſit duplex primæ claſſis, ut clarè patet ex Rubrica Breviarii *tit.* 10. *de tranſlat. Feſtor. ſub num.* 1. Et ideo ſi hæc Vigilia Pentecoſtes occurrat die decimaquarta Maii, ut in Tabula ſexta ordinis perpetui, Feltriæ in Dominio Veneto transfertur Feſtum SS. Victoris & Coronæ Urbis Patronorum principalium: ſi verò incidat in diem decimamquintam ejuſdem Menſis, ut in Tabula ſeptima, Maceratæ in Statu Eccleſiaſtico transfertur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis: Si denique veniat die ſecunda Junii, ut in Tabula vigeſimaquinta, Cremonæ in Ducatu Mediolanenſi transfertur Feſtum SS. Marcellini & Petri Urbis Patronorum: Omnia & tria Feſta duplicia primæ claſſis. Quæri tamen poteſt hoc loco, an de locorum Patronis in propriis eorum Eccleſiis, in quibus ſunt Titulares, cantari hodie poſſit Miſſa? Si interrogemus Piſcaram, ipſe *in Prax. Cæremoniar. libr.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 8. *ſub num.* 9. *pag.* 436. reſpondet negativè, dicens, quòd *nullo modo dicantur hodie Votiva, nam hæc dies eſt à Rubricis excepta, cùm nec de Patrono in ea occurrente celebrare liceat*. Hæc ille. Sed ſi loquamur de Patrono in ſua Eccleſia Titulari, nón video rationem non cantandi hodie Miſſam de eo, cantata tamen altera de Die, ubi eſt obligatio cantandi in ſimilibus duas Miſſas. Rubrica enim Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* inter Dies exceptos non ponit hanc Vigiliam: & cùm exceptio firmet regulam in non exceptis, conſequens eſt, quòd hodie cantari poteſt Miſſa de Titulari occurrente & transferendo, vel ratione Concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet.

429 Reſtat denique, ut videamus, an in hoc Sabbato Pentecoſtes cantari poſſit Miſſa Defunctorum in Die Obitus, præſente Corpore in Eccleſia? Ad quod reſpondendum cenſeo affirmativè: Si quidem Supplicantibus humiliter Capitulo & Canonicis Cathedralis Collenſis Sacræ Rituum Congregationi pro declaratione nonnullorum Dubiorum, inter ea octavum fuit ſequens: *An in duplicibus primæ claſſis,*

præſen-

præſente Corpore, poſſit Defunctorum Miſſa cantari? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ſub die 5. Julii 1698. reſpondit, *Negativè*. Hæc autem Reſolutio, (quam cæteroquin Domi aſſervo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii) reſpicit duplex primæ claſſis, de quo fit eo die Officium: non verò ſe extendit ad Diem, in quo duplex primæ claſſis excluditur, ut in hac Vigilia Pentecoſtes: alioquin infra Octavam Paſchæ, & hanc currentem, poſt primum triduum excluſis ex vi Rubricarum duplicibus primæ claſſis, non admitteretur Miſsa in Die Obitus: Sed, ut vidimus, & reſpectivè paulo poſt videbimus, admittitur hujuſmodi Miſsa: Ergo etiam hodie.

Veſperæ hujus Sabbati dicuntur de ſequenti, nempe de Dominica ſeu de Feſto Pentecoſtes in colore rubeo, prout ordinantur in Breviario. In his Veſperis Antiphonæ ſumuntur ex Laudibus, & omnes ſunt ad Feſtum Spiritus Sancti adaptatæ: & licèt quarta non videatur primo intuitu convenire, eo quod loquatur de aquis: attamen ſi benè recordemur, quia *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſtatim agnoſcimus proprietatem & convenientiam. Idem enim eſt, ac ſi diceretur: *Fontes, & omnia, quæ moventur in aquis, ſuper quas Spiritus Domini ferebatur, hymnum dicite Deo, qui hodie dignatus eſt mittere promiſſum Spiritum Sanctum*. Dici etiam poteſt, quod illa Antiphona ſit propria hujus temporis, quo Spiritus S. per Baptiſmum aquæ confertur. Præterquàm quòd celebratur Baptiſmus. 430

Qui hodie peragit Veſperarum Officium, dum intonat Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, (omnibus de Choro illicò genuflexis; exceptis Ceroferariis) priùs ſtans, extendit & jungit manus, & caput inclinat versùs Altare, deinde & ipſe genuflectit, donec abſolvatur prima ſtropha, qua finita, omnes ſurgunt. Hæc autem genuflexio facienda eſt utroque genu, non verò unico, ſicuti Judæi irridentes Dominum in ejus Paſſione feciſse leguntur: unde Apoſtolus non docet, dicens: *flecto genua mea ad* 431

Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, *Epheſ.* 1. 14. Licèt autem tempore Paſchali non ſit genufleɛtendum, hoc tamen intelligitur de Oratione, non verò de Adoratione, quæ etiam hoc tempore facienda eſt genibus flexis. In hoc Hymno S. Ambroſius Auctor; ut tradunt multi, ſeptem poſuit ſtrophas ad indicanda ſeptem Dona Spiritus Sancti, qui idcirco dicitur *ſeptiformis munere*. At ex occaſione videndum, an quando infra annum cantatur ipſemet Hymnus, claudendus ſit cum ſtropha hujus temporis, nempè, *Deo Patri ſit gloria*, *& Filio*, *qui à mortuis*, *&c.* At cum hæc ſtropha conveniat tempori Paſchali, in quo adhuc ſumus, non extenderem ad totum Annum, ſed data occaſione illum infra Annum cantandi, dicerem clauſulam *Deo Patri ſit gloria*, *ejuſque ſoli Filio*, *cum Spiritu Paraclito*, *nunc & per omne ſæculum* & pluribus requirentibus ita reſpondi. In hac verò Veſperarum ſive privata recitatione, ſive decantatione ſolemni, unica dicitur Oratio, licèt cras occurrat Feſtum ſimplex, nam ſicuti de eo nihil fit in ſequenti Dominica Pentecoſtes, ſic nec hodie in ejus primis Veſperis.

Si verò Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus, Veſperæ ſolemnius peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervari ſolet, videlicet, Pentecoſtes, &c. ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 184. *juxta edit. Roman. de Anno* 1729. *ſub Benedicto XIII. ejuſdem Cæremonialis recognitore*. In dicto loco, §. 8. dicitur, quòd Pſalmi Veſperorum decantari debent à Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo, in tono, & cantu Gregoriano, cum gravitate, & decore: & omnia traduntur, quæ ad Veſperas Pontificales ſpectant & pertinent. Quoad verò Completorium, ſive ſolemniter cantetur in Choro, ſive recitetur privatim, unum tantùm obſervandum & ſervandum occurrit, ut nempè ad Hymnum fiat concluſio de hac Octava Pentecoſtes, ſcilicèt: *Deo Patri ſit gloria*, *& Filio qui à mortuis*, *&c.* 432

&c. quæ quidem clauſula dicitur ad omnes Horas uſque ad primas Veſperas SS. Trinitatis excluſivè. Ubi verò adeſt laudabilis conſuetudo benedicendi Menſam, ab hac Vigilia Pentecoſtes incluſivè, uſque ad Cœnam ſequentis Sabbati excluſivè, dicitur Verſiculus *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, cum reliquis, ut in fine Breviarii.

§. II.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam in Feſto Pentecoſtes.

Dominica Pentecoſtes ab Euſebio vocatur *Celebritatum maxima*, ut ex eo refert Ludovicus Thomaſſinus *de Dier. Feſtor. celebrat. lib. 2. cap. 17. ſub nu. 4. pag. 81. juxta edit. Venet. de Anno* 1729. & poſito textu Euſebii, idpſum habet Grancolas *in Comment. ad Breviar. Roman. libr. 2. cap. 77. verſ. adeo ſolemnis pag.* 352. Glorioſa igitur, ſplendida, venerabilis, & dulcis eſt Sanctæ Eccleſiæ Domui Solemnitas hæc de adventu Spiritus Sancti: æquè ac illa ſacroſancta Feſtivitas Dominicæ Reſurrectionis: quia videlicet, ſicuti nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſset: ita nihil nobis redimi profuit, niſi Spiritu Sancto illuminari, & peccatorum remiſſionem accipere profuiſset, ait Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 10. *cap.* 1. *in fine*, *pag. mihi* 627. Unde Thomaſſinus *loco citato* proſequitur, ſic dicens de utraque Solemnitate Paſchæ & Pentecoſtes: *In Paſchate Baptiſmus confertur: ut in Pentecoſte Spiritus Sanctus, quo Baptiſmo veluti ſuprema manus imponitur.* 433

Hoc Feſtum eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſsam, & vacandi ab Operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici primæ claſ- 434

ſis, & quidem in colore rubeo propter igneas linguas. Nulla verò particularis Solemnitas eſt iſta dignior, quocumque ritu decorata, & quocumque celebrata ornatu, & pompa, ac concurſu. Ideoque ſi hæc Dominica Pentecoſtes occurrat die decima octava Maji, ut in Tabula nona ordinis perpetui, Camerini in Marchia Anconitana transfertur Feſtum S. Venantii Martyris Urbis Patroni, quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis: Quod ſi incidat in diem vigeſimam ejuſdem Menſis, ut in Tabula undecima, Volaterræ in Tractu Piſano in Etruria tranſfertur Feſtum duplex primæ claſſis de Dedicatione Cathedralis: Si verò dicta Dominica Pentecoſtes veniat die tertia Junii, ut in Tabula vigeſima quinta, Meſsanæ in Valle Demonæ in Sicilia transfertur Solemnitas Deiparæ à Sacris Litteris nuncupatæ, quæ ritum ibi habet duplicem primæ claſſis.

Quoad Officium hodiernum, ad Matutinum inchoatur Invitatorium à voce lætitiæ, nempè ab *Alleluja*, deinde congruenter dicitur *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, quia reverà ſonus ille tanquàm advenientis Spiritus vehementis, auditus fuit ab omnibus Judæorum Nationibus, quæ eo die erant Jeroſolymis. Hymnus Matutini eſt proprius *Jam Chriſtus aſtra aſcenderat*, ab Ambroſio compoſitus, ut ex citatis Auctoribus tenet Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 6. ac etiam Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Rom. lib.* 2. *cap.* 77. *pag.* 353. Tres autem dicuntur Antiphonæ, tres Pſalmi, tres Lectiones, tria Reſponſoria, quia ex eo ternario numero oſtenditur, Spiritum Sanctum tria circa Apoſtolos operatum eſſe, nam veteres innovavit, innovatos confirmavit, & confirmatos ad alios convertendos miſit, ut explicat Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 107. *ſub num.* 4. *pag. mihi* 263. *à tergo*. Tres verò Pſalmos dici ob Baptiſmum, qui datur in Pentecoſte in nomine Trinitatis, tradit Honorius Auguſtodunenſis *in Gemma Animæ, lib.* 3. *cap.* 144. apud Gavantum *d. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 18. *ſub num.* 2. & ob eandem rationem novorum Baptizato- 435

Digitized by Google

tizatorum, unum tantùm Nocturnum cum tribus Pſalmis dici, & per totam Hebdomadam, putat Amalarius relatus à Grancola *loco ſuperius citato verſ. Adeo ſolemnis, circa ſin.* ubi Auctoris à ſe relati textum ponit, videlicèt: *Propter Baptiſmatis Sacramenta, numero trium Pſalmorum complemus Nocturnalia Officia per octo dies hebdomadis Pentecoſtes*. Ad Laudes Antiphonæ ſunt propriæ, cum Hymno itidem proprio *Beata nobis gaudia*, qui Ambroſio adſcribitur ab Auctoribus ſupra citatis. Si hodie occurrat Feſtum ſimplex, nihil fit de eo.

Ad Primam hodie, & per totam Octavam ad Reſponſorium breve dicitur Verſiculus *Qui ſedes ad dexteram Patris*. Tertiam verò ſolemniùs hac die dicendam, accenſis omnibus cereis Altaris, cum aſſiſtentia totius Cleri, cenſet, & mihi placet, Baudrius *in Manuali Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 14. *ſub nu.* 5. *pag.* 267. Ab hac die incluſivè uſque ad Sabbatum ſequens itidem incluſivè, dicitur ad Tertiam Hymnus *Veni, Creator Spiritus*: licèt enim ſemper ad Tertiam dicatur Hymnus de Spiritu Sancto, nempè, *Nunc Sancte nobis Spiritus*, attamen hodie & per Octavam, omiſſo illo breviori, convenit, ut dicatur iſte longior & proprius Feſti, quia hora Tertia ſuper Apoſtolos Paraclitus deſcendit, unde longiori formula hiſce diebus debemus eum invocare, ait Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 18. *ſub num.* 3. Ad hujus Hymni intonationem ſemper genuflectitur uſque ad totam primam ſtropham ut jam dictum eſt: Imò ſolemniter hunc Hymnum eſſe hodie & per Octavam cantandum tradit Piſcara *in Cæremoniali ſuæ Religionis lib.* 3. *cap.* 24. *ſub num.* 14. *pag. mihi* 204. & benè facerent omnes Eccleſiæ, præſertim Cathedrales & Collegiatæ, ſi hanc ſolemnem Hymni decantationem introducerent, ubi non eſt talis conſuetudo. Ad cæteras denique Horas, omnia dicuntur, ut præſcribitur hodie in Breviario, cum clauſula Hymnorum propria hujus Octavæ, nempè, *Deo Patri ſit gloria, & Filio qui à mortuis, &c.* 436

Miſſa in hac Dominica Pentecoſtes eſt propria, 437

in qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, nam nihil fit de Feſto ſimplici hodie interdum occurrente; ſed ſi occurrat Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, dicitur ejus Collecta ſub unica concluſione in ſolemni juxta Decretum, de quo ſupra in Miſſa Epiphaniæ, & in ſolemni tantùm. Poſt Epiſtolam, ad Verſiculum, *Veni*, *Sancte Spiritus*, genuflectitur: deinde dicitur Proſa, ſeu *Sequentia*, quę veroſimilius creditur ab Innocentio Tertio compoſita, ab eodemque juſſa poni in Miſſali, cùm in ejus operibus reperiatur, ait Grancolas *in Comment. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 77. *verſ. Ad Miſſam*, *pag.* 353. Dum autem olim cantabatur in Choro hæc *Sequentia*, in nonnullis Eccleſiis fiebat ſonitus clangore tubarum, & hunc Eccleſiarum morem viguiſſe temporibus ſuis teſtatur Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 107. *ſub numer.* 11. *pag.* 265. ubi addit, quòd etiam Columbæ dimittebantur, in quo ipſa Spiritus Sancti miſſio deſignabatur: ſicuti etiam Flores varii proiiciebantur ex alto, ad denotandam Linguarum & Virtutum diverſitatem: quorum omnium uſum adhuc vigere Meſſanæ in Sicilia, affirmat Macrius *in Hierolexic. verb. Pentecoſtes*. Certè quoad Florum ex alto projectionem, hoc eſt etiam in praxi noſtris temporibus Patavii in Dominio Veneto, nam in celebri Conventuali Baſilica S. Antonii proiiciuntur Roſæ, prout ego terque quaterque obſervavi: quæ quidem Roſæ, ſicuti ſunt rubeæ, ſic denotant igneas linguas, quæ apparuerunt diſpertitæ: & proiiciuntur in magna quantitate, non tamen omnes ſimul, ſed ab una projectione ad alteram datur aliquod breve intervallum, ita ut completa *Sequentia*, completur etiam Roſarum projectio.

In dicta Miſſa de Dominica Pentecoſtes dicitur *Credo*, non tamen intermiſcendum eſt Organum, cum Symbolum per Chorum cantu intelligibili ſit proferendum, ut præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. §. 10. *pag. mihi* 168. Dum autem cantatur *Credo*, Sacerdos, qui ſolemniter celebrat, non poteſt interim Miſſam proſequi eo tempore, 438

quo

quo Chorus cantat Symbolum, ut decrevit *Sacra Rituum Congregatio* 1695. 17. *Decembris*, apud Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Annotat. ad Januar. ſub num.* 3: *pag.* 68. *juxta edit. Bononien. de Anno* 1705. & refert etiam P. Merati *in Indice ſub num.* 510. ſed debet expectare complementum Cantus, & tunc ſucceſſivè pergere in Miſſa, ut ex *Synodic. Diac. Benevent. par.* 1. *tit.* 29. *cap.* 7. ait Breſchius *in Promptuario Synodali*, *cap.* 80. *ſub n.* 19. Præfatio autem eſt propria hujus Octavæ nempè: *Qui aſcendens ſuper omnes Cęlos*, una cum proprio *Communicantes*, atque etiam *Hanc igitur*. Eadem numero Præfatio, quam modò nos dicimus, etiam ex veteri conſuetudine legebatur in Eccleſia Dei, ut clarè patet *ex Libro Sacramentor. S. Gregorii Papæ*, *pagina* 98. ſed Benedictio Epiſcopalis, de cujus antiquo uſu mentionem facimus in Miſſa Vigiliæ, erat hodie omninò ſequens, videlicèt: *Deus qui hodierna die Diſcipulorum mentes Spiritus Paracliti infuſione dignatus eſt illuſtrare, faciat vos ſua Benedictione repleri, & ejuſdem Spiritus donis exuberare*. Amen. *Ille ignis, qui ſuper Diſcipulos apparuit, peccatorum veſtrorum ſordes expurget, & ſui luminis infuſione corda veſtra perluſtret*. Amen. *Quique dignatus eſt diverſitatem linguarum in unius Fidei confeſſione adunare, in eadem vos faciat Fide perſeverare, & per hanc à ſpe ad ſpeciem pervenire*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur*, *&c.* cum reliquis, ut ſupra in dicta Miſſa Vigiliæ.

Diverſam tamen habebat hodie Præfationem Eccleſia Gallicana, quæ continetur in Miſſali Gothico illius Eccleſiæ, ſolita tunc temporis recitari in hac Miſſa de Dominica Pentecoſtes, & prout illam extendit eruditiſſimus Mabillonius, *in Litur. Gallic. lib.* 3. 439
pag. 269. ego hoc proprio loco repono, & eſt ea, quæ ſequitur nempè: *Verè dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper hic, & ubique gratias agere, & gloriari in operibus tuis, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: In hoc præcipuè die, in quo Sacratiſſimum Paſcha quinquaginta dierum myſteriis tegitur: & per ſua veſtigia, recurſantibus dierum ſpatiis, colleguntur: & diſperſio linguarum, quæ in confuſione facta fuerat, per*

per Spiritum Sanctum adunatur. Hodie enim de Cælis repente ſonum audientes Apoſtoli, unius Fidei Symbolum exceperunt: & linguis variis Evangelii tui gloriam Gentibus tradiderunt, per Chriſtum Dominum Noſtrum. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c. A Gallicana Præfatione non valdè differt illa, quam etiam noſtris temporibus recitant Ambroſiani in hac Dominica Pentecoſtes. Sed licèt non ſit magna differentia, volumus nihilominus & hanc ponere Præfationem, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos in hac præcipua Feſtivitate gaudere, qua Sacratiſſimum Paſcha quinquaginta dierum myſteriis tegitur, & myſticus numerus adimpletur. Et diſperſio linguarum quæ dudum per ſuperbiam in confuſione facta fuerat, nunc per Spiritum Sanctum adunatur, Hodie enim de Cœlis repentè ſonum audientes Diſcipuli, unius Fidei Symbolum exceperunt: & linguis variis Evangelii tui gloriam cunctis Gentibus tradiderunt, per Chriſtum Dominum Noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam, &c.*

Ante Miſſam verò ſolemnem facienda eſt hodie aſperſio Aquæ benedictæ, illa excepta Eccleſia, in qua Epiſcopus Pontificaliter celebrat, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. *ſub numer.* 3. & 4. Celebrare igitur hodie debebit Epiſcopus, niſi legitimè fuerit impeditus, nam inter Feſta expreſsè nominata, hanc etiam Dominicam Pentecoſtes inſerit dictum Cæremoniale *lib.* 2. *cap.* 34. §. 2. *pag.* 416. Sicuti autem in Cathedrali cantat Epiſcopus, ſic cantare debet Prior, ſeu quocumque nomine nuncupata prima Dignitas in Eccleſia Collegiata, Abbas in Monaſteriali, Superior verò Localis in Conventuali Eccleſia, ut benè notat pro Eccleſiis ſui Ordinis Piſcara in Cæremoniali Religionis *lib.* 3. *cap.* 24. *ſub num.* 13. *pag.* 204. ubi Præpoſitum Localem hodie pro Celebrante deſignat. Omni autem apparatu ornanda ſunt Altaria Eccleſiarum, & præſertim illud, in quo ſolemnis Miſſa eſt hodie celebranda: eſt etenim Pentecoſtes veluti alterum Paſcha. Duo verò illa magna Feſta, quæ Deus præcepit Populo ſuo, figurativa fuere Paſchatis 340

tis

tis & Pentecoſtes Chriſtianorum : unde ſi in figura Populus ille celebrat cum magna ſolemnitate, nos certè celebrare debemus cum maxima pompa.

Si quis autem petierit infra Annum Miſſam de hac Dominica Pentecoſtes, non erit ei dicenda, quia in iſta danturaliqua, quæ ſunt ſpecialia hujus Feſti hodie occurrentis : ideòque Sacerdos, cui talis Miſsa committitur, dicat Votivam de Spiritu Sancto, ſi eo die dici poſſint Votivæ privatæ: non enim convenit, ut dicatur hodierna Epiſtola *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, & multo minùs dicenda erit Sequentia *Veni, Sancte Spiritus:* ut de pluribus Miſſis aliquid Solemnitati dumtaxat accommodatum habentibus declaravit *Sacra Rituum Congregatio de ordine Pauli Quinti*, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Miſſa Ritus, ſub numer.* 2. *pag.* 332. Quoad autem Papa prohibuit, non debet Sacerdos concedere: unde Laicorum cauſa non ſunt violandæ Rubricæ, ait ad rem noſtram Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 17. *ſub num.* 8. Illud autem non eſt omittendum huic loco conveniens, quòd cùm ex vi Ordinis teneatur Sacerdos ſaltem quater vel quinquies in Anno celebrare, & quidem in ſolemnioribus Anni Feſtivitatibus, ideò, ſi nullum adſit legitimum impedimentum, debet hodie celebrare ſub pœna peccati mortalis, quia hæc Dominica Pentecoſtes eſt abſque ulla dubietate una ex dictis præcipuis Anni Solemnitatibus: de quo vide Auctores à me ſupra relatos in Die Nativitatis Domini. 441

Sed neque prætermittendum cenſeo, quòd, cùm hodie pluribus in Eccleſiis ſit conceſſa Indulgentia Plenaria, illa intelligenda venit de hac Die tantùm, non verò de tota Octava, niſi Breve Apoſtolicum ſpecialem faciat mentionem de Octava in conceſſione Indulgentiæ: licèt enim tota Octava habeatur pro una Die apud Rubriciſtas, non idem dicendum de Indulgentiis apud Theologos morales. Miſſæ verò Votivæ ſolemnes nullo modo ſunt hodie dicendæ, ſed omnia ſerventur, quæ ſupra dicta ſunt in Die Epiphaniæ, ubi etiam de Miſſa 442

Feſti

Feſti primæ claſſis hac die occurrentis & transferendi, jam nominatim excluſa in Rubrica Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* ac ibidem diximus de Miſſa ſolemni Defunctorum in Die Obitus omninò omittenda. Sed neque in Oratoriis privatis permiſſa eſt hodie celebratio, juxta ſpecificam hujus Diei exceptionem in Decreto Sacræ Rituum Congregationis à me relato in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub num. marg.* 293. *pag.* 88. *juxta editionem Paternam de Anno* 1730.

Ad Veſperas de hac Dominica Pentecoſtes, omnia dicuntur, ut hodie in Breviario, & ad Hymnum, *Veni, Creator Spiritus*, fit genuflexio ab omnibus de Choro, ut dictum eſt in primis Veſperis. 443
Nulla occurrit in eis facienda commemoratio, nam ſi cras occurrat Feſtum ſimplex, nihil fit hodie de eo, quia cùm in craſtina occurrentia totaliter omittatur, nihil poteſt habere in hodierna concurrentia. Licèt autem Cæremoniale Epiſcoporum non obliget Epiſcopum ad celebrandas Pontificaliter haſce ſecundas Veſperas, ut videre eſt *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 184. ubi nominatis quibuſdam ſecundis Veſperis Pontificalibus, inter eos non comprehendit ſecundas currentis Solemnitatis: attamen, quia ibi dicit *ſaltem*, ex hoc non videntur excluſæ hodiernæ Veſperæ, cùm ly *ſaltem* ſit quidem reſtrictivum quoad expreſſa, non verò excluſivum quoad tacita. Quòd ſi Pontificaliter Officium peragat, dat quidem in fine Benedictionem per conſueta verba: *Sit Nomen Domini Benedictum*, *&c.* non tamen publicantur Indulgentiæ, ut habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 25. §. 8. *pag.* 152. ubi expreſsè excipiuntur Veſperæ hiſce præciſis verbis, *non tamen in Veſperis.*

§. III.

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſecundam infra Octavam Pentecoſtes.

HÆC Feria ſecunda habet annexum præce- 444
ptum de auditione Miſſæ, & de vacatio-
ne ab Operibus ſervilibus. Ejus Officium
eſt duplex primæ claſſis, & celebratur in colore
rubeo. Quodvis Feſtum, quocumque ritu decora-
tum: licèt hac die occurrens, transfertur: & id-
eò, ſi hæc Feria ſecunda incidat in diem vigeſimam
quartam Maji, ut in Tabula decimaquarta ordinis
perpetui, Toleti in Hiſpania transfertur Feſtum S.
Iſidori Agricolæ Urbis Patroni, quod ibi celebratur
ſub ritu duplici primæ claſſis: Si verò veniat die
vigeſima quinta ejuſdem Menſis, ut in Tabula de-
cima quinta, Florentiæ in Etruria, nihil fit hodie
de S. Zenobio Epiſcopo & Confeſſore, cujus Fe-
ſtum eſt ibidem duplex primæ claſſis: Quòd ſi di-
cta Feria ſecunda occurrat die vigeſima ſeptima
memorati Maji, ut in Tabula decima ſeptima,
Clodiæ Foſſæ in Dominio Veneto transfertur Fe-
ſtum duplex primæ claſſis de Dedicatione Eccleſiæ
Cathedralis. Quoad recitationem hodierni Officii,
omnia dicuntur, ut in Dominica Pentecoſtes, ex-
ceptis propriis hujus Feriæ ſecundæ. Propria au-
tem ſunt ad Matutinum Verſiculus *Spiritus Domini
replevit, &c.* Reſponſorium *Et hoc, quod continet o-
mnia, &c.* Tres Lectiones de Homilia S. Auguſti-
ni Epiſcopi in Evangelium Joannis *Dixit Jeſus Ni-
codemo*, cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Bene-
dictus *Sic Deus dilexit Mundum*, ac etiam Oratio
Deus, qui Apoſtolis tuis, omiſſa ad Laudes comme-
mora-

moratione Feſti ſimplicis forſan hodie occurrentis. Ad reliquas Horas omnia ſumuntur ex Dominica Pentecoſtes, præter Orationem hodiernam.

Miſſa verò hujus Feriæ ſecundæ eſt propria, in 445
qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, quia nihil fit de Feſto ſimplici, ſi hodie occurrat. Poſt Epiſtolam, ad Verſiculum *Veni, Creator Spiritus* genuflectitur. Dicitur *Credo*, & Præfatio de hac Octava *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*, cum ſuis *Communicantes*, atque *Hanc igitur* propriis. Sed ut & hoc loco aliquid tangamus de priſca Eccleſiæ conſuetudine, Præfatio hujus Feriæ ſecundæ erat aliàs ab hodierna, ſiquidem dicebatur ſequens ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ deſumpta, *pag.* 99. videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum Noſtrum: Qui promiſſum Spiritum Paraclitum ſuper Diſcipulos miſit: Qui principio naſcentis Eccleſiæ cunctis Gentibus imbuendis, & Deitatis ſcientiam inderet, & linguarum diverſitatem in unius Fidei confeſſione ſociaret: Per quem, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut cujus celebramus adventum, ejus multimoda gratiæ accipiamus effectum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Antiqua verò Benedictio Epiſcopalis deficit hoc ſuo proprio loco in dicto Sacramentario Gregoriano: ſed ea reperitur in alio Benedictionum Epiſcopalium Libro, ibidem exiſtente, *pagina* 632, & dicebatur per totam hanc Octavam Pentecoſtes uſque ad Sabbatum excluſivè: Erat igitur ea, quæ ſequitur, ſcilicèt: *Omnipotens Deus, qui quinquageſimam diem futuræ remiſſionis munere figuraſti, quo gratia Spiritus Sancti inebriati Apoſtoli, mente una locuti ſunt ore diverſo: reſpice hanc Eccleſiam, quam ex Gentibus congregari linguarum varietate ſignaſti.* Amen. *Da conſolationem inter preſſuras ſæculi, qui nobis æqualem tibi ipſi conſolatorem Spiritum miſiſti.* Amen. *Et te propitiante, ſit ipſe nunc Plebis hujus cuſtodia, qui dedit Diſcipulis tunc doctrinam.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de Vigilia Pentecoſtes. Ambroſiani autem

tem recitant in hac Feria ſecunda eandem numero Præfationem, quàm ſupra extendimus in Dominica. In Liturgia tamen Gallicana doctiſſimi Mabillonii, nulla hodie legitur Præfatio, vel quia tunc temporis Feſtum Pentecoſtes forſan ibidem Octava carebat, ut de Eccleſia Occidentali uſque ad Bedæ ævum (qui primus omnium de Octava Pentecoſtes egit, circa annum 720.) refert Grancolas *in Comment. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 79. in princip. pag.* 354. vel ſi dicta Eccleſia Gallicana celebrabat tunc temporis Octavam, unicam fortè recitabat quotidie & ſemper eandem Præfationem, & quidem eam, quæ ſupra relata eſt in Dominica.

Non poteſt tamen hodie cantari Votiva de SS. Sacramento, licèt fiat ejus expoſitio ratione Orationis quadraginta Horarum, ſed in Miſſa ſolemni hujus Feriæ ſecundæ infra Octavam dicatur Collecta de eodem SS. Sacramento, & quidem ſub unica concluſione: utrumque enim habetur in Inſtructione à Clemente Undecimo edita *anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, §. 10. de qua in Bullario Romano *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. Quòd ſi cantari nequit de SS. Sacramento, quod eſt gravius neque cantari poterit de aliis Votivis, quod eſt minus grave: Sed ſi res ſit gravis, dici poterit Oratio Votiva ſub unica concluſione, ut inferendum videtur ex dictis de Oratione SS. Sacramenti. Neque de Feſto hodie occurrente & transferendo Miſſa hac die eſt cantanda, quantuſvis magnus ſit Populi concurſus, & quamvis ſit Feſtum Titularis Eccleſiæ, ut clarè patet ex Rubrica Miſſalis *titul.* 6. *de translatione Feſtorum*. Imò & prohibetur Miſſa ſolemnis Defunctorum in Die Obitus, non obſtante præſentia Corporis in Eccleſia, nam magna Diei celebritas, quam ad hunc effectum excipit Rituale Romanum *tit. de Exequiis*, *rubrica* 5. intelligitur de omni & quocumque duplici primæ claſſis, ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis *in Collen. ſub die* 5. *Julii* 1698. *ad* 8. *Dubium*. 446

In Oratoriis tamen privatis Apoſtolicum Privilegium habentibus non eſt hac die prohibita celebratio 447

tio, nam Decretum Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1607. *ſub die* 17. *Novembris* Feſtorum ſolemniorum exceptivum, loquitur dumtaxat de Pentecoſtes: unde ex communi ſenſu, & uſu Romano, ac modo loquendi, intelligendum venit de prima tantùm Die, non verò etiam de hac Feria ſecunda, neque de tertia ſequenti, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 20. *lit. f. verſ. Ordinarii Locorum*: & ejuſdem eſt opinionis Paſqualigus à me citatus in Feria ſecunda infra Octavam Paſchæ: ac etiam ita ſentit Quartus *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. par.* 3. *tit.* 10. *ſect.* 2. *dub.* 10. *pag.* 293. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. Miſſæ verò de Octava ad Altare quomodolibet Privilegiatum celebratæ, ſuffragantur perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis, juxta formam Privilegiorum, prout conceſſit *Innocentius Undecimus in Conſtitut. quæ incipit*: Alias poſtquàm, *edita anno* 1688. *ſub die* 4. *Maji*, quam integram refert Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *ſub num.* 6. *pag.* 330.

Veſperæ hodiernæ, ſive ſolemniter celebrentur ſive recitentur privatim, dicuntur, ut in ſecundis Veſperis de præcedenti Dominica Pentecoſtes. In his genuflectitur ad Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, nec ſurgendum eſt, niſi poſt integram primam ſtropham, ut jam alibi diximus. Poſt dicti Hymni decantationem, ſeu recitationem, dicuntur Verſiculus *Loquebantur variis Linguis Apoſtoli, alleluja*, cum ſuo Reſponſorio *Magnalia Dei, alleluja*, ut in dictis ſecundis Veſperis de Dominica Pentecoſtes. Ad Magnificat Antiphona eſt propria hujus Feriæ ſecundæ, nempè, *Si quis diligit me, &c.* cum Oratione hodierna *Deus, qui Apoſtolis tuis, &c.* abſque commemoratione Feſti ſimplicis licèt cras forſitan occurrentis, & cum clauſula Octavæ ad Hymnum Completorii. 448

§. IV.

§. IV.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam tertiam infra Octavam Pentecoſtes.

ETiam hæc Feria tertia annexam habet obli- 449
gationem audiendi Miſſam, & vacandi ab
Operibus ſervilibus: ejuſque Officium cele-
bratur ſub ritu duplici primæ claſſis in colore ru-
beo. Nullum Feſtum eſt iſto ſolemnius, quavis ce-
lebratum pompa, & quovis ritu decoratum: Qua-
propter ſi hæc Feria tertia veniat die decima ſex-
ta Maji, ut in Tabula quinta ordinis perpetui, Eu-
gubii in Ducatu Urbinatenſi transfertur Feſtum S.
Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris, quod ibi eſt duplex
primæ claſſis: Si verò incidat in diem ſextam Ju-
nii, ut in Tabula vigeſima ſexta, Curiæ in Rhetia
transfertur Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ad ritum
duplicem primæ claſſis evecta: Quòd ſi dicta Feria
tertia occurrat die decima tertia ejuſdem Junii, ut
in Tabula trigeſima tertia, Patavii in Dominio Ve-
neto transfertur Feſtum S. Antonii Confeſſoris de
Padua nuncupati, unius ex quatuor Patronis illius
Civitatis ritum duplicem primæ claſſis habentibus.
Circa Officium hujus Feriæ tertiæ, omnia ſumun-
tur ex Dominica Pentecoſtes, præter ea, quæ ſunt
propria hujus Diei in Breviario. Et propria quidem
ſunt ad Matutinum Verſiculus *Spiritus Paraclitus*,
alleluja, Reſponſorium *Docebit vos omnia, alleluja*,
tres Lectiones de Homilia S. Auguſtini Epiſcopi in
Evangelium Joannnis *Amen, amen dico vobis, qui
non intrat per oſtium, &c.* cum ſuis Reſponſoriis,
Antiphona ad Benedictus *Ego ſum oſtium*, nec non
& Oratio *Adſit nobis, quæſumus, Domine, &c.* ſine
com-

Digitized by Google

commemoratione in Laudibus de Feſto ſimplici, ſi hodie occurrat. Reliquæ Horæ dicuntur, ut in Dominica præcedenti, ſed cum Oratione hodierna ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

In Miſſa propria hujus Feriæ tertiæ dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, non enim fit commemoratio Feſti ſimplicis licèt hodie occurrentis. Poſt Epiſtolam ad Verſiculum, *Veni, Sancte Spiritus*, genuflectitur: deinde dicitur *Sequentia*, & poſt Evangelium *Credo*; & Præfatio de hac Octava *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*; cum ſuis propriis *Communicantes*; atque *Hanc igitur*. Priſcus autem erat Eccleſiæ mos dicendi Præfationem ab hodierna diverſam, quæ prout habetur in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 99. ſic fideliter hic ponitur, & erat ſequens, videlicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui Spiritus Sancti infuſione replevit corda Fidelium, ut ſua admirabili operatione, & ſui amoris in eis ignem accenderet, & per diverſitatem linguarum in unitate Fidei ſolidaret. Cujus dona petimus, & illecebroſas à nobis excludi voluptates, & ſpiritales in nobis extrui, plantarique virtutes. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Benedictio verò Epiſcopalis erat quidem tunc temporis propria hujus Octavæ, non tamen ſpecialis hujus Diei, ideoque repetebatur illa, quam ſupra extendimus ad Miſſam in Feria ſecunda præcedenti. Ambroſiani autem dicunt etiam Præfationem ſupra poſitam in Dominica Pentecoſtes. 450

Quoad verò Miſſas Votivas ſolemnes, vel de Feſto cujuſvis ritus hodie occurrente, aut circa Miſſam Defunctorum in Die Obitus, ſive celebrandam in Oratoriis privatis, vel in Altari Privilegiato, vide quæ ſupra diximus in Feria ſecunda præcedenti: ubi etiam reſpectivè de hodiernis Veſperis, excepta Antiphona ad Magnificat, quæ eſt propria hujus Feriæ tertiæ, nempè: *Pacem relinquo vobis, &c.* ac etiam Oratione hujus Diei, ſcilicèt: 451

Adſit

Digitized by Google

Adſit nobis, quæſumus, Domine, &c. & in his Veſperis nihil fit de Feſto ſimplici, ſi cras occurrat, licèt in Feria quarta ſequenti facienda ſit de eo commemoratio in Laudibus, & Miſſa, ut ſuo loco dicemus.

§. V.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam quartam infra Octavam Pentecoſtes.

HÆC Feria quarta annexum habet Jejunium quatuor Temporum æſtivorum. Apoſtoli namque exemplum jejunandi nobis hoc tempore reliquerunt, qui poſt ſuſceptum Spiritum Sanctum, ſicuti mentes averterant à cæteris Mundi illecebris, ſic & ab epularum appetitu, ait Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. capit. 110. ſub num. 1. pag.* 266. ubi etiam addit, quòd licèt quamdiù cum illis fuit Chriſtus, non jejunarent, poſt oblationem tamen ejus, ſpontaneis ſe ſubdidere jejuniis: Sponſo enim ablato, eis jejunandum erat, ſicuti Dominus prædixerat; *Matth. capit.* 9. ibi: *Quando Sponſus auferetur ab eis, tunc jejunabunt*: & de hac Chriſti prædictione loquitur etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis *Officior. lib.* 1. *cap.* 63. jejunari enim ait poſt Pentecoſten, ut verbum Chriſti adimpleatur, qui jejunandum eſſe prædixit poſt reditum Sponſi in ſinum Patris, ut refert Graucolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr. 2. cap. 79. circa init. pag.* 354. Eſt tamen Jejunium feſtivum, in quo idcircò nec genua flectimus, ut ex inferiùs dicendis patebit, cùm de Miſſa hujus Feriæ quartæ ſermo erit: Quapropter communiter à Sacrorum Rituum Commentatoribus appellatur *Jejunium exultationis*, ſeu, ut vocat Tertullianus, *portionale Jejunium*, 452

 quod

quod in ſola carnium abſtinentia conſiſtit: neque tamen ob id diſcontinuatur Paſchalis lætitia, ſubdit Gloſſa *in cap. Jejunium*, dicente Lege, quòd perennis eſt ſive continuus Fluvius, licèt quandoque exareſcat, *ff. de fluviis, l.* 1. ut benè notat Guyetus *in Heortolog. lib.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 6. *verſ. Rationes verò, circa fin. pagin.* 79. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. *poſt Pariſien. de Anno* 1657.

Officium hujus Feriæ quartæ celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore rubeo, nec tamen cedit Feſto duplici primæ claſſis, ſi hodie alicubi occurrat, & ideo ibi transfertur; quod & diebus ſequentibus infra hanc Octavam ſervandum eſt. In Breviario tamen Bituricenſi omnes Dies hujus Hebdomadæ in duplicium primæ claſſis ſerie recenſeri, teſtatur Guyetus *in d. Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *pag.* 251. attamen, quidquid ſit de illo ſpeciali uſu, nos loquimur de Ritu Romano, juxta quem poſt primum triduum, Officium reliquorum Dierum hujus Octavæ eſt ſemiduplex. Ad hodiernum Matutinum omnia dicuntur, ut in Dominica Pentecoſtes: ſed excipienda ſunt propria hujus Feriæ quartæ, ſcilicèt: Verſiculus *Repleti ſunt omnes, &c.* Reſponſorium *Et cœperunt loqui, &c.* tres Lectiones de Homilia S. Auguſtini Epiſcopi in Evangelium Joannis *Nemo poteſt venire ad me, &c.* cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Ego ſum Panis vivus, &c.* atque etiam Oratio *Mentes noſtras, &c.* Non tamen dicitur Lectio de Feſto ſimplici, ſi propriam habeat, & hodie occurrat: ſit tamen de eo in Laudibus commemoratio. 453

In Miſſa propria hujus Feriæ quartæ, poſt *Kyrie eleiſon*, dicitur ſtatim Oremus, omiſſo tamen *Flectamus genua*, & conſequenter etiam *Levate*, ratione temporis Paſchalis adhuc occurrentis, ex quo hodiernum jejunium vocatur feſtivum à Gavanto *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *ſub num.* 25. In aliis autem Anni Temporibus, in quibus ceſſat hujuſmodi ratio, eſt vetus Eccleſiæ conſuetudo, ut Diaconus clamet *Flectamus genua*, ut videre eſt in Homilia 34. Sancti Cæſarei Arelatenſis, in fine, ibi: *Quotieſcumque Dia-* 454

Diaconus clamaverit, ut in Oratione genua flectere debeatis, obedienter & fideliter, cum vera humilitate faciatis, ita referente Menardo *in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregor. Pp. nota* 241. *pagin.* 321. Et idem Cæſarius in ſermone 238. novæ Appendicis Auguſtinianæ, dolet, quòd Populus promptè non genufleƈtat, dicens ei: *Dum frequenter, ut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante*: Fleƈtamus genua, *maximam partem, veluti columnas erectas, ſtare conſpicio*, ut ad ſuam refert clariſſimus Mabillonius *in Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 5. *ſub numer.* 5. Ex eo autem, quòd non genufleƈtitur, non ſunt tollenda de Miſſali verba illa Rubricæ, *Non dicitur, Flectamus genua*, ut quidam typographicus Correƈtor delere tentabat, niſi mea obſtaſſet admonitio. Eſt igitur Rubrica inſtruƈtiva, cujus rationem ſcire tenentur Cæremoniarii, nam etiam hoc ad eos ſpeƈtare, clarè infertur ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 5. *de Magiſtris Caremoniar. ſub num.* 8. *in fine*, ubi revera ſic habetur: *Diverſos habeant Auctores de Divinis Officiis, ut cùm opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere valeant*. Cùm igitur Auƈtores rationem reddant non genufleƈtendi, debet Rubrica negativa manere in ſuo robore: nec ex eo videtur omittenda, quia aliquis Sacerdos poteſt inconſideratè dicere *Flectamus genua*, cùm cæteroquin teneatur perlegere Miſſam antequàm accedat ad Altare, ne dicat inconſideratè quod dicere non debet, ex Rubrica Miſſàlis ſecundi ordinis, tit. 1.

Cantata, vel leƈta Oratione *Mentes noſtras, &c.* 455
dicitur prima Leƈtio *Stans Petrus cum undecim*, qua finita, diƈtoque *Alleluja* cum Verſu ſequenti, Sacerdos vadit in medium Altaris, ubi dicit *Gloria in excelſis*, deinde de more *Dominus vobiſcum*, & reverſus in cornu Epiſtolæ, cantat vel legit Orationem *Praſta, quaſumus, omnipotens & miſericors Deus, &c.* Ab hac tamen die uſque ad Sabbatum ſequens incluſivè, poſt Orationem Diei dicitur ſecunda Oratio *Eccleſia*, vel *pro Papa*, alternativè ta-

men, ita ut dictâ hodie Oratione *Eccleſiæ*, cras dicatur Oratio *pro Papa*, ne iſta ſit fruſtranea: niſi occurrat Feſtum ſimplex, quia tunc & eo caſu ſecunda Oratio erit de ſimplici, nec dicenda idcircò tertia Oratio in Miſſa, de quo vide plura à nobis ſupra relata in Feria quarta infra Octavam Paſchæ: & hoc etiam loco notat Gavantus *tom* 1. *par.* 456
4. *tit.* 11. *ſub num.* 25.

Poſt Orationem *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, aut de Feſto ſimplici, dicitur altera Lectio *Per manus autem Apoſtolorum*, *&c.* qua terminata, ad Verſiculum *Veni Sancte Spiritus*, genuflectitur. Poſtmodum dicitur *Sequentia*, & poſt Evangelium *Credo*. Præfatio verò eſt propria de hac Octava *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*, cum ſuis *Communicantes*, atque *Hanc igitur* propriis. Quòd ſi ex veteri Eccleſiæ more aliquid volumus deſumere, hodie Præfatio erat propria hujus Feriæ quartæ, quam ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ depromptam, huic proprio loco inſerimus, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Chriſtum Dominum Noſtrum: Per quem Diſcipulis Spiritus Sanctus in Terra datur ob dilectionem Proximi, & de Cœlo mittitur ob dilectionem Tui. Cujus infuſio, petimus, ut in nobis peccatorum ſordes exurat, tui amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Benedictio verò Populo tunc temporis dari ſolita ab Epiſcopo, non erat hodie diſtincta, ſed illa dicebatur, quam ſupra extendimus in Feria ſecunda infra hanc Octavam. Attamen Eccleſia Ambroſiana dicit etiam modò ſequentem Præfationem, quam quotidie recitat hiſce diebus uſque ad Sabbatum incluſivè, ſcilicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum Noſtrum. Per quem te ſupplices rogamus & petimus, ut ſicut nobis æterna ſecuritatis aditum, Paſſione ejuſdem Domini Jeſu Chriſti,*

& Spi-

& Spiritus Sancti illuſtratione reſeraſti, ſic etiam tranquillitatem vitæ præſentis indulgeas, per quam tanti doni participes devotio quieta perficiat. Ut negligentiæ terror illatus, ad Fidei transferatur augmentum, per eumdem Chriſtum Dominum Noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c. 457

Præmiſſis, quæ ad Miſſam pertinent de Die, ſeu de Octava, videamus modò, an alia Miſſa poſſit hodie, & diebus ſequentibus uſque ab Sabbatum incluſivè, celebrari ſolemniter vel privatim. Cùm igitur jam dixerimus, omne & quodcumque Feſtum, licèt duplex primæ claſſis eſſe transferendum ſi occurrat, poteſt tamen de eo cantari Miſſa, nam Rubrica Miſſalis *tit. 6. de transl. Feſt.* excipit tantùm primum triduum hujus Octavæ, ut clarè patet legenti: ſi ergo primum triduum eſt exceptum, non eſt exceptum reliquum Octavæ, ex regula exceptionis. Quia verò dicta Rubrica duas præſcribit in hujuſmodi actibus cantandas Miſſas, ubi ſcilicet adeſt talis obligatio, convenio cum Bauldryo *in Man. Cæremoniar. par.* 3. *cap.* 7. *tit.* 6. *pag.* 128. quòd ſcilicet, ſi caſus occurrat in his Temporibus Pentecoſtes, utraque Miſſa cantanda ſit poſt Nonam, ita tamen, ut ultimo loco canatur de Feſto occurrente & transferendo: hoc enim eſt juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 15. *de Hora celebrandi Miſſam*, *ſub nu.* 2. *&* 5. Recedere tamen debeo ab eodem Bauldryo *loco proximè citato*, ſicuti & ab Halden noviſſimo Germaniæ Auctore de Sacris Ritibus tractante *in Ephemerologio part.* 2. *titul.* 6. *die* 13. *Junii*, *pagin.* 164. *colum.* 2. tenent enim, quòd ex ſupradicta Rubricæ permiſſione cantandi hiſce diebus Miſſam de dicto Feſto occurrente & transferendo, poſſit etiam in Miſſis privatis de Octava fieri commemoratio de eo: hoc etenim apud me valdè diſtat à veritate. 458

Non ſolùm autem poteſt Miſſa cantari de dicto Feſto occurrente & transferendo, juxta ſupracitatam Rubricam Miſſalis *tit.* 6. *de translat. Feſtor.* ſed & quæcumque alia Votiva, ſi res ſit gravis:

quod clarè infertur ex Miſſa SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum exponendi, quæ tamquàm pro re gravi conceditur à Clemente Undecimo in Inſtructione pro hujuſmodi Expoſitione, (de qua nos alibi) & cùm ibi inter Dies exceptos non inſerantur iſti infra Octavam, ergo in iſtis cantari poterit Votiva de SS. Sacramento: ex conceſſione vero hujus Votivæ ſolemnis infert Paſqualigus *de Sacrific. nova Leg. tom.* 1. *quæſt.* 243. ergo cantari poterit & alia Votiva pro re gravi. In hujuſmodi tamen Votivis ſolemnibus, omiſſa commemoratione Octavæ, dicitur Præfatio propria, ſi habeant, alioquin Præfatio de Octava: attamen quæcumque Præfatio dicatur, ſemper Octava admittit ſuum *Communicantes*, nec non & *Hanc igitur*. Ex eo autem, quòd conceditur Votiva ſolemnis de SS. Sacramento, non tamen cantari poteſt Votiva de Venerabili in cantu fundata, ſi hiſce diebus occurrat, quia ceſsat in ea ratio rei gravis, ut clariùs diximus ſupra in Feria quarta Paſchæ. Hùc accedit, quòd cùm Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 1. *cap.* 31. §. 13. *pag. mihi* 181, præſcribat cantandam Miſsam de Spiritu Sancto ſolemniter ante primam ſeſſionem Concilii Provincialis vel Synodi Diœceſanæ, ſi habenda ſit hujuſmodi prima ſeſſio vel hodie vel alia die ex ſequentibus infra hanc Octavam Pentecoſtes, cantanda erit Miſsa de Die, non verò Votiva.

Miſsæ verò Votivæ privatæ, aut de Requiem non dicuntur infra hanc Octavam Pentecoſtes, juxta Decretum, quod per extenſum habetur ſupra in Miſſa de Vigilia Nativitatis Domini, & ſpectat etiam ad iſtos Dies, ut benè intelligit Gavantus *to.* 459
1. *par.* 1. *tit.* 4. *ſub numer.* 3. *lit.* o. Una tamen ſolemnis pro Defunctis in Die Obitus, & quidem præſente Corpore in Eccleſia, omninò conceditur: Hi etenim Dies infra Octavam poſt primum triduum recurrentes, non veniunt ſub nomine magnæ Celebritatis, quum ad hunc effectum obſtare dicit, & ideò excipit Ritum Romanum *tit. de Exequiis,*
rubrica

rubrica 5. & Sacra Rituum Congregatio hujuſmodi Miſsam prohibuit in quolibet Feſto duplici primæ claſſis, ut videre eſt in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 1117. *pag.* 370. Dixi autem unam cantari poſse in Die Obitus, nam ſi plura conveniant Collegia ad celebrandas Exequias, non debet unumquodque cantare hujuſmodi Miſſam, ita ut una ſemper Miſsa ſit intelligenda, licèt cantetur à diverſis Capitulis; nam ſi una eſt reſpectu cujuslibet Capituli, non eſt tamen una reſpectu ejuſdem Eccleſiæ. Quod autem conceditur in Die Obitus, denegatur in Anniverſario Defunctorum: hoc tamen non eſt ſpeciale hujus Octavæ, ſed omnibus convenit & ſolis Octavis Privilegiatis, infra quas non poſse cantari Miſsam Defunctorum in Anniverſario, reſpondit *Sacra Rituum Congregatio in Collen. ſub die 5. Julii* 1698. *ad nonum Dubium*.

460 Quoad Veſperas hodiernas, omnia dicuntur, ut in ſecundis Veſperis de Dominica præcedenti: ideòque Verſiculus poſt Hymnum debet eſse *Loquebantur variis linguis*, *&c.* quod eſt juxta Rubricam generalem Breviarii *tit. 7. de Octavis*, *ſub numer.* 5. Ad Magnificat verò Antiphona eſt própria hujus Feriæ quartæ, videlicet, *Ego ſum Panis vivus, qui de Cœlo deſcendi*, *&c.* cum Oratione hujus Diei *Mentes noſtras*, *&c.* addita tamen commemoratione Feſti ſimplicis, ſi cras occurrat.

§. VI.

§. VI.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam quintam infra Octavam Pentecoſtes.

OFficium hujus Feriæ quintæ eſt ſemiduplex, 461
& celebratur in colore rubeo. Si hodie tamen alicubi occurrat Feſtum duplex, etiam primæ claſſis, ibidem transfertur : Quapropter, ſi hæc Feria quinta inciderit in diem undecimam Junii, ut in Tabula vigeſimanona ordinis perpetui, Clodiæ Foſsæ in Dominio Veneto transfertur Feſtum SS. Patronorum Felicis & Fortunati Martyrum: Si autem venerit die decima quinta ejuſdem Menſis, ut in Tabula trigeſimatertia, Recineti in Marchia Anconitana, Mazariæ in Sicilia, & Pragæ in Bohemia transfertur Feſtum SS. Viti & Sociorum Martyrum, quod ibi habet ritum duplicem primæ claſſis: Si verò hæc ipſa Feria quinta occurrerit die decimaſeptima dicti Junii, ut in Tabula trigeſimaquinta, Piſis in Tuſcia transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de S. Raynerio Confeſſore Urbis Patrono. In hodierno Officio, ad Matutinum omnia dicuntur, ut in Dominica Pentecoſtes: Excipiuntur tamen propria hujus Diei in Breviario, nempè Verſiculus *Spiritus Domini replevit, &c.* Reſponſorium *Et hoc, quod continet omnia, &c.* tres Lectiones de Homilia S. Ambroſii Epiſcopi in Evangelium Lucæ *Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis, &c.* cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Convocatis Jeſus, &c.* nec non & Oratio *Deus, qui hodierna die, &c.* omiſsa Lectione Feſti ſimplicis, ſi habeat, & hodie occurrat,

rat, de quo tamen fit commemoratio in Laudibus.

Miſſa hujus Feriæ quintæ eſt propria, in qua 462
poſt Orationem Diei dicitur ſecunda Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ſed ſi heri dicta fuit prima, hodie dicatur ſecunda. Si verò occurrat Feſtum ſimplex, non ideò dicenda eſt tertia Oratio, ſed tantùm ſecunda de Simplici: Quia verò nonnulla ad hanc rem ſupra diximus in Feria quarta Paſchæ, ad eam Lectorem remittimus, ne fiat hoc loco fruſtranea eorumdem repetitio. Poſt Epiſtolam, ad Verſiculum *Veni, Sancte Spiritus*, fit de more genuflexio, deinde dicitur *Sequentia*, & poſt Evangelium *Credo*, cum Præfatione de Octava *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*; ac etiam cum *Communicantes*, ſicuti & *Hanc igitur* propriis. Ne tamen omittamus morem noſtrum aliquid ſumendi ex antiquitate Eccleſiæ, & proprio loco inſerendi, in hac Feria quinta recitabatur alia Præfatio, ut clare patet ex ſæpè memorato Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, qui revera nuncupari poteſt Fons Antiquitatis Eccleſiaſticæ. Ibi igitur *pagina* 100. ſic legitur: *Verè dignum, & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterna Deus: per Chriſtum Dominum noſtrum: Per quem, pietatem tuam ſuppliciter petimus, ut Spiritus Sanctus corda noſtra expurget, & ſui luminis irradiatione perluſtret; Ut in eo, qui gratiarum largitor eſt, recta ſapiamus; & de ejus conſolatione in perpetuum gaudeamus. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Benedictio tamen Epiſcopalis hodie erat eadem, quæ ſupra habetur in Feria ſecunda hujus Octavæ, ideoque ibi videnda, non hìc repetenda. Ambroſiani autem dicunt in hac Feria quinta eamdem Præfationem, quam nos retulimus ſupra in Feria quarta præcedenti. Obſervat Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 11. ſub num.* 26. quòd Miſſa hujus Feriæ quintæ quamplura habet, quæ deſumpta ſunt à Dominica Pentecoſtes: Et revera, præter Epiſtolam & Evangelium, omnia

nia ſunt de illa Dominica : unde ſequitur citatus
Auctor, dicendo, quòd ſicuti Dominus aſcendit Feria
quinta, & per Spiritum Sanctum deſcendit Die
Dominica, ita voluit Eccleſia in utroque Die communem
Miſsæ Introitum, cum ſuis acceſsoriis, poſt
Epiſtolam Verſibus, Offertorio, & Communione :
& concludit cum Durando, qui *in Ration. Divinor.
Officior. libr. 4. capitul. 6. ſub numer. 21. pagin. mi-
hi 67. à tergo, juxta edit. Venet. de Anno* 1611. do- 463
cet, ſolitam dici diem Jovis cognatam Dominicæ.

Quoad verò Miſsas ſolemnes de Feſto hodie alicubi occurrentes & ibidem transferendo: vel Votivas cantandas pro re gravi, aut ètiam pro Defunctis in Die Obitus, vel in Anniverſario : aut circa Votivas privatas & de Requiem, vel de Octava in Altari Privilegiato, ſatis ſuperque diximus ſupra in Feria quarta præcedenti. Reſtant igitur pauca de hodiernis Veſperis, quæ ſicuti dicuntur ut in Dominica Pentecoſtes, nihilque aliud habent hodie de proprio, niſi Antiphonam ad Magnificat *Spiritus, qui à Patre procedit, &c.* & Orationem *Deus, qui hodierna die, &c.* ſic ſolam nobis relinquunt adnotandam commemorationem de Feſto ſimplici, ſuppoſita ejus occurrentia in die craſtino.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

De iis, quæ ſpectant ad Feriam ſextam infra Octavam Pentecoſtes.

HÆc Feria ſexta nuncupatur quatuor Temporum, in qua idcirco jejunamus. Ejus Officium eſt ſem duplex, & celebratur in colore rubeo: nec ex eo, quod eſt ſemiduplex, includit duplex primæ claſſis alicubi occurrens: & ideo, ſi hæc Feria ſexta incidat in diem decimam quintam Maji, ut in Tabula prima ordinis perpetui, Maceratæ in Marchia Anconitana transfertur Feſtum duplex primæ claſſis de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis: Si verò veniat die ſecunda Junii, ut in Tabula decima nona, Cremonæ in Ducatu Mediolanenſi transfertur Feſtum SS. Martyrum Marcellini & Petri Urbis Patronorum ſub ritu duplici primæ claſſis: Quòd ſi dicta Feria ſexta occurrat die quinta ejuſdem Junii, ut in Tabula vigeſimaſecunda, Volaterræ in Tractu Piſano in Etruria transfertur Feſtum SS. Epiſcoporum & Confeſsorum Juſti & Clementis, ritum ibidem habens duplicem primæ claſſis. Ad hodiernum Officium, omnia dicuntur ut in Dominica Pentecoſtes, exceptis tamen quæ ſunt hodie propria in Breviario: Propria autem ſunt ad Matutinum, Verſiculus *Spiritus Paraclitus, alleluja*, Reſponſorium *Docebit vos omnia, alleluja*, tres Lectiones de Homilia S. Ambroſii Epiſcopi in Evangelium Lucæ *Factum eſt in una dierum, &c.* cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Dixit Jeſus: Ut ſciatis autem, &c.* cum Oratione *Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, &c.* ſine lectione Feſti ſimplicis forſan occurrentis, cum ejus tamen commemoratione in Laudibus. 464

Miſſa

Miſſa hujus Feriæ ſextæ eſt propria: Ex Introitu tamen, qui eſt ſequens; *Repleatur os meum laude, alleluja: ut poſſim cantare alleluja: gaudebunt labia mea, dum cantavero tibi, alleluja, alleluja*, infert Gulielmus Durandus *in Ration. Divinor Officior. lib.* 6. *cap.* 112. *ſub num.* 1. *pag. mihi* 266. *à tergo*, quòd Jejunium hodiernum ſit Jejunium exultationis, ob eam, quam tradit, rationem; quia qui gaudet ore & corde poteſt jejunare jejunio exultationis. In hac Miſſa dicitur *Gloria*: deinde poſt Orationem Diei cantatur vel legitur ſecunda Oratio *Eccleſia*, vel *prò Papa*, ſed ſi heri dicta fuit Oratio *pro Papa*; hodie dicatur *Eccleſia*: hæc enim alternativa videtur conveniens, cùm non ſemper meo judicio dicenda ſit eadem Oratio. At ſi occurrat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio erit de eo, nec tamen additur tertia, ut fuſiùs diximus ſupra in Feria quarta infra Octavam Paſchæ; ubi etiam de ratione, & auctoritate. Poſt Epiſtolam, ad Verſiculum *Veni Sancte Spiritus*, genuflectitur, ut alibi diximus, & etiam hodie docet Miſſale: deinde dicitur *Sequentia*. Benè autem ponitur infra hanc Octavam (in hodierno ſcilicet Evangelio) publica Paralytici ſanatio; quia Miracula fiunt per Spiritum Sanctum, ut notat Durandus *loco proximè citato*, *ſub numer.* 2. ex quo apparet convenientia hodiernæ Lectionis Evangelicæ cum hac Octava.

In hac Miſsa Feriæ ſextæ, poſt Evangelium dicitur *Credo*, cum Præfatione *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*, nec non cum *Communicantes*, atque etiam *Hanc igitur* propriis. Præfatio autem, quæ modò eſt eadem per totam Octavam, ut clarè patet, priſcis tamen Eccleſiæ temporibus erat quotidie diverſa, ut jam ſupra vidimus: & ideò etiam hodie dicebatur, ea quæ ſequitur, deprompta ex ſæpè citato Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 101. ſcilicèt: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majeſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut Spiritus Paraclitus adveniat, & nos inhabitando, templum ſuæ* 466

Maje-

Majeſtatis efficiat: Quod cum unigenito Filio tuo clementi reſpectu ſemper digneris inviſere, & tua inhabitationis fulgore in perpetuum perluſtrare. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, &c. Benedictio verò, quam Epiſcopus ſolebat Populo elargiri, etiam hodie erat eadem omninò, ſuperiùs extenſa in Feria ſecunda hujus Octavæ, quæ cùm ibi poſſit videri, hìc non ducimus repetendam. Miſſale autem Ambroſianum ponit in hodierna Miſſa Præfationem illam, quæ in Feria quarta præcedenti habetur per extenſum.

Quia verò hodie cantari poteſt Miſſa de Feſto alicubi occurrente & transferendo, vide idcircò quæ ſupra diximus in Feria quarta præcedenti, ubi etiam de Votivis ſolemnibus pro re gravi, de cantandis in die Obitus, vel in Anniverſario Defunctorum: deque Miſſis de Die in Altari Privilegiato celebrandis. Unum tamen reſtat hoc loco dicendum, quòd ſi alicubi occurreret hodie publicè orandum pro aliqua neceſſitate, & Miſſa caneretur de hac Feria ſexta, cum ſecunda tantùm Oratione *Pro quacunque neceſſitate*, deſumpta ex calce Miſſalis, quæ inter diverſas habetur ſub numero duodecimo, ac incipit *Deus refugium noſtrum*, in hujuſmodi caſu erit mutanda Poſtcommunio, quia convenit cum illa hujus Feriæ ſextæ, utraque enim eſt *Sumpſimus, Domine, ſacri dona myſterii*: At quæ nam erit ejus loco dicenda? Ego ſumerem ex Miſſa Votiva ſub eodem titulo *Pro quacunque neceſſitate*, in qua Orationes ſunt diverſæ. Quòd ſi diceretur Miſſa Votiva ſolemnis ſub eodem motivo neceſſitatis, cum dicta tamen Oratione *Deus, refugium noſtrum*, ceſſaret Orationum ipſeitas, quià in dicta Votiva ſolemni non fit commemoratio Octavæ, ſed duæ eſſent cantandæ Miſſæ, & ambæ poſt Nonam, ex ſuperiùs dictis in Feria quarta præcedenti infra hanc Octavam. Veſperæ denique hujus Feriæ ſextæ, ſumendæ ſunt ex ſecundis Veſperis de Dominica Pentecoſtes, excepta Antiphona ad Magnificat *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, &c.* ac etiam Oratione, *Da quæſumus, Eccleſia tua, &c.* quæ ſunt 467

pro-

propriæ hujus Diei in Breviario, cum commemoratione Feſti ſimplis, ſi cras occurrat.

§. VIII.

De iis quæ ſpectant ad Sabbatum infra Octavam Pentecoſtes.

Hoc Sabbatum quatuor Temporum habet annexum Jejunium: Satis autem Eccleſiaſticè, & hoc Romana cenſet auctoritas, ut ſemper in hac ſacra Pentecoſtes hebdomada, ſive tardiùs ſive temperiùs termini occurrant, Jejuniorum celebretur ſolemnitas, quod ab antiquis quoque præfinitum eſse Viris Apoſtolicis, non dubia teſtantur ipſorum ſcripta, ait Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 10. *cap.* 26. *pag. mihi* 688. Rationem verò jejunandi tali tempore tradit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib.* 6. *cap.* 110. *ſub num.* 3. *pag.* 226. hoc jejunium (inquit) ſtatutum eſt ab Eccleſia in tali tempore, quia qui in ſe ſentit gratiam Sancti Spiritus, leviter & cum gaudio jejunat: & quia ſuper jejunantes deſcendit Spiritus Sanctus viſibiliter. Officium hujus Sabbati celebratur ſub ritu ſemiduplici in colore rubeo: unde tamen fit hodie de aliquo Feſto quantumvis ſolemni, licèt ſit duplex primæ claſſis alicubi occurrens, ſed abſolutè transfertur. Omnia tamen ſumuntur ex Dominica Pentecoſtes, ſed excipienda ſunt, quæ habentur hodie propria in Breviario, nempè: Ad Matutinum Verſiculus *Repleti ſunt omnes, &c.* Reſponſorium *Et cœperunt loqui, &c.* tres Lectiones de Homilia S. Ambroſii Epiſcopi in Evangelium Lucæ *Surgens Jeſus de Synagoga, &c.* cum ſuis Reſponſoriis, Antiphona ad Benedictus *Charitas Dei diffuſa eſt, &c.* nec non & Oratio *Mentibus* 468

noſtris

noſtris, quæſumus, Domine, &c. nec tamen dicitur Lectio de Feſto ſimplici, ſi propriam habeat, & hodie occurrat, licèt de eo facienda ſit in Laudibus commemoratio. Ad Primam verò pronunciatur primo loco *Feſtum Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis.* Poſt Nonam tamen, celebrata Miſſa, terminatur tempus Paſchale.

In Miſſa; quæ eſt propria hujus Sabbati, poſt 469
Kyrie eleiſon, ſtatim dicitur *Oremus* tantùm, ſine *Flectamus genua*, & ſimiliter ad Orationes ſequentes. Genua autem non flectimus, ſed ſtantes oramus propter Neophytos gaudentes, quòd à peccatis ſurrexerunt, inquit Durandus *lib. 6. cap.*
468 113. *ſub num. 2. pag.* 267. Poſt quartam Lectionem genuflectitur ad Verſiculum *Veni, Sancte Spiritus.* In fine verò Lectionis quintæ non reſpondetur *Deo gratias*, quia interrumperetur ſenſus, nam ſtatim poſt *dicentes*, ſequitur quod illi tres quaſi ex uno ore dicebant, nempè, *Benedictus es, Domine, &c.* Finito Verſiculo, Sacerdos vadit in medium Altaris, ubi dicit *Gloria in excelſis*, deinde de more ſubjungit *Dominus vobiſcum:* & poſt Orationem *Deus, qui tribus Pueris*, &c. dicit ſecundam *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, habito tamen reſpectu ad diem heſternum, ita ut ſi heri dicta fuerit una, hodie dicatur altera. Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio erit da eo, omiſſa tamen tertia, de quo tamen videatur, quod fuſius ad hanc rem dictum eſt ſupra in Miſſa de Feria quarta infra Octavam Paſchæ. Si verò Epiſcopus in hoc Sabbato Ordinationes habuerit, ſecundam Orationem dicet pro Ordinum collatione.

In dicta Miſſa Sabbati dicitur quidem *Sequentia*, ſed in ejus fine omittitur *Alleluja*. Legitur 470
autem Evangelium de Socru Simonis, & de multorum ſanatione Infirmorum, quod bene quadrat huic Octavæ, nam hujuſmodi ſanatio eſt una ex operationibus Spiritus Sancti, dicente Apoſtolo 1. Cor. 12. *Alii datur gratia ſanitatum in uno Spiritu.* Poſt decantationem vel lectionem Evangelii dici-

tur *Credo*, & Præfatio *Qui aſcendens ſuper omnes Cœlos*, cum ſuo proprio *Communicantes*, & etiam *Hanc igitur*. Sed & hoc loco non eſt omittenda ad eruditionem antiqua Eccleſiæ conſuetudo in diverſitate Præfationis, quæ in hoc Sabbato dicebatur: erat enim ſequens, juxta Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pagina* 102. videlicet: *Vere dignum, & juſtum eſt, equum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam omnipotentiam devotis precibus implorare, ut nos Spiritus tui lumen infundat, cujus nos Sapientia creat, Pietas recreat, & Providentia gubernat. Qui cùm à tua ſubſtantia nullo modo ſit diverſus, ſed Tibi, & Unigenito tuo conſubſtantialis & coæternus, diverſitate tamen donorum replet tuorum corda Fidelium. Et ideo cum Angelis & Archangelis, &c.* Benedictio verò Epiſcopalis, quam ſemper vidimus fuiſſe eandem per hanc Octavam, in Miſſa tamen hujus Sabbati erat propria, ſequentibus verbis concinnata, ſcilicèt: *Benedicat vobis omnibus Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in Baptiſmate per Spiritum Sanctum remiſſionem omnium peccatorum tribuit*. Amen. *Quique eundem Spiritum Sanctum in igneis linguis Diſcipulis ſuis dedit, ipſius illuſtratione corda veſtra perluſtret, atque in ſuum amorem jugiter accendat*. Amen. *Quatenus ejus dono à vitiis cunctis emundati, ipſius opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum ipſius effici mereamini*. Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, &c.* cum reliquis, ut ſupra in Miſſa de Vigilia Pentecoſtes. Non tamen variant hodie Ambroſiani, dicunt enim Prefationem in Feria quarta præcedenti à nobis extenſam.

471 Prædicta Miſſa Sabbati, cum omnibus Orationibus & Lectionibus, prout ſtat & jacet in Miſſali, neceſſariò dicenda eſt etiam privatim à quocunque Celebrante. Licèt autem poſt Nonam, celebrata Miſſa, terminetur tempus Paſchale, Miſſæ tamen privatæ celebrari poſſunt uſque in meridiem:

ridiem : nam ſicut incipi poterant in aurora in Vigilia Pentecoſtes, quamvis Octava inchoaverit poſt Nonam, ſic poſſunt hodie in meridie finiri, licèt priùs celebrata fuerit Miſſa ſolemnis. Quoad verò Miſſas Votivas cantandas, ſive Defunctorum in Die Obitus, aut in Annivarſario, vel Votivas privatas aut de *Requiem*, ſive etiam de Octava in Altari Animabus Privilegiato, Lectorem remittimus ad ea, quæ ſatis ſuperque diximus ſupra in Feria quarta Paſchæ : non enim hoc loco cenſemus repetendum, quod alio loco commodè haberi poteſt, ea ſaltem ratione, ne multiplicentur entia ſine neceſſitate.

Veſperæ non ſunt ampliùs de Octava Pentecoſtes, cùm hæc ex ſuperiùs dictis incœperit poſt Nonam Vigiliæ, & hodie poſt Nonam terminaverit : unde ad Veſperas non ampliùs agitur de hoc myſterio, ut obſervat Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib. 2. cap. 80. in princip. pag.* 360. Ideòque Piſcara in Cæremoniali ſuæ Religionis *lib.* 3. *cap.* 25. *ſub num.* 1. *&* 2. *pag. mihi* 204. bene notat, quòd, quia poſt Nonam Sabbati fuit completum tempus Paſchale, à primis Veſperis SS. Trinitatis, quæ in hoc Sabbato celebrantur, incipit tempus, quod juxta Rubricas dicitur poſt Pentecoſten, ex quo fit, ut in his Veſperis facienda eſt commemoratio Dominicæ primæ cras ſimul cum Feſto occurrentis. Quare ad Antiphonas & Verſus non additur ampliùs *Alleluja* : & ad Completorium reſumitur Antiphona *Miſerere* : & ex eadem ratione, omiſſa in fine Veſperarum Antiphona Paſchali de Beata Maria *Regina Cœli*, ſumitur Antiphona finalis, *Salve Regina* : & conſequenter nec in Menſa dicitur ampliùs Verſiculus *Spiritus Domini*, *&c.* 472

Quamvis autem Dominica ſequens in nihilo modò ſpectet ad Octavam Pentecoſtes, nihilominùs antiquitùs inſcripta fuit *Dominica in Octava Pentecoſtes*, ut videre eſt in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *pag.* 103. Sed licèt tunc temporis 473

non celebraretur Feſtum SS. Trinitatis, quia totum Officium erat Dominicale, ut præter alios meminit recentior Grancolas *loco proxime citato*, omnes tamen & tres Orationes de Miſſa Dominicæ erant de eadem SS. Trinitate, & quidem eædem, quæ nunc habentur in Miſſali pro hoc Feſto. Imò & Benedictio Epiſcopalis, quæ eo tempore erat in uſu, ex integro pertinebat ad SS. Trinitatem: concepta enim erat ſequentibus precationibus, videlicèt: *Omnipotens Trinitas, unus & verus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, det vobis ſe deſiderare fideliter, agnoſcere veraciter, diligere ſinceriter.* Amen. *Æqualitatem atque incommutabilitatem ſua eſſentia ita veſtris mentibus infigat, ut ab ea nunquam vos quibuſcunque phantaſiis aberrare permittat.* Amen. *Sicque vos in ſui Fide, Spe, & Charitate perſeverare concedat, ut per ea poſtmodùm ad ſui manifeſtationem, viſionemque interminabilem introducat.* Amen. *Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Amen. *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit ſemper vobiſcum.*

474 Gavantus tamen *tom. 1. par. 4. tit. 11. ſub nu. 27.* propoſito dubio, an revera Dies Octava Pentecoſtes dici debeat Sabbatum, vel Dominica? Concludit dicens: *Sed tamen tempus Paſchale terminatur in Nona Sabbati, cujus Sabbati Miſſa eſt pleniſſima, quia omnia, quæ dici poſſunt in Miſſa, in ea una continentur, Hymnus Angelicus, Prophetia, Sequentia, Symbolum, Præfatio, Communicantes, Hanc igitur.* Certum quidem eſt (ait Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, *nota* 401. *pagina itidem* 401.) quòd in dicta Dominica quidam affirmabant, Octavam Pentecoſtes eſſe celebrandam, aliis negantibus: quam controverſiam in Gallia diverſatus Berno Abbas Augienſis (ut ipſe teſtatur *lib. de quibuſd. reb. ad Miſſam ſpectantib. cap.* 3.) agitari vidit, & in fine capitis tandem concludit, celebrandam eſſe Octavam Pentecoſtes, quia omnes Dominici Dies ho-

non

nori SS. Trinitatis deputati ſunt. Sanè cùm hoc Feſtum SS. Trinitatis habeatur in Sacramentariis editis ex Vaticano, non eſt dubium, quin fuerit olim celebratum, ſed poſtea intermiſſum, tandemque à Romanis Pontificibus inſtauratum: *Huc uſque Menardus*.

Rationem verò, propter quam fit de eodem Feſto SS. Trinitatis in Dominica prima poſt Pentecoſten, tradit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap.* 114. *ſub num.* 1. *pag.* 267. *à tergo*, ubi habet, quòd poſtquàm celebrata eſt Feſtivitas Patris in Nativitate, quia Nativitas dicitur Feſtivitas Patris: Poſtquàm celebratum eſt Feſtum Filii in Paſcha: Poſtquàm factum eſt Feſtum Spiritus Sancti in Pentecoſte: meritò in dicta Dominica fit Feſtum Eorum, ſcilicèt Trinitatis, ut oſtendatur, quòd tres Perſonæ ſunt unus Deus: Et hæc eſt prima cauſa, quare celebratur Feſtum trium Perſonarum Divinarum ſimul: *Hactenus Durandus*. Rupertus tamen Abbas aliam aſſignat rationem celebrandi hoc Feſtum in eadem prima Dominica, quam refert *lib.* 11. *de Divin. Offic. cap.* 1. *pag.* 699. quia ſcilicèt, poſt adventum Spiritus Sancti, prædicari ſtatim, & credi, & in Baptiſmo celebrari cœpit fides & confeſſio nominis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: nam antea præſente in carne Domino, nuſquam nominis hujus diſtinctionem apertè traditam vel obſervatam legimus, niſi cùm poſt Reſurrectionem ſuam ait Diſcipulis: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ſed tunc quidem hæc regula tradita eſt, nunc autem primùm actu exhibita, ubi ipſa die Pentecoſtes primitus in tribus millibus Eccleſiæ Baptiſma celebratum eſt: *Hæc Rupertus*. 475

In nomine igitur SS. Trinitatis concludimus Octavam Pentecoſtes, nihil aliud habentes, quod ex longa diligentia reperire potuerimus in additamento ad rem. Privilegia verò hujus Octavæ, quæ cæteroquin compendioſe retulimus in fine præ- 476

cedentium Octavarum, cenſemus hoc loco omittenda, ratione identitatis, quam habent cum illis, de quibus ſupra in Octava Paſchatis. Finis autem fuſius extendendi hanc Octavam, illemet dumtaxat fuit, propter quem & alias extendimus, ſcilicèt, non nobis encomia parandi, ſed (ſi fieri poteſt) alios juvandi quoſcunque. Utinam talis finis, qui primus fuit in intentione, ſuam obtineat hoc ultimo loco executionem. Vos tamen, Eccleſiaſtici, ad cujus manus perveniet meum iſtud Opuſculum, quidquid boni in eo invenietis, ab eo accipite, qui dixit: *Sine me nihil poteſtis facere*, addentes ſuper hoc perutilem Divi Auguſtini explicationem: *non ait, ſine me parum poteſtis facere, ſed, nihil poteſtis facere.*

DE

DE OCTAVA PRIVILEGIATA SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

CAPUT V.

Quinta & ultima ex Octavis Privilegiatis, quæ in Eccleſia Univerſali celebrantur, eſt illa Sacratiſſimi Corporis Chriſti, cujus productionem, ſicut & Sanguinis in Euchariſtia, Veteres Spiritui Sancto attribuunt per quandam appropriationem: ita S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 5. Theophil. *in* 5. *cap. Joan.* S. Joannes Damaſcenus *lib.* 4. *de Fide Orthod. cap.* 14. S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *in myſtica Theoria*. Id etiam apparet ex veteri inſcriptione Altaris lignei argento obducti, quondam ędificati munificentia Rogerii Epiſcopi Elloronenſis: ibi. 477

Res ſuperimpoſitas commutat Spiritus almus:
Fit de pane Caro, Sanguis ſubſtantia vini.

ut habet Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S Gregorii Papæ, *nota* 174. *pagina* 309. ubi explicat illa verba antiquæ Prętationis propriæ, quæ olim dicebatur in Miſſa de Dominica quinta poſt Epiphaniam, ſcilicèt: *Et unum Chriſti Corpus, Sancti Spiritus infuſione perficitur.* Sed & Ludovicus Thomaſſinus, clariſſimus Congregationis Oratorii Presbyter *lib.* 2. *de Dier. Feſtor. celebrat. cap.* 19. §. 5. *pag. mihi* 86. *juxta edit. Venet. de Anno* 1729. ſic revera etiam ipſe habet: *Corporis Chriſti Opifex Spiritus Sanctus extitit, ejuſque donis atque præſidiis, his paſti delitiis, inſtruimur.*

Dum autem dixit Jeſus turbis Judæorum: *Ca-* 478

ro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, non dixit parabolicè, non ænigmaticè, non figuratè, ait ex Chryſoſtomo Euthymius, ſed verè, & propriè, ut verba ſonant. Dum verò proſequitur, dicens: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*, realiter manet, quandiu ſpecies Sacramentales panis & vini in nobis manent: iis verò à ſtomacho digeſtis & conſumptis, deſinit quidem in nobis eſſe Chriſtus homo ſubſtantialiter, ſed tamen ex propria ejus unione & contactu fit, ut vita Animæ ſpiritualis per gratiam alatur, roboretur, & conſervetur in æternum: & Deitas Chriſti quaſi cibus immortalis manet in nobis, qui continuò nos paſcit & cibat influxu gratiæ habitualis, ac per ſtata tempora infuſione gratiæ actualis, puta, novis ſanctis illuſtrationibus, novis inſpirationibus, novis piis effectibus, & impulſibus in Animam immiſſis, ut fiamus idem quod ipſe eſt, ait S. Gregorius Nyſſenus apud Cornelium à Lapide *in Commentat. ad Evang. tom. 2. cap. 2. Joan. verſ. 56. & 57.*

479 Dictus Cornelius à Lapide *loco citato, verſ. 58.* ad ſequentia Chriſti verba, ſcilicèt: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, notat gradationem, qua vita à Deo quaſi per ſcalas gradatim ad nos deſcendit: *Primus* enim *gradus* eſt, quo Pater Filio vitam ſuam divinam communicat: *Secundus*, quo Filio vitam eandem humanitati à ſe aſſumptæ per communicationem idiomatum impertit: *Tertius*, quo eidem vitam participatam, puta gratiæ & gloriæ, inſpirat: *Quartus*, quo non æqualem, ſed ſimilem nobis in Euchariſtia inſtillat. Quia tamen in Epiſtola à S. Paulo Corinthiis conſcripta commemorantur verba Chriſti in Euchariſtiæ inſtitutione, ſcilicèt: *Accipite, & manducate: hoc eſt Corpus meum*, hæc verba tam porrigentis ſunt, quàm conſecrantis: unde S. Ambroſius *de Sacram. lib. 4. cap. 4.* ita ait: *Ser-*

mo

mo Chriſti hoc conficit Sacramentum : *ipſe dixit* : *&
factum eſt* : Quapropter verbum illud , *eſt*, ſignificat inſtantaneam mutationem tranſubſtantialitatis, in qua ſimul ſunt fieri , & factum eſſe , inquit Cornelius à Lapide *in* 1. *Epiſt. Pauli ad Corinth. cap*. 11. *verſ*. 24. Dixit autem Jeſus : *Hoc facite*, quod ſcilicèt ego jam feci : nimirùm, conſecrate, offerte in ſacrificium , ſumite , diſtribuite Euchariſtiam , uti ego conſecravi , obtuli , ſumpſi , diſtribui : unde hìc Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes: ita Concilium Tridentinum *ſeſſ*. 22. *cap*. 1. ex Eccleſiæ perpetuo conſenſu . Ex verbis autem S. Pauli in dicta Epiſtola, videlicèt: *Quicunque manducaverit panem hunc* , *vel biberit calicem Domini*, notando ly , *vel* , infert Cornelius à Lapide *loco proximè citato*, *verſ*. 26. ergo ſufficit altera ſpecies in communicando , & manducando Sacram Euchariſtiam.

§ I.

De Inſtitutione celeberrimæ Solemnitatis Sacratiſſimi Corporis Chriſti.

ANtequàm ad rem noſtram deſcendamus , nempè, ad Sacros Ritus in Feſto SS. Corporis Chriſti , & infra ejus Octavam diligenter ſervandos , neceſſarium ducimus aliquid priùs tangere de Inſtitutione tantæ Solemnitatis: Conveniens etenim eſt , ut Feſtum iſtud tanta pompa ubique terrarum celebratum , ſuum nobis patefaciat devotiſſimum Auctorem . Itaque *Urbanus* hujus nominis *Quartus* , hanc magnam inſtituit Celebritatem , quam una cum Octava peragendam eſſe ſolemniter voluit . Hujus verò Summi 480

Digitized by Google

mi Pontificis pręclaram & elegantem Conſtitutionem dę Anno 1262. ex Cherubino *in Bullario Romano, tomo primo, la prima ejuſdem Pontificis*, fideliter deſumptam, quà parte Inſtitutionem continet, perutile cenſemus hoc loco inſerere, & eſt tenoris ſequentis, videlicèt: -- *Urbanus Papa IV. Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, &c. -- Tranſiturus de hoc Mundo ad Patrem Salvator Noſter D. Jeſus Chriſtus*, cum reliquis, in quibus narrat Pontifex multa beneficia recepta à Deo in hoc Sacramento pro nobis inſtituto: Deinde refert cauſam, ob quam inſtituta fuit ſolemnis Feſtivitas hujus Sacramenti: Poſtmodum ad ipſam venit Feſti Inſtitutionem, ſequentibus pręciſis verbis: *Hos itaque ad corroborationem & exultationem Catholicæ Fidei, dignè ac rationabiliter duximus ſtatuendum, ut de tanto Sacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia, ſolemnior & ſpecialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes & deſcribentes Diem, videlicèt Feriam quintam proximam poſt Octavam Pentecoſtes, ut in ipſa quinta Feria devota turba Fidelium propter hoc ad Eccleſias affectuoſa concurrant, & tam Clerici quàm Populi gaudentes, in cantica laudum ſurgant. Tunc enim, omnium corda & vota, ora & labia, hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris. Tunc pſallat Fides, Spes tripudiet, exultet Charitas, Devotio plaudat, jubilet Chorus, Puritas jucundetur. Tunc ſinguli, alacri animo, pronaque voluntate conveniant ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tanti Feſti ſolemnitatem celebrantes. Et utinam ad Chriſti ſervitium, ſic ejus Fideles ardor inflammet, ut, per hæc, & alia, proficientibus ipſis meritorum cumulis apud eum, qui ſe ſe dedit pro eis in pretium, tribuitque ſe ipſis in pabulum, tandem poſt hujus vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Ideoque univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, in* remiſ-

remiſſionem peccatorum injungentes, quatenùs tam glorioſum Feſtum, prædicta quinta Feria ſingulis annis devote & ſolemniter celebretis, & faciatis ſtudioſe per univerſas Eccleſias Civitatum veſtrarum & Diœceſum celebrari, Subditis veſtris in Dominica dictam quintam Feriam proximè præcedente, ſalutaribus monitis ſolicitè per vos, & per alios exhortantes, ut per veram & puram Confeſſionem, Eleemoſynarum élargitionem, attentas & ſedulas Orationes, & alia Devotionis & Pietatis opera, taliter ſe ſtudeant præparare, quòd hujus pretioſiſſimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reverenter, ac ejus virtute augmentum conſequi gratiarum.

Dictam tamen Bullam Urbanam fuiſſe expeditam non anno 1262. ut habet citatus Cherubinus, ſed anno 1264. & poſtea ob bellicos tumultus, quibus tunc temporis tota penè Italia agitabatur, parum pleriſque locis extitiſſe obſervatam, tradit eruditiſſimus Franciſcus Pagi *tom.* 1. *Breviar. de Geſtis Urbani IV.* §. 2. & 22. *pag.* 309. *juxta edit. Venet. de Anno* 1730. Verum quidem eſt, quòd Clemens Quintus eam totam recepit & confirmavit anno 1311. in Generali Concilio Viennenſi, & licèt hæc confirmationis Conſtitutio ſit omiſſa *in Bullario Romano*, integra tamen reperitur cum tota Urbana *in Clem. unic. de Reliq. & vener. Sanctor.* Joannes quoque Vigeſimus ſecundus, Clementis ſucceſſor, eam iterum promulgavit anno 1316. Urbanum tamen Quartum non introduxiſſe de novo hanc Feſtivitatem, ſed eam alibi incœptam tradidiſſe Eccleſiæ Univerſali ſolemniter celebrandam, teſtatur Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 81. *pag.* 363. ait enim, quòd iſte Pontifex cùm Leodii eſſet Archidiaconus, viderat in ea Urbe Feſtum hoc celebrari, ubi tanquam Feſtum publicum & ſolemne, cum Vigilia & Jejunio præſcriptum fuerat in Synodo illius Urbis habita anno 1246. per Robertum Epiſcopum Leodienſem. Conveniunt in hoc Henricus 481

ricus Spondanus *tom. 1. Continuat. Annal. Baron. ad Ann.* 1264. *ſub num.* 2. & diligentiſſimus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perſcrutator Franciſcus Pagi *loco proximè citato*: ubi tamen addunt, Leodienſem hujuſce Feſtivitatis celebrationem fuiſſe Divinitus indicatam nonnullis ſacris Virginibus, quæ poſtmodùm examinata fuit, ab illius Urbis Epiſcopis recepta, à quibuſdam Cardinalibus Legatis Apoſtolicis confirmata, & ab ipſo cognita Urbano Quarto, qui revera in Bulla Inſtitutionis, §. 1. in fine, ſic habet: *Intelleximus autem, olim dum in minori eſſemus officio conſtituti, quòd fuerat quibuſdam Catholicis Divinitus revelatum, Feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum*. Quod igitur vidit Urbanus tanta ſolemnitate Leodii celebrari, magna pompa celebrandum inſtituit in Eccleſia Univerſali.

§. II.

De Feria quarta Feſtum SS. Corporis Chriſti immediate præcedente.

482 FEria quarta, quæ ſtatim ſubſequitur Feſtum SS. Trinitatis; & conſequenter immediatè precedit Feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti, nonnulla habet adnotanda, de quibus modò Sermo. Itaque quodcunque Officium hodie celebretur, Martyrologicus Lector debet ad Primam pronunciare primo loco *Feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti*. Hæc verò Solemnitas non habet ex precepto Eccleſiæ Jejunium: Verum tamen eſt, quòd ſingulis Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti Profeſto Jejunium, vel loco illius aliud pium juxta ſuorum

rum conſilia Confeſſorum opus fecerint, centum Dies de injunctis eis pœnitentiis relaxat Martinus Quintus *in Bullar. Rom. tom.* 1. *Conſtitut.* 12. *ejuſd. Pontific. qua incipit* Ineffabile Sacramentum, *edita anno* 1429. *die verò* 26. *Maii*: Imò præmiſſis per eundem Martinum relaxatis diebus, alios totidem dies pariformiter ab ipſis Fidelibus conſequendos adjicit Eugenius Quartus *in dicto tom.* 1. *Bullarii*, *Conſtitut.* 6. *qua incipit* Excellentiſſimum, *emanata anno* 1433. *ſub die* 26. *Maii*: dum enim Eugenius duplicat ibi omnes Indulgentias à dicto Martino (ut infra dicetur) conceſſas, duplicat etiam conceſſas jejunantibus in hac Feria quarta. Aliquibus tamen in Locis jejunatur hac die etiam vigore Conſtitutionis Synodalis, ut ſupra diximus de Conſtitutione Leodienſi edita anno 1246. Et jejunium præſcriptum cernitur in Concilio Senonenſi Pariſiis habito intra annum 1319. ubi ſic habetur, canone primo: *Statuimus atque ordinamus, ut quarta Feria præcedente Feriam quintam poſt Octavas Pentecoſtes, in qua ſummi & magnifici Corporis & Sanguinis D. N. J. C. Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretioſi Corporis, ſe ab eſu carnium abſtineant, & jejunent*, ut refert Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 81. *verſ. Urbanus IV. pag.* 365. ſed dum ibidem dicit, quòd Urbanus Quartus jejunandum in Vigilia Corporis Chriſti præceperat, neſcio profectò ex quo loco id ſumpſerit, cùm tota Bulla Inſtitutionis nullam faciat mentionem de hujuſmodi Jejunio, ut clarè patet legenti. Ubi tamen vel Concilium Provinciale, vel Synodus Diœceſana præſcribat jejunandum in hac Feria quarta, Conſtitutio illa eſt omninò ſervanda, tanquàm Lex totius Provinciæ, vel reſpectivè Diœceſis.

Certum tamen eſt, quòd ſi Feſtum SS. Corporis Chriſti venerit in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, Jejunium erit anticipate transferendum in hanc Feriam quartam, juxta Conſtitutionem Urbani Octavi, quæ incipit *Cùm evenire quandoque poſſit*, 483
ema-

emanata anno 1638. die 13. Octobris, quam refert Cherubinus *in Bullar. Roman. tom. 4. Conſtitut. 152. ejuſd. Pontific.* & edita fuit pro Anno ſequenti 1639. in quo caſus, qui iterum contigit meis temporibus anno 1707. Cùm autem in prædicta Conſtitutione Urbana habeatur dumtaxat anticipatio Jejunii, nullus verò ſit ibi ſermo de Officio Vigiliæ, ideo ſequens exiit Decretum anno 1706. die 18. Septembris pro regula anni ſequentis dictam occurrentiam afferentis, ſcilicèt: *Remiſſa à SS. D. N. Clemente Papa Undecimo ad Sacrorum Rituum Congregationem diſcuſſione Dubii: An occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in Die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato Jejunio Vigiliæ prædictæ in diem vigeſimam ſecundam Junii ad formam Conſtitutionis Urbanæ, debeat in Officio diei vigeſimæ ſecundæ prædictæ, ejuſdem Evangelii nona Lectio recitari, & in Officio & Miſſa de eadem fieri commemoratio?* Eadem Sacra Rituum Congregatio, approbante Sanctiſſimo ſub die 2. Octobris ejuſdem Anni, cenſuit, *Nihil de Vigilia in Officio, & Miſſa peragendum eſſe*, ut citato Bullario Romano dictum Decretum habente, retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus; *ſub numer. margin.* 1283. *pag.* 426. Ex prædicta Urbani Octavi generali Conſtitutione ortum eſt poſtmodùm Dubium: An Minores Conventuales S. Franciſci, qui in Vigilia S. Antonii nuncupati de Padua ſunt ex alia Conſtitutione Urbana Jejunio addicti, poſſint transferre anticipate dictum Jejunium in hanc Feriam quartam, quando Feſtum SS. Corporis Chriſti incidit in diem duodecimam Junii? Hoc igitur Dubio in Sacram Rituum Congregationem delato, eadem Sacra Congregatio, annuente Alexandro Septimo, ſub die 26. Maii 1659. reſpondit, *hujuſmodi Jejunium Feria quarta immediatè antecedente eſſe anticipandum*, ut refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Jejunium, ſub num.* 5. At quid dicendum de eo, qui tenetur ex Voto jejunare in dicta Vigilia S. Antonii? Poteritne uti anticipa-

ticipa-

ticipatione dictis Minoribus Conventualibus conceſſa in caſu propoſito? Nequaquàm, ex rationibus ſupra allatis in Die Nativitatis Domini.

Veſperæ autem in hac Feria quarta dicendæ, ſunt ſemper ex integro celebrandæ de ſequenti, nempè de Feſto SS. Corporis Chriſti, quæcunque ſit concurrentia cum Feſto præcedenti, licèt illud fuerit de Patrono Loci, vel de Titulari Eccleſiæ, aut etiam de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione. Omnia ſunt propria in Breviario: ſed ad Hymnum *Pange lingua*, *&c.* cùm perventum fuerit ad *Tantum ergo Sacramentum*, genuflectitur uſque ad finem illius ſtrophæ, ſi ipſum Sacramentum ſit ſuper Altari, ut habet Ceremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 28. §. 6. *pag.* 166. & tradit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 1. *ſub num.* 4. Bauldryus verò clariùs hoc explicat, nam *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *cap.* 16. *artic.* 1. *ſub num.* 2. *pag.* 268. ait, quòd ſi Tabernaculum SS. Sacramenti ſit ſuper Altare, ante quod Veſperæ dicantur, tunc omnes genuflectunt ad dictam totam ſtropham, aliàs verò non genuflectitur. Piſcara tamen videtur intelligere de Expoſitione, non de Tabernaculo, ſiquidem *in Prax. Ceremoniar. lib.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 1. *ſub num.* 2. *pag.* 438. ſic revera inſtructurus habet: *Primæ Veſperæ ſolemniter celebrantur, non tamen in eis exponitur SS. Sacramentum, & ideo in Hymno cùm dicitur* Tantum ergo, &c. *non genuflectitur*. Attamen ſufficit ad effectum genuflectendi, quòd in Altari, ante quod Veſperæ celebrantur, adſit Tabernaculum, in quo incluſum retineatur SS. Sacramentum. In aliquibus tamen Eccleſiis dictus Hymnus cantatur quidem à Clero, qui ab utroque latere Chori præſens exiſtit, ſed cùm pervenitur ad dictam ſtropham *Tantum ergo, &c.* illam muſicis notis ſuaviter canunt quatuor de Clero peritiores in arte, genuflexi in medio Chori, dummodo adſit Tabernaculum, ut ſupra. 484

In dictis primis Veſperis de Feſto SS. Corporis Chri- 485

Chriſti dicitur unica tantùm Oratio, niſi concurrant cum pręcedenti Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, aut ſimul occurrat alicubi in eodem Feſto SS. Corporis Chriſti Dies Octava alicujus Feſti ibidem Octavam habentis, dummodo tamen Feſtum principale, quod eo anno neceſſariò tranſfertur, repoſitum fuerit in aliqua ex tribus Feriis poſt Feſtum SS. Trinitatis immediatè recurrentibus, alioquin Feſto ulteriùs translato, deperditur ejus Dies Octava. Itaque ſi dicta Feria quarta inciderit in diem decimam nonam Junii, ut in Tabula trigeſima prima ordinis perpetui, Juſtinopoli in Hiſtria ſub Dominio Veneto, Veſperæ erunt de ſequenti Feſto SS. Corporis Chriſti, cum commemoratione de Feſto pręcedenti S. Nazarii Epiſcopi & Confeſſoris Urbiſque Patroni, quod ibi celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis. Si verò occurrat die decima ſeptima ejuſdem Menſis, ut in Tabula vigeſima nona, in Congregatione Regulari Eremitarum S. Hieronymi, in Veſperis de Feſto ſequenti fit commemoratio de præcedenti Feſto duplici ſecundæ claſſis Beati Petri de Piſis. Quòd ſi hæc Feria quarta veniat die vigeſima prima dicti Junii, ut in Tabula trigeſima tertia, Recineti in Marchia Anconitana, Mazariæ in Sicilia, & Pragæ in Bohemia ad Veſperas de Feſto SS. Corporis Chriſti additur commemoratio de Die Octava SS.mm. Viti, & Sociorum, quorum Feſtum principale occurrit die decima quinta memorati Menſis, in Feria quinta infra Octavam Pentecoſtes, & potuit celebrari translatum in una vel altera ex tribus Feriis immediatè poſt Feſtum SS. Trinitatis recurrentibus, & cras in Feſto SS. Corporis Chriſti occurrit eorum Dies Octava. Cęterùm in hiſce primis Veſperis nihil fit de feſto ſimplici, ſi cras occurrat: nihil de quacunque ſpeciali die infra Octavam, etiamſi SS. Trinitatis in Eccleſia propria, ut ex inferiùs dicendis clarè patebit. Ubi verò ſolet ad Veſperas hujus Octavæ exponi SS. Sacramentum, non tamen inchoatur Expoſitio

à primis his Veſperis, eſſet enim Novendium Expoſitionis, non verò Octava: nec datur quoad hoc anticipatio in hac Feria quarta, ut de Officio Matutinali paulò poſt dicemus.

Circa verò haſce primas Veſperas in Eccleſiis 486
Cathedralibus ſolemniter peragendas, cùm non omnes primæ Veſperæ Solemnitatum dicantur & ſint Functiones Epiſcopales: cùmque hæ primæ SS. Corporis Chriſti non ſint revera incluſæ inter enumeratas in Cęremoniali Epiſcoporum, ut videre eſt *lib. 2. cap. 1. §. 2. pag. 184.* ubi ſolæ ſequentes ponuntur, hiſce pręciſis verbis contentæ: videlicèt: *Si Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus, Veſpera ſolemniùs peraguntur, quàm ſi non eſſet celebraturus: quod præcipuè in his Vigiliis obſervarì ſolet, videlicèt, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Epiphania, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis Beata Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſia, Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni Civitatis*: hinc ſequitur, quòd celebratio harum Veſperarum non eſt determinata Functio Epiſcopi, quia die ſequenti non celebrat ipſe Pontificaliter, ut clarè patet ex eodem Cęremoniali *dicto lib. 2. cap. 33. §. 15. pag. mihi* 409. Conſequenter non poteſt in his primis Veſperis verificari ſuppletio loco Epiſcopi ad favorem primæ Dignitatis, ad quam cęteroquin pertinent Functiones Epiſcopales, impedito vel nolente Epiſcopo. Quapropter hæ primæ Veſperæ de Feſto SS. Corporis Chriſti celebrari debent per Hebdomadarium, ad quem ſpectant omnes illæ Functiones, quæ non ſunt propriæ Epiſcoporum, ut tenet Urſaya doctiſſimus Almæ Urbis Advocatus *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 4. par. 2. diſceptat. 25. ſub num. 27. & ſeqq.* niſi tamen primæ Dignitati aſſiſtat immemorabilis conſuetudo, quæ alioquin locum habere debet, etiamſi ab una ex Partibus contendentibus in controverſiam adducatur, donec concludenter probatum remaneat contrarium.

Celebratis ſolemniter primis Veſperis, & recitato Completorio cum clauſula Hymni *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es, &c.* & ſine duplici *Alleluja* ad Reſponſorium breve; licèt ad alias Horas addatur: dicitur quotidie in Choro Matutinum pro Die ſequenti, ab hac ſcilicèt Feria quarta uſque ad Feriam quartam ſequentem incluſivè. Ad Hymnum Laudum, ſi in Altari adſit Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectitur ad quintam ſtropham *O ſalutaris Hoſtia*, quæ tempore Belli devotiùs & humiliùs decantari debet, nam Auctor Hymni (de quo nos infra) dictam ſtropham ad rem compoſuit; quia (ut ſupra diximus) bellicis tota ferè Italia tunc temporis agitabatur tumultibus: unde Sancta Eccleſia Deum enixè deprecatur, ut dum Bella premunt hoſtilia, det robur, ferat auxilium: illud nempe auxilium, quod, obſeſſa jam Aſſiſii Civitate, Sanctæ Claræ præſtitit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in diſperſione militum Saracenorum Monaſterium Sanctimonialium hoſtiliter invadentium. Eſſe autem genuflendum ad eandem Hymni ſtropham, communiter tenent Scribentes de Sacris Ritibus, præſertim Gavantus & Bauldryus *locis ſupra citatis*. Anteqnàm verò incipiatur ſolemniter Matutinum, pulſentur Campanæ majores, ut Populus devotus poſſit accurrere ad acquirendas Indulgentias, quas omnibus & ſingulis Fidelibus, qui Officiis hujuſmodi Nocturnis & Diurnis interfuerint, Romani conceſſere Pontifices. Ut autem unuſquiſque ſciat, quales intereſſendo lucretur Indulgentias, eos volumus hoc proprio loco integras inſerere, quas ceteroquin nullus ferè Auctor extendit, licèt ferè omnes indicent. Urbanus igitur Quartus in ipſa Inſtitutionis Feſtivæ Conſtitutione (de qua ſupra) precepta prius toti Orbi terrarum Solemnitate, ſic poſtmodùm concedit §. 4. *Nos enim Chriſtifideles ad colendum tantum Feſtum & celebrandum, donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Matutinali Officio*

ficio Feſti ejuſdem, in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: Qui verò Miſſa, totidem: Qui autem in primis ipſius Feſti Veſperis interfuerint, ſimiliter centum: Qui verò in ſecundis, totidem: Illis verò, qui Prima, Tertia, Sexta, Nona, ac Completorii Officiis interfuerint, pro qualibet Horarum ipſarum, quadraginta: Illis autem, qui per Octavas, Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſa, ac prædictarum Horarum Officiis interfuerint, centum dies, ſingulis Octavarum ipſarum diebus, in omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Ita Urbanus IV.

Præfatas tamen Indulgentias duplicavit Martinus Quintus *in Bullar. Roman. tom. 1. Conſtitut. 12. hujus Pontific. qua incipit* Ineffabile Sacramentum, *expedita anno* 1429. *die* 26. *Maii*: Sed & duplicatis per eundem Martinum diebus, alios totidem dies ab ipſis Fidelibus pariformiter conſequendos adjecit Eugenius Quartus *in dicto tom. 1. Bullarii, Conſtitut. 6. ipſiuſmet Pontific. qua incipit* Excellentiſſimum, *edita anno* 1433. 26. *Maii*. Ne autem ex eo quod in tot Bullis Apoſtolicis nominetur Octava SS. Corporis Chriſti, putent Fideles iis tantùm diebus acquiri Indulgentias, in quibus Officium fit de Octava, Joannes Vigeſimus ſecundus ſuo perpetuo Decreto declaravit valere ac perſiſtere dictas Indulgentias, etiam quando infra hanc Octavam fit Officium de Sanctis occurrentibus, ut teſtatur ejuſdem Decreti Teſtis fidelis de viſu Gavantus *tom. 2. ſect. 6. cap. 20. ſub num. 5.* & forſan ex eo, quem primò tradidiſſe cenſeo, refert etiam Bauldryus *Man. Sacrar. Ceremoniar. part. 4. cap. 16. artic. 1. ſub num. 6. pag.* 268. Aſſiſtant itaque Fideles intereſſendo, dum Summi Pontifices fuerunt tam liberales in elargiendo: nec permittant, novis Hieremiam lamentationibus exclamare: *Viæ Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad Solemnitatem.* 488

§. III.

De iis, quæ ſpectant ad ipſum Diem Feſtum in Solemnitate SS. Corporis Chriſti.

FEria quinta poſt Octavam Pentecoſtes conſiderate prudenterque ſtatuta fuit pro memoria Inſtitutionis Sacramenti, *ut qui per totum Anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus Inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Diſcipulorum edocuit ad plenè cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti: nam in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à Fidelibus frequentari*, ut optimè dicit S. Thomas de Aquino. Feſtum hoc eſt præceptivum, cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab Operibus ſervilibus. Celebratur autem ſub ritu duplici primæ claſſis in colore albo: cui cedit quodcunque aliud Feſtum quantumvis ſolemne, vel in Eccleſia Univerſali, vel alicubi hodie occurrens, & ideo transfertur: an verò translatum ex hac die reponendum ſit intra vel extra Octavam, alibi propriori loco dicemus. Quoad Officium, illud compoſuit juſſu Urbani Quarti Divus Thomas Aquinas: Officium quidem celebratiſſimum, cujus laus eſt per omnes Eccleſias: nam ſi perfectiſſimi ſuiſque numeris omnibus abſolutiſſimi Officii formam exoptas, oculos conjicias in Officium Corporis Chriſti ab ipſo S. Thoma Aquinate compoſitum, ait commendando Guyetus *in Heortolog. lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 3. *in fine*, *pag. mihi* 170. & iſtud quoque maximis ſuum doctiſſimum Auctorem laudibus cumulaſſe, aſſerit Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 81. *verſ. Primum*, 489

mum, *circa fin. pag.* 364. ubi etiam addit, quòd in Breviario Pariſienſi de anno 1680. appellatur *admirandum Officium*.

Quoàd tamen hujus Officii recitationem, omnia ſunt propria in Breviario: nec fit aliqua commemoratio in Laudibus, niſi de Die Octava hodie ſimul alicubi occurrente, dummodo ejus Feſtum principale neceſſariò transferendum, ſit repoſitum in una ex tribus Feriis poſt Feſtum SS. Trinitatis immediatè recurrentibus: ut ſi Feſtum SS. Corporis Chriſti incidat in diem nonam Junii, ut in Tabula vigeſima ordinis perpetui, Cremonæ in Ducatu Mediolanenſi fit in hodiernis Laudibus commemoratio de Die Octava Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri Patronorum illius Urbis, quorum Feſtum principale occurrit die ſecunda ejuſdem Junii eo anno impedita, eo quòd incidit Feria quinta infra Octavam Pentecoſtes: & potuit tranſlatum celebrari in una vel altera ex prædictis tribus Feriis. Non fit ergo in dictis Laudibus commemoratio de Feſto ſimplici hodie forſan occurrente: ſed nec de Die aliqua infra aliam Octavam, ſi alicubi occurrat: imò neque de quinta Die infra Octavam SS. Trinitatis in Eccleſia propria, nam licèt Octava ejuſdem SS. Trinitatis dignior ſit Octava SS. Corporis Chriſti, non ideò eſt Octava Privilegiata: unde Octavarium Romanum tacet hodie ejus commemorationem, & tamen cras ordinat Officium de ſexta Die infra Octavam dictæ SS. Trinitatis, cum commemoratione de SS. Corpore Chriſti: Hoc etiam benè notat Bauldryus *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par.* 4. *cap.* 15. *ſub num.* 4. *pag.* 268. licèt Hieronymus Carollus in Libro Italice conſcripto, cui titulus, *Dottrina de' Sacri Riti*, *pag.* 300. ſit opinionis affirmativæ: ſed donec Sacra Rituum Congregatio aliter decernat, ſtandum eſt dicto Octavario Romano nullam hodie præſcribenti commemorationem de eadem Octava SS. Trinitatis: ſed quoad Officium in dicta Feria ſexta, aliquid novi 490

habemus, infra videndum. Ad Primam in Hymno dicitur clauſula *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* ſed ad Reſponſorium breve non adduntur duo *Alleluja*, attamen dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*. In aliis verò Horis, & clauduntur Hymni cum ſupradicta ſtropha, & duo dicuntur *Alleluja* ad Reſponſoria brevia.

Miſſa verò in hac Solemnitate SS. Corporis Chriſti eſt propria, in qua dicitur *Gloria*, cum unica Oratione, niſi alicubi ſimul occurrat aliqua Dies Octava, de qua idcircò eſſet dicenda ſecunda Oratio; vel niſi incidat Dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi, nam tunc in Miſſa tantùm ſolemni dicitur ejus Collecta ſub unica concluſione, juxta Decretum ſupra relatum in Miſſa de Epiphania. Ad movendam tamen maximè hoc tempore pietatem, & majorem devotionem erga venerabile Sacramentum, expedit, ut Sacerdos caput inclinet ad Nomen Sacramenti, dum dicit Collectam *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* ut verbis utar Gobati *in Theolog. moral. to. 1. tract. 3. ſub num. 731. in Append. IV. lit. e.* ſed ego etiam caput inclinarem ad illa verba, *Corporis, & Sanguinis tui*: Poſt Epiſtolam, dicto vel cantato Graduali, cantatur vel legitur *Sequentia*, juxta Miſſam ſolemnem vel privatam. Hujus *Sequentiæ*, ſeu Proſæ, aut Jubilationis Auctor fuit Divus Thomas de Aquino, qui omnia in ea dixit, quæ ſpectant ad hoc Sacramentum, in ædificationem Corporis Chriſti, ad excitandam Fidelium devotionem, & ad cordis jubilum in celebratione tantæ Feſtivitatis. Dicitur in hac Miſſa *Credo*, cum Præfatione de Nativitate Domini, ſcilicet, *Quia per incarnati Verbi myſterium*, ſed tamen ſine ejus *Communicantes*. 491

Cùm autem hoc Feſtum SS. Corporis Chriſti inſtitutum ſit poſt S. Gregorium Papam, ideò nihil habetur de eodem Feſto in Libro Sacramentorum dicti Pontificis: Gregorius enim Primus creatus fuit *anno* 590. *die* 3. *Novembris*, & obiit *anno* 604. *die* 3. *Martii*: Inſtitutor verò hujus Feſti Urbanus 492

Quar-

Quartus creatus fuit poſt multa ſæcula, nempè *anno 1261. die 28. Auguſti*: unde nil mirum, ſi in dicto Sacramentario Gregoriano nulla fiat mentio de Miſſa in Feſto SS. Corporis Chriſti. Mirandum potiùs videtur, quòd nihil habeatur apud Gulielmum Durandum, qui tamen ſcripſit anno poſt Inſtitutionem Urbanam vigeſimo ſecundo: ſed ratio eſſe poteſt, quia Bulla Inſtitutionis non fuit ſtatim propter Bella Italica, ubique recepta. In Eccleſia tamen Ambroſiana dicitur hodie Præfatio, quæ eſt alia à Romana, ut patet ex particulari illius Eccleſiæ Miſſali Mediolani impreſſo, & dicitur ibi per totam Octavam: eſt igitur ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum Noſtrum. Qui ſub ſpecie panis & vini, mirabile Sacramentum nobis declarando monſtravit, Et per verba mirabiliter prolata, panem & vinum tranſubſtantiavit in Corpus & Sanguinem ſuum. Quod ſumendo, dignis ad vitam, indignis eſſe voluit ad Judicium. O quanta dulcedo & vita beatis, o quanta mortalitas & pœna damnatis! Vitemus ergo judicium, dignè ſumendo Sacramentum, ut regnum mereamur conſequi ſempiternum, per eundem Chriſtum Dominum Noſtrum, Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.*

Hæc tamen Miſſa in qualibet Eccleſia cantanda eſt cum Miniſtris, ut reſpondet Sacra Rituum 493
Congregatio *in Alexandrina ſub die* 15. *Martii* 1608. apud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Miſſa Conventualis*, *Collect.* 477. *ſub num.* 6. & refert etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 80. Sacriſta verò, vel ille, cui incumbit adminiſtratio Euchariſtiæ, dum poſt Communionem reponit in Tabernaculum Sacram Pixidem, recitata Antiphona *O Sacrum Convivium*, ad Verſiculum *Panem de Cœlo præſtitiſti eis*, addat *Alleluja*, tum quia additur ſemper in hujuſmodi Verſiculo ad Officium

hujus Octavæ : tum quia eſſe addendum in tota hac Octava ad quamcumque repoſitionem SS. Sacramenti, præcepit Clemens Undecimus *in Inſtitutione edita anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, quæ habetur & in Bullario particulari hujus Pontificis *par.* 2. *Conſtitut.* 9. *pag.* 312. & poſtmodum inſerta fuit in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut. ibid.* 9. Confeſſarii autem, qui ante Feſtum SS. Corporis Chriſti audiunt Fidelium Confeſſiones, hortentur Pœnitentes ad ſuſcipiendam humili & contrito corde Sacram Communionem precipuè in eadem Feſto pro Indulgentiarum acquiſitione : Illis enim, qui in Feſto SS. Corporis Chriſti, Euchariſtiæ Sacramentum devote ſumpſerint, centuum Dies de injunctis eis pœnitentiis relaxat Martinus Quintus *in Bullar. Rom. tom.* 1. *Conſtitut.* 12. *ejuſd. Pontific. qua incipit* Ineffabile Sacramentum, *emanata anno* 1429. *ſub die* 26. *Maii*. & præmiſſis per eundem Martinum relaxatis Diebus, alios totidem adjicit Eugenius Quartus *in dict. tom.* 1. *Bullarii, Conſtitut.* 6. *ipſiuſmet Pontific. qua incipit* Excellentiſſimum, *edita anno* 1433. *ſub die* 26. *Maii*.

Sacerdotem verò in Anno rarò celebrantem, hodie ex vi præciſa Ordinis teneri ad ſacrificandum, legitimo ceſſante impedimento, cenſendum eſt : cùm enim debeat celebrare ſub culpa lethali ſaltem quater vel quinquies in Anno, juxta communem Theologorum ſententiam, & quidem in Feſtis ſolemnioribus : quis non videt, Feſtum SS. Corporis eſſe Feſtum Sacerdotale, & ideo unum ex dictis ſolemnioribus ? In eo enim recolitur inſtitutio SS. Sacramenti: In eo Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes: In eo ordinatis Sacerdotibus dixit Jeſus, *Hoc facite* : In eo denique dicitur ad Hymnum Matutini hodierni, *ut ſumant, & dent cæteris*. Nec per hodiernum Sacrificium exceditur numerus quinque Dierum ſolemniorum à dictis Theologis ſine nominum expreſſione præſcriptorum : ſiquidem Sacerdos rarò infra annum celebrans, 494

lebrans, ſacrificare ſaltem tenetur meo judicio, in Nativitate Domini, in Epiphania, in Paſchate, in Pentecoſte, & in hoc Feſto SS. Corporis Chriſti: ſunt etenim quinque Dies Anni ſolemniores, Octavam Privilegiatam habentes.

In Cathedrali tamen, Epiſcopus, quantocitius poterit, veniet ad Eccleſiam, & ibidem Miſſæ, per primam Dignitatem vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra, aſſiſtit: in qua omnia ſervabuntur, quæ circa Miſſam ſolemnem ſervanda ſunt, cum cæremoniis, genuflexionibus, & reverentiis erga SS. Sacramentum ſuper Altare poſitum, cum quo deinde facienda eſt ſolemnis Proceſſio: attamen de ea nos differemus in capite ſexto ſequenti, cùm de hac Proceſſione multa ſint adnotanda, utrique Clero (ut reor) perutilia, & ideo ſcitu digna. Si verò Epiſcopus voluerit ex ſua particulari devotione hac die celebrare, & SS. Sacramentum pro dicta Proceſſione conficere, poterit ſummo manè Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die, propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem, Miſſa ſolemni: ut habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 2. cap. 33. ſub num. 15. & 31. pag. mihi* 409. & 414. Et quia ſumus modò in Cathedrali, notandum etiam occurrit hoc loco, quòd Feſtum iſtud SS. Corporis Chriſti eſt unum ex ſolemnioribus, in quibus Canonicus Cathedralis Pœnitentiarius tenetur in Sede Confeſſionali aſſiſtere, ut ex Deciſione in Segobienſi refert Monacelli *in Formul. Leg. Pract. par. 1. tit. 2. formul. 6. ſub. num.* 5. *pag.* 54. Qui tamen Pœnitentiarius in audiendis Confeſſionibus, ſuos admoneat Pœnitentes Sanctiſſimum hodie Euchariſtiæ Sacramentum ſumpturos, de Indulgentiarum acquiſitione ſuperiùs relatarum. 495

Notandum verò eſt, quòd in hoc Feſto SS. Corporis Chriſti nulla cantari poteſt Miſſa Votiva, quantumvis urgeat ratio rei gravis. Imò ne- 496

que

que cantanda eſt Miſſa de Feſto hodie occurrente & transferendo, licèt illud ſit de Titulari Eccleſiæ, vel etiam adſit Concurſus Populi: nam Rubrica Miſſalis *tit. 6. de tranſlat. Feſtor.* hanc excipit nominatim Solemnitatem, ut clarè patet legenti. Sed neque admittitur hac die Miſſa ſolemnis pro Defunctis in Die Obitus: tum quia Feſtivitas SS. Corporis Chriſti eſt una ex illis magnis celebritatibus, quas ad hunc effectum obſtare dicit, & ideo excipit Rituale Romanum *tit de Exequiis, rubic.* 5. tum etiam quia in nullo Feſto duplici primæ claſſis poteſt dicta Miſſa cantari, vigore Reſolutionis à Sacra Rituum Congregatione emanatæ *in Collenſi ſub die* 5. *Julii* 1698. *in reſponſione ad* 8. *Dubium*. In Oratoriis tamen privatis hodie revera non eſt prohibita celebratio: Decretum enim Feſtorum ſolemnium exceptivum non habet inſertam Solemnitatem hodiernam, ut clarè patet ex Auctorum caterva illud referentium à me citata in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 293. *pag.* 88. & ideo poteſt in illis hodie celebrari, niſi in Brevi aliquo Apoſtolico excipiatur expreſſè etiam hoc Feſtum, vel remittantnr Ordinario Loci Feſta excipienda, & ipſe Ordinarius excipiat: vel niſi habeatur alicubi Conſtitutio Synodalis, in qua adſit hujuſmodi exceptio, ut habetur Neapoli, juxta admonitionem quovis anno in Directorio illius Civitatis & Diœceſis impreſſam. Licèt autem Votiva de SS. Sacramento, quæ dicitur infra Annum, & non infra hanc Octavam, ſit omninò eadem cum Miſſa hujus Feſti, non tamen in ea Legitur *Sequentia*, ex qua duntaxat diſtinguitur Feſtiva Miſſa à Votiva. Non eſt igitur dicenda, quia eſt propria hujuſce Solemnitatis, & continet verba ad Inſtitutionem ſpectantia, quæ non conveniunt Votivæ: nam præter alia claram proprietatem præſeferentia, dicitur ibi: *Dies enim ſolemnis agitur, in qua Menſa prima recolitur hujus Inſtitutio.*

Ut au-

Ut autem finem imponamus huic Diei Feſto SS. Corporis Chriſti, claudendum eſt cum ſecundis ejus Veſperis, quæ ſemper & ubique debent eſſe integre de eo, quocunque Feſto duplici ſequenti cum illis concurrente, ut alio loco inferiùs dicemus. In hiſce tamen ſecundis Veſperis fit commemoratio, tum de ſequenti duplici, tum, etiam de Die Octava alicubi hodie occurrente, ſed non de Feſto ſimplici, ſi forſan incidat in diem craſtinam: imò neque de Die infra Octavam SS. Trinitatis in Eccleſia propria, quia in Feria ſexta ſequenti Officium non fit de eadem SS. Trinitate, ex ratione ſuperiùs allata in primis Veſperis in quibus Lectorem remiſimus ad inferiùs dicenda: & multo minùs facienda eſt commemoratio de alia quavis Die infra Octavam, ſi occurrat. Ubi tamen ad Veſperas hodie inchoatur expoſitio SS. Sacramenti cæteroquin continuenda a Veſperis per totam Octavam, ad ſtropham illam Hymni *Tantum ergo Sacramentum*, nec non ad aliam in Laudibus *o ſalutaris Hoſtia*, fit genuflexio in Choro à toto Clero ibi exiſtente. Quoad hanc verò octavariam Expoſitionem, attendendum eſt Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capit.* 33. §. 33. *pagin. mihi* 414. ubi revera habentur hæc præciſa verba, videlicet: *Et quia ſolitum eſt per totam hanc Octavam ponere ſuper Altare Tabernaculum cum SS. Sacramento diſcooperto, dum Veſperæ & Divina Officia recitantur, ad quæ magna Populi frequentia ſolet accedere, conveniens eſſet, ut ob reverantiam tanti Sacramenti, tam Epiſcopus, quàm Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſſiſtentes, durante Officio, ſtent ſemper capite detecto, & nunquàm ſedeant. Quod ſi ob longitudinem Officii præſtare non potuerunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ, detecto capite, exiſtente SS. Sacramento ſuper Altari, Divinis Officiis aſſiſtere.* Circa verò Completorium duo occurrunt adnotanda, unum faciendum, alterum omittendum; nam ad Hymnum dicenda eſt clauſula *Jeſu tibi ſit gloria, &c.* & ad Reſponſo-

ponſorium breve, non adduntur duo *Alleluja*.

§. IV.

De Diebus infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti occurrentibus.

Dies infra Octavam SS. Corporis Chriſti ſunt omnes & ſinguli Privilegiati, quorum tamen Privilegia paulatim ex inferiùs dicendis clarè patebunt: celebrantur nihilominus ſub ritu ſemiduplici in colore albo. In Officiò ad Matutinum, omnia dicuntur, ut in Feſto, exceptis tantùm trium Nocturnorum Lectionibus, quæ in primo Nocturno ſunt ſemper Scripturales de Libro primo Regum: in aliis verò duobus Nocturnis ſunt deſumptæ ex variis SS. Patribus ad rem tractantibus, nempè, de Corpore & Sanguine Chriſti. Ut autem omnes & ſingulæ tertii Nocturni omninò dicantur, decrevit Sacra Rituum Congregatio, ut quotieſcunque Officium fiat de Die infra hanc Octavam, taceatur nona Lectio de Feſto ſimplici, ſi occurrat, ut habetur apud Gavantum *tom.* 2. *ſect*: 6. *cap.* 20. *ſub numer.* 4. licèt non ſit ibi ipſe Auctor, qui loquatur, ut putat Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *titul.* 31. *verſ. Octava Corporis Chriſti*, *pag.* 199. ſed eſt alterius optima additio ad Gavantum, ut conſtat ex anno Decreti emanati ſub die 8. Junii 1669. quo anno Gavantus non erat inter vivos. Attamen ſi eo die, quo fit de Octava, occurrat Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, legenda eſt in tertio Nocturno nona Le- 498

na Le-

na Lectio de eadem Vigilia, quia eſt Lectio ſuper Evangelium, & ideo non omittenda: ſed in tali caſu Vigiliæ ex octava & nona Lectione facerem unam, deinde dicerem nonam Lectionem de Vigilia, & ſic me conformarem prædicto Decreto: attamen hæc mea opinio conſilium eſt, non præceptum. Ad Laudes verò ſemper recitandas ut in Feſto ſit commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis, & eo magis de Vigilia, quæ etiam habuit nonam Lectionem ad Matutinum; imò ſit commemoratio de quacunque Die infra Octavam, ſive illa ſit Eccleſiæ Univerſalis, ut S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſi talis ſit occurrentia, ſive etiam ſpecialiter incidat in aliqua Diœceſi vel Religione. Ad Primam in Reſponſorio brevi non adduntur duo *Alleluja*, dicitur verò Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*: & in fine Hymnorum ad omnes Horas legitur clauſula *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.*

Miſſa tamen de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti eſt omninò eadem, quæ habetur in Feſto, & dicitur cum *Gloria*, ſed ſecunda Oratio erit *Concede*, tertia verò *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum alternativa, meo judicio, ita una die tertia Oratio ſit *Eccleſiæ*, altera autem die *pro Papa*, ut exemplum habemus in Miſſali in Dominicis poſt Epiphaniam, ubi in una Dominica ponitur primo loco *pro Papa*, in altera verò *Eccleſiæ*, licèt apponatur dictio, *vel*. At ſi Sedes Apoſtolica vacaverit, dicenda ſemper erit tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel meliùs, tertia Oratio *pro eligendo*. Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex, vel Dies infra aliam Octavam, ſecunda Oratio erit de ſimplici, vel de dicta Die infra aliam Octavam, & tertia *Concede*. Attamen ſi incidat Dies Anniverſaria Electionis ſeu Conſecrationis Epiſcopi, & nulla facienda ſit commemoratio, ſecunda Oratio erit *Concede*, tertia *Eccleſiæ*, & quarta *pro Epiſcopo*, quia, licét nulla ſit omittenda ex aſſignatis Orationibus in Miſſali, ut ejus loco dicatur Oratio 499

impe-

imperata, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in una Canonicorum Regularium Lateranenſium ſub die* 2. *Decembris* 1684. *in reſponſione ad nonum Dubium*: Quia tamen Oratio *pro Papa* eſt eadem cum Oratione pro Epiſcopo, dicerem tertiam Orationem *Eccleſiæ*, & quartam *pro Epiſcopo*, & facerem juxta Decretum. Laudabilis autem viguit antiquus uſus, ut Dies Anniverſaria ageretur, quâ quis alicui Sedi præfectus eſset Epiſcopus: id etenim tam in Occidentali Eccleſia, quàm etiam in Orientali eſſe obſervatum, innumera ferè docent exempla, ut verbis utar Cardinalis Baronii *in notat. ad Martyrolog. Roman. ſub die* 18. *Januarii*, *lit. a* Si tamen eo die, quo fit de Octava, occurrat Vigilia, in Miſſa fiet commemoratio de ea, cum ejuſdem Vigliæ Evangelio in fine: ſed in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſsæ; una de Octava poſt Tertiam in colore albo; alia verò de Viglia poſt Nonam in colore violaceo, ut præſcribit Rubrica Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub. num.* 2. & in neutra earum fit commemoratio alterius. In omnibus autem Miſſis de Octava dicitur *Sequentia*, cum *Credo*, & cum Præfatione Nativitatis, ſine ejus *Communicantes*.

Cæterùm nonnulli Auctores de Sacris Ritibus 500
tractantes, vel docent vel ſupponunt, poſſe infra Octavam SS. Corporis Chriſti dici Miſſas privatas Votivas, & pro Defunctis, inter quos Paſqualigus *de Sacrific. nova Leg. tom.* 1. *quæſt.* 239. & licèt Paulus Maria Quarti *in Commentar. ad Rubric. Miſſal. part.* 1. *titul.* 4. *dub.* 4. *circa fin. pagin. mihi* 50. probabile credat prohiberi dictas Miſſas Votivas privatas & de *Requiem* infra hanc Octavam, quia tamen tunc temporis omnes poterant opinari, eo quòd nullum extabat Decretum prohibitivum, aliquid idcircò certi eſt modò ſtabiliendum, ideoque firmiter ſtandum ſequenti Decreto, videlicet: *Eminentiſſimi Sacrorum Rituum Congregationi Præpoſiti, ob ſummam ac debitam vene*

ratio-

Digitized by Google

rationem, qua Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum proſequuntur, & ad augendum ejus cultum in toto terrarum Orbe, cenſuerunt prohibendum eſſe, ne in poſterum infra Octavam SS. Corporis Chriſti Miſſæ Votivæ quacunque, vel pro Defunctis celebrentur; ſi Sanctiſſimo placuerit. Hac die 21. Junii 1670. — Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua ſenſum ejuſdem Sacræ Congregationis approbavit & prædictum Decretum edi mandavit, eadem die ejuſdem Menſis & Anni 1670. — M. Epiſcop. Portuen. Card. Ginetus. — Loco ✠ Sigilli. — Bernardinus Caſalius S. R. C. Secretar.

Dictum tamen Decretum intelligendum eſt de 501
privata Votivarum celebratione: quapropter cantari poſſunt infra hanc Octavam quæcunque Miſſæ Votivæ pro re gravi: nec non & una ſolemnis pro Defunctis in Die Obitus, præſente Corpore in Eccleſia, niſi magna Celebritas obſtet, de qua alio loco inferiùs dicemus. Miſſa tamen in Anniverſario Defunctorum non eſt cantanda, prout hoc convenire omnibus & ſolis Octavis Privilegiatis, reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Collen. ſub die 5. Julii 1698. in reſponſione ad nonum Dubium.* Miſſas autem Mortuorum infra hanc Octavam non eſſe celebrandas, niſi præſente Corpore, reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Nuſcana anno 1671. ſub die 12. Septembris*, apud eundem P. Merati *tom. 1. par. 2. in Indice, num.* 448. Ubi verò cantantur Votivæ, vel in Die Obitus, non eſt omittenda Conventualis, ſeu Miſſa de Die, ſed dicuntur duæ Miſſæ, in Eccleſiis ſcilicèt, in quibus talis adeſt obligatio cantandi. Miſſa tamen Conventualis poteſt infra hanc Octavam, juxta conſuetudinem Eccleſiæ, cantari ſine Diacono & Subdiacono, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Alexandrina ſub die 15. Martii* 1608. apud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Conſuetudo circa Miſſas celebrandas, Collect.* 224. *ſub. num.* 5. & refert etiam Reverendiſſimus P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice,*

dice, *ſub num.* 80. Miſſæ denique de Octava ad Altare quomodolibet Privilegiatum celebratæ, ſuffragantur perinde, ac ſi cebratæ fuiſſent pro Defunctis, ad formam Privilegiorum: ita Innocentius Undecimus *in Conſtitut. quæ incipit* Aliàs poſtquam, *edita anno* 1688. *ſub die* 4. *Maii*, apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 6. *ſub numer.* 6. *pagin.* 330. & refert etiam Mathæuccius *in Officiali Cur. Eccleſiaſt. capit.* 4. *ſub numer.* 3.

In Veſperis verò de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, omnia dicuntur, ut in primis Veſperis Feſti, dummodo ſubſequatur Officium de Die infra eandem Octavam: ſed ad Magnificat Antiphona eſt propria, nempè, *O ſacrum Convivium*, ut in ſecundis Veſperis ejuſdem Feſti; cum tantum, & ſi cras occurrat Feſtum ſimplex, vel ſimus infra aliam Octavam, de uno, vel altero, vel etiam de utroque juxta caſus contingentiam facienda erit commemoratio. Hæ tamen dumtaxat valent, ſi Dies, infra Octavam hodie & cras non ſit impedita, nam ſi impediatur, alio ordine diſponendum eſt Officium unà cum Veſperis, ut ex inferiùs dicendis clarè patebit. Completorium autem dicitur de more, ſed Hymnus concluditur cum ſtropha propria hujus Octavæ, ſcilicet, *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* & ad Reſponſorium breve non adduntur duo *Alleluja*, licèt excepta etiam Prima, ut ſupra diximus, addantur in cæteris Horis ad earum Reſponſoria brevia. 502

Datur tamen alia Octava, quæ eſt dignior iſta SS. Corporis Chriſti, nempè Octava SS. Trinitatis: digniorem enim eſſe in propria Eccleſia, ait Gavantus ex quodam Decreto, *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 19. *ſub num.* 2. & clarè patet ex Octavario Romano. Cùm autem ultimum quatriduum prædictæ Octavæ SS. Trinitatis occurrat in Feſto, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti, videndum modò eſt, quomodo ibi ordinandum ſit Officium. Certè in Feſto 503

Feſto ipſo SS. Corporis Chriſti nulla facienda eſt de SS. Trinitate commemoratio, quia licèt ſit Octava dignior, non eſt tamen privilegiata: commemoratio autem de Octava communi non habet locum in Feſto duplici primæ claſſis. Quid igitur dicendum de Feria ſexta, & Sabbato, ſi nullum ſequatur impedimentum? Officium erit de Die infra Octavam SS. Trinitatis tanquàm de digniori, & quidem ſub ritu ſemiduplici, in colore albo. Itaque ad Matutinum, omnia dicuntur, ut in ejus Feſto, ſed Lectiones primi Nocturni ſumuntur, *de Libro primo Regum*, tanquàm de Scriptura occurrente: in ſecundo verò, & tertio Nocturno dicuntur, ut in Octavario Romano. Quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex, legitur de eo nona Lectio, ſi habeat, quæ ſolùm tacetur, quando Officium eſt de Octava SS. Corporis Chriſti, ut clariùs patebit ex inferiùs alio loco dicendis. Ad Laudes tamen fit commemoratio de SS. Corpore Chriſti, & de alia Octava, ſi occurrat, ut interdum de Octava S. Joannis Baptiſtæ, nec non & de Feſto ſimplici eadem die forſan occurrente.

Prędictum tamen modum regulandi Officium iñ 504
pręfatis Feria ſexta, & Sabbato infra Octavam SS. Trinitatis, dum ſupponunt dicendum de Die infra eandem Octavam, tenent Michael Bauldryus *in Man. Sacrar. Cęremoniar. par.* 4. *cap.* 15. *ſub nu.* 4. *pag.* 268. Carolus Guyetus *in Heortolog. lib.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 5. *verſ. Primò, circa fin. pag. mihi* 252. Joannes Baptiſta Halden *in Ephemerolog. par.* 3. *tit.* 4. *ſub numer.* 3. & ut verum fatear, egomet ſic adnotavi faciendum in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 868. *pagin.* 270. & quidem ſic omnes, innixi auctoritati Gavanti ſupra relati; & quod plus juris videbatur tribuere, ſic Octavarium Romanum diſponit, ſiquidem in dictis Feria ſexta & Sabbato extendit Officium de Diebus infra Octavam ejuſdem SS. Trinitatis, cum Lectionibus propriis ſecundi & tertii Nocturni: ibi enim dicitur: *Feria 6. Sexta die*: *Si Feſtum SS.*

Trinitatis titulus eſt Eccleſiæ, fit de Octava ejuſdem, cum commemoratione Octavæ Corporis Chriſti: & ideo nulla facta eſt alia conſideratio; de qua infra, quia nulla alia tunc temporis habebatur notitia.

Quia tamen ad me pervenit Decretum Sacræ 505
Rituum Congregationis ſuper hac re, ideò corruit tota prędicta opinio. Decretum verò, quod in forma authentica Domi teneo; & modò ſub oculos habeo, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii, eſt tenoris ſequentis, videlicèt: -- *Bracharen -- Ex parte Magiſtrorum Cęremoniarum Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Bratharenſis, Sacræ Rituum Congregationi demiſsè ſupplicatum fuit inter alia Dubia declarare tertium*, nempè: *An Diebus ſexta, & ſeptima Octavæ SS. Trinitatis, cùm de eis fiat Officium; quia dignior Corporis Chriſti, debeat etiam fieri nona Lectio de Simplici illis Diebus occurrenti, an omitti ratione Octavæ Corporis Chriſti?* Et Sacra Rituum eadem Congregatio cenſuit reſpondendum ad tertium: *Diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam Tituli SS. Trinitatis faciendum Officium de Dię ſecunda, & tertia infra Octavam Corporis Chriſti, cum commemoratione SS. Trinitatis: Et ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 8. Junii 1709.*

Dum autem in prędicto Decreto Officium in 506
ſępè dictis duabus Diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam SS. Trinitatis debeat eſſe de Die ſecunda, & tertia infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſequitur, quòd illis impeditis à Feſto duplici, Octava SS. Corporis Chriſti, quæ non impedita habet præcedentiam quoad totum Officium, impedita debet habere locum quoad partem, & ideò ad Laudes facienda eſt priùs commemoratio de ea, deindè de illa SS. Trinitatis. Nihil autem reſpondit Sacra Rituum Congregatio ad illam partem Dubij, in qua quæritur de nona Lectione ſimplicis, an dicenda ſit, vel omittenda, quia clarè patet ejus excluſio ex eo, quòd Officium illis duobus Diebus debet eſſe de Octava SS. Corporis

Chri-

Chriſti, in quo Officio non habet locum dicta nona Lectio ex Decretis alibi citatis.

Ad Primam in dicto Officio de Die infra Octavam SS. Trinitatis non dicitur Symbolum S. Athanaſii, ſcilicèt *Quicunque*, licèt aliter ſentiant Gobatus *Oper. moral. tom. 1. par. 1. tract. 5. ſub numer.* 623. *Append.* 1. *&* 2. *pag. mihi* 275. & modernus Halden Germanus *in Ephemerolog. par. 1. tit.* 30. §. *Supereſt*, *pag.* 181. ubi tenent, dictum Symbolum quotidie eſſe dicendum infra Octavam SS. Trinitatis in Eccleſia propria. Placet enim magis opinio Gavanti *tom. 2. ſect. 5. cap. 20. ſub num.* 4. ubi tantus Auctor, de Sacris Ritibus bene meritus, qui Urbanæ Breviarii correctioni Conſultor interfuit, & ideo in Arte peritus, ſic habet: *In Dominica, ſeu Feſto SS. Trinitatis dicitur, quia Symabolum de Trinitate doctrinam continet: non tamen quotidie dicendum, ubi celebratur Octava Sanctiſſimæ Trinitatis, quia Dominicæ aſſignatum videtur*: & cum eo Michael Bauldryus in Man. *loco citato*, ubi addit, & benè, etiam Diem Octavam. Sed tota difficultas tunc temporis poterat eſſe, quia Octava SS. Trinitatis locum habebat præcedentiæ, nunc tamen quia præcedit Octava SS. Corporis Chriſti, ut clarè patet ex Decreto ſuperiùs allato, ceſſet difficultas quoad Feriam ſextam & Sabbatum infra Octavam SS. Trinitatis & ſolùm remanere poſſet Dubium circa primum Triduum poſt Feſtum ejuſdem SS. Trinitatis: Sed quoad hoc, bis requiſita, ſic reſpondit Sacra Rituum Congregatio: Et primò quidem *in dicta Bracharen.* ad ſecundum Dubium, ſcilicèt: *An Diebus infra Octavam SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, & in Feſtis infra dictam Octavam occurrentibus, debeat ad Primam dici Symbolum S. Athanaſii?* Et Sacra Rituum eadem Congregatio cenſuit reſpondendum ad ſecundum: *Negativè: Et ita declaravit, & ſervari mandavit: Die* 8. *Junii* 1709. Alterum verò Decretum eſt tenoris ſequentis, videlicèt: — *Einſidlen.* — *Die* 5. *Maii* 1736. — *Ad in*

507

ſtantiam P. Abbatis Monaſterii Einſidlen. Ordinis S. Benedicti, inter alia Dubia in Sacra Rituum Congregatione propoſita, reſolutum fuit etiam infraſcriptum decimum tertium, nempè: *An ubi Feſtum SS. Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, ſive eſt in Patronum, ſit dicendum Symbolum S. Athanaſii per totam Octavam, ſive Officium ſit de Octava, ſive de alio Feſto occurrente?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad decimum tertium reſpondit: *Negativè, & Symbolum S. Athanaſii recitetur ſolùm in ſolemni Feſto SS. Trinitatis, & in Die Octava. Die 5. Maii* 1736. Utrumque Decretum, prout ſupra ſtat & jacet, eſt apud me in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii.

In prędictis tamen duobus diebus, Feria ſcilicèt ſexta, & Sabbato ſicuti Officium apud ſupra relatos Auctores nullo ſuppoſito impedimento, 508
erat de Die infra Octavam SS. Trinitatis, ſic etiam Miſſa, quæ idcirco debebat eſſe, ut in ejus Feſto, cum *Gloria*, & in ea dicebatur ſecunda Oratio de SS. Corpore Chriſti, & tertia *Concede*: niſi occurriſſet ſimul alia Octava, ut quandoque S. Joannis Baptiſtæ, vel Feſtum ſimplex, quia tunc tertia erat de alterutro, vel forſan tertia de alia Octava, & quarta de ſimplici: Prefatio verò de SS. Trinitate, nempè, *Quia cum Unigenito Filio tuo*. Enim vero magna difficultas ex illo ſuppoſito orta eſt inter eos, quomodo ſcilicèt regulanda ſit Miſſa, ſi in dictam Feriam ſextam vel Sabbatum incidat Vigilia, & Officium de Octava SS. Trinitatis non ſit impeditum? nam ſi Feſtum SS. Trinitatis venerit die decimaſeptima, vel decima octava Junii, ut in Tabula trigeſima ſecunda vel trigeſima tertia ordinis perpetui, tunc in Feria ſexta vel Sabbato occurret Vigilia S. Joannis Baptiſtæ. Bauldryus igitur *in Man. Sacrar. Ceremoniar. par. 4. cap. 15. ſub num. 5. pag.* 268. cenſet, quòd in hujuſmodi caſibus in Eccleſia SS. Trinitati dicata, Miſſa debeat eſſe de Octava SS. Corporis Chri-

Chriſti, non verò de Octava SS. Trinitatis, nec de Vigilia S. Joannis Baptiſtæ: Fiet tamen commemoratio de Octava SS. Trinitatis priùs, & poſtea de Vigilia, & in fine dicetur Evangelium de eadem Vigilia: Videntur tamen dicendæ duæ Miſſæ in Eccleſiis Collegiatis; una ſcilicèt de Octava SS. Corporis Chriſti poſt Tertiam, cum commemoratione SS. Trinitatis: altera verò de Vigilia poſt Nonam, ſine commemoratione de Octavis, ſed tantùm cum ſecunda Oratione de Beata Maria, & tertia *Eccleſiæ* vel *pro Papa*; Hoc tamen à Superioribus definiendum relinquitur, quia non caret difficultate: *Hactenus Bauldryus*.

Halden. tamen noviſſimus Auctor, aliam à Bauldryo ſententiam tenet in dicta occurrentia utriuſque Octavæ, & Vigiliæ, nam *in Ephemerolog. par.* 2. *à pag.* 180. *uſque ad pag.* 183. ait, quòd cùm Rubrica nova Miſſalis *de Feria, & Vigil. tit.* 3. *ſub num.* 2. ſupponat Officium de Octava SS. Corporis Chriſti, quotieſcunque tale Officium non occurrit, nec Rubrica habet locum: unde exiſtimat, quòd ſicuti Octava SS. Trinitatis, licèt ſit dignior, & Officium fiat de ea, nihilominùs, quia non eſt privilegiata, cedit Vigiliæ quantum attinet ad Miſſam: ita etiam eidem Vigiliæ in dictis duobus caſibus cedere debet Octava SS. Corporis Chriſti, juxta illud, *vincit te, qui vincit vincentem te*: Attamen, ne Miſſæ privatæ ob ſolemnitatem Octavæ SS. Corporis Chriſti, etiam in particulari Eccleſia SS. Trinitati dicata dicantur in colore violaceo, convenientius credit, ut illæ in tali ſpeciali loco dicantur potiùs de Octava SS. Trinitatis tanquàm de digniori, cum commemoratione de Octava SS. Corporis Chriſti, ac etiam de Vigilia, cum ejuſdem Vigiliæ Evangelio in fine Miſſæ, uſque dum aliud Sacra Rituum Congregatio decernat aut declaret: *Hucuſque Halden.* 509

Dum autem neuter ex illis cæteroquin dignis Auctoribus conſtanter affirment, ſed adhuc dubitent de eorum opinione, & ideò prudenter ca- 510

ſum hujuſmodi ad ſuperiores remittant decidendum, ab eiſque reſolutionem expectent in re ſibi tam ardua; modò Sacra Rituum Congregatio totam ſuſtulit dubitationem, docetque egregie, quid in hujuſmodi occurrentia tutè agendum ſit. Cùm enim in ſupra relato Decreto *in Bracharen. anno* 1709. *ſub die* 8. *Junii ad tertium Dubium* reſponſum dederit, in Feria ſexta, & Sabbato Officium debere eſſe de Octava SS. Corporis Chriſti, & non de Octava SS. Trinitatis, ſubintrat ſine dubietate Rubrica Miſſalis *de Fer. & Vig. tit.* 3. *ſub num.* 2. ita ut duæ cantandæ ſint Miſſæ, una ſcilicèt de Octava SS. Corporis Chriſti poſt Tertiam in colore albo, cum commemoratione de Octava SS. Trinitatis: alia verò de Vigilia poſt Nonam in colore violaceo, cum Orationibus in ea aſſignatis. Miſſæ tamen privatæ erunt de dicta Octava SS. Corporis Chriſti, cum commemoratione SS. Trinitatis, & Vigiliæ, & cum ejùſdem Vigiliæ Evangelio in fine.

Præmiſſis, quæ ad Miſſam ſpectant, devenien- 511
dum eſt ad Veſperas in Eccleſia SS. Trinitati dicata. Veſperæ igitur Feriæ ſextæ non impeditæ ſi in Sabbato ſequenti iterum fiat de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti, dicuntur integræ, ut in ſecundis Veſperis Feſti, cum commemoratione de Octava SS. Trinitatis, & de alia Octava, ſi ſimul occurrat, ut quandoque de Octava S. Joannis Baptiſtæ, vel de Feſto ſimplici, cras forſan in Sabbato occurrente. De Veſperis autem Sabbati dicetur infra, cùm de Dominica infra Octavam ſermo erit.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De Feſtis, ſeu Officiis Sanctorum, quæ celebrari poſſunt infra Octavam SS. Corporis Chriſti.

INfra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti, primo loco non includuntur Feſta ſemiduplicia utcunque occurrentia, ex antiquo Decreto, Joannis Vigeſimi Secundi, quod habetur in Breviario manuſcripto. Bibliothecæ S. Iſidori de Urbe, teſte oculari Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 2. unde ſi occurrant, transferuntur poſt Octavam, juxta Rubricam tum generalem Breviarii *tit.* 7. *de Octavis*, *ſub num.* 3. tum etiam ſpecialem in ipſo Feſto SS. Corporis Chriſti, ibi: *ſemiduplicia trasferuntur poſt Octavam*. Neque in Feria ſecunda, licèt non impedita, fieri poteſt de Feſto ſemiduplici, quod occurrebat in Dominica infra Octavam, quia hoc privilegio gaudet & potitur Feſtum ſemiduplex, quando occurrit in Dominica infra Octavam communem, ut clarè patet ex Rubrica generali *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 5. Incluſio igitur Feſti ſemiduplicis in dicta Feria ſecunda, eſt Privilegium eidem Feſto ſemiduplici conceſſum: ipſius verò excluſio in noſtro caſu, eſt Privilegium Octavæ. Hìc autem novum inſurgit Dubium pro Eccleſiis SS. Trinitati dicatis: an ſcilicèt in illis fieri poſſit de Feſto ſemiduplici occurrente. Attamen hoc verum eſt quoad primum triduum poſt Feſtum Titulare, non autem poſt Feſtum SS. Corporis Chriſti, nam ſi in 512

Dd 4 alibi

alibi memoratis Feria ſexta & Sabbato occurrat Feſtum ſemiduplex, etiam in dictis Eccleſiis SS. Trinitati dicatis transferendum eſt poſt Octavam SS. Corporis Chriſti, quia ex dictis, Officium eſt de eadem Octava SS. Corporis Chriſti, non de Octava SS. Trinitatis. Quod verum eſt apud Guyetum, licèt Officium ſit de Octava SS. Trinitatis in Feria ſexta, & Sabbato, juxta ſuam ſententiam, nam *in Heortolog. lib. 4. ſect. 3. cap. 18. quæſt. 32. pag. mihi* 295. ſic habet, & ita optimè ratiocinatur: *Quòd excludatur prædictum Semiduplex à Feria ſexta & Sabbato, privilegium eſt, non Octavæ Trinitatis, ſed Corporis Chriſti: At nullum tale privilegium conceſſum eſt Octavæ Trinitatis, quo per ſeſe excludat Semiduplex à Feriis ſecunda, tertia, & quarta.*

Excluſis igitur ab Octava SS. Corporis Chriſtis Feſtis ſemiduplicibus, omnia duplicia occurrentia, etiam minora, celebrantur, ex Rubrica generali Breviarii *de Octavis*, *titul.* 7. *ſub numer.* 3. ubi tamen addit, quòd non debent eſſe tranſlata: & confirmat Rubrica tertia *poſt tabellam Occurrentiæ*: ſed & idem dicit Rubrica Miſſalis *poſt Miſſam Feſti*. Quodcunque tamen duplex celebretur, etiam primæ claſſis, facienda eſt ſemper commemoratio de Octava in utriſque Veſperis, & Laudibus, ac in Miſſa, quia cùm ſit Octava Privilegiata, nunquam ſuam amittit commemorationem. Ad Matutinum verò dicitur nona Lectio de Feſto ſimplici occurrente, niſi Feſtum ſit duplex primæ claſſis, nam tunc tantùm omittitur dicta nona Lectio, quando Officium eſt de Octava: ideòque quando Officium eſt de aliquo Feſto duplici, eadem Lectio nona locum habet in Matutino, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 8. *Junii* 1669. & poſtmodum *ſub die* 21. *Januarii* 1679. apud Biſſum *in Hierurg. tom.* 1. *verb. Lectiones in Officio*, *ſub nume.* 45. §. *IV. pagin.* 580. & refert etiam Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Annotat. ad Menſem Junium*, *ſub primo Signo* ✠ *num.* 3. nec non & 513

recen-

recentior Halden *in Ephemerolog. par. 1. tit. 31. verſ. Octava Corporis Chriſti*, *pag.* 199. & noviſſimè declaravit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Lycien. anno* 1705. *ſub die* 4. *Aprilis*, *& Decretum eſt apud me*. Ad Primam tamen dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, & ad omnes Horas concluduntur Hymni cum ſtropha Octavæ, nempè, *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* omiſſis duobus *Alleluja* ad Reſponſoria brevia earundem Horarum, quia ſpectant tantùm ad Officium de Octava. In Miſſa de Feſto duplici dicitur *Gloria* cum *Credo*, ſed Præfatio dicitur de Feſto, ſi habeat, alioquin de Octava, ſcilicet *Quia per incarnati Verbi myſterium*, cum *Communicantes*, ut in Canone Miſſæ, admiſſa ſemper commemoratione Octavæ: Adeò autem rigoroſè attendenda eſt Rubrica de Feſto duplici translato infra hanc Octavam non reponendo, ut ſi una die infra Octavam occurrant duo Feſta duplicia, non eſt de translato agendum die immediatè ſequenti non impedita, nulla habita ratione vicinitatis, ad ſuam diem, quia hoc non admittit iſta Octava Privilegiata: Unde Sacra Rituum Congregatio humiliter requiſita pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium declarari inter alia ſequens Dubium, videlicet: *An occurrentibus eodem die infra Octavam Corporis Chriſti duobus duplicibus, poſſit de altero fieri die immediatè ſequenti infra eandem Octavam, non impedita alio duplici?* Eadem Sacra Rituum Congregatio ſub die 7. Decembris 1680. ad ſecundum Dubium reſpondit: *Alterum duplex transferatur poſt Octavam SS. Corporis Chriſti*. Quapropter, ſi ipſum Feſtum SS. Corporis Chriſti venerit die trigeſima Maii, ut in Tabula decima ordinis perpetui, Venetiis in Eccleſiis Urbis fiet quidem in Feria ſexta de Feſto duplici occurrente SS. Martyrum Cantiani & ſociorum, ſed die prima Junii in Sabbato licèt apud nos non impedito non agetur de Feſto itidem duplici Beati Jacobi Salomonii, quod heri occurrebat, ſed transfere-

feretur poſt Octavam. Hoc tamen intelligitur, niſi Feſta ſint ſolemniora ut infra videbimus.

Quòd ſi infra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti occurrat Feſtum duplex Commemorationis S. Pauli, non ſolùm in Eccleſia ipſi dicata, ſed etiam in Eccleſia Univerſali, ad Laudes fit priùs commemoratio S. Petri, deinde de Octava SS. Corporis Chriſti, quia *glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati*. Quòd autem debeat in prædicto caſu præcedere commemoratio S. Petri, infertur legitimè ex Rubrica poſita in primis Veſperis de Cathedra Romana ſub die decima octava Januarii in Proprio Sanctorum in Breviario, ubi ſic habetur: *Deinde fit commemoratio S. Pauli ante alias quaſcunque commemorationes, etiam Feſti duplicis, aut Dominicæ; quod ſervetur in commemoratione S. Petri, quæ fit in Feſtis S. Pauli*: ſed inter alias quaſcunque commemorationes includitur etiam commemoratio de Octava SS. Corporis Chriſti: ergo commemoratio de hac Octava fieri debet poſt commemorationem S. Petri: ubi enim Lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere. Quia tamen hoc Feſtum Commemorationis S. Pauli non poteſt occurrere infra hanc Octavam, niſi quando occurrit Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui, ideò hoc Anno 1734. quo hic caſus contigit, & hæc ſcribo, aliqui Kalendariſtæ uſi ſunt quarto meo Romano Divinorum Officiorum Decennio, ab Anno ſcilicèt Domini 1733. uſque ad Annum 1742. incluſivè, in quo revera Decennio ſub die 30. Junii, Feria quarta ejuſdem Anni 1734. ſic adnotavi faciendum: Aliqui verò ſuper hoc adhuc dubitantes, ob excellentiam Octavæ Privilegiatæ, dignati ſunt Epiſtolas ad me tranſmittere, ut certiores fierent de hac re: quibus benignè acceptis Litteris, reſpondendo dixi, adnotationem in dicto meo Decennio appoſitam, eſſe ſequendam tamquàm in Rubrica fundatam. 514

Cùm autem infra Octavam SS. Corporis Chriſti fieri 515

fieri poſſit ex ſuperiùs dictis de quocunque Feſto duplici occurrente, hinc eſt, quòd fieri etiam poteſt de quacunque Die Octava, ſi alicubi incidat, quia eſt Officium duplex occurrens, & conſequenter admittendum infra hanc Octavam: Unde Minoribus S. Franciſci humillimè ſupplicantibus Sacræ Rituum Congregationi, declarari: *Quid agendum, quando Dies Octava S. Antonii de Padua occurrit infra Octavam SS. Corporis Chriſti?* Eadem Sacra Rituum Congregatio ſub die 21. Januarii 1679. reſpondit, *agendum eſſe de dicta Die Octava, cum commemoratione de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti*: ut refert Marcus Antonius Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Annotat. ad Menſem Junium, ſub lit. c. numer.* 7. *pag.* 201. & ita etiam habetur in Breviario Minorum S. Franciſci Capuccinorum, *in principio, inter Rubricas pro Menſe Junii, ſub num.* 3. Licèt autem infra hanc Octavam celebretur quodcunque duplex occurrens, non tamen celebrari poteſt Officium illud, quod ſub ritu forſan duplici aliquibus Diœceſibus, vel Religionibus, aut Dominiis ſemel in Hebdomada conceſſum eſt: tum quia neque poteſt de eo fieri infra Octavas communes, & multò minùs infra hanc privilegiatam: tum quia dato hujuſmodi Officio, (quod certè infra hanc Octavam non eſt celebrandum) non tamen poſſet revera dici duplex rigorosè occurrens tali die, cùm ſæpè concedatur ſemel in Hebdomada pro prima Feria non impedita, & ſic celebraretur modò in una, modò in altera Feria: & ſi diceretur occurrens, vagè, non fixè occurreret, quod eſſet contra ſenſum Rubricæ, quæ dum dicit duplex occurrens, intelligit de occurrentia eidem diei ſemper fixa & ſtatuta.

Quæri etiam hoc loco poteſt, an agendum ſit infra hanc Octavam de illis Officiis duplicibus, quæ Diœceſibus, Religionibus, & Dominiis ad eorum preces gratioſè conceduntur ſub illis verbis in Decreto poſitis *recitare poſſint & valeant*. 516

Dicta

Dicta enim verba non videntur præceptiva, & conſequenter conſtituunt Officia Regulis Officiorum ad libitum ſubjecta: Ita enim opinantur nonnulli, non putantes dicta verba eſſe, prout ſunt, expreſſiva perpetuæ facultatis recitandi, ut qui humiliter petunt, accipiant gratioſum reſcriptum, quod *poſſint & valeant*. Præterquàm quòd petentes intendunt ſemper & ad ſemper celebrare Officia petita, nec illa deſiderant obnoxia alicui omiſſioni, ſi occurrant infra Octavas, vel in alio Feſto duplici digniori, &c. Qui verò benignè concedit, dum concedit juxta petita, concedit juxta voluntatem petentis. Hoc tandem, quod ſemper tenui, noviſſimè definitum & declaratum: Ex parte enim Sacri Ordinis Hieroſolymitani pro declaratione ſeptem Dubiorum Sacræ Rituum Congregationi ſupplicatum fuit, inter quæ ſextum eſt tenoris ſequentis, ſcilicet: *Supplicat declarari, an ſub nomine Sanctorum ad libitum comprehendantur Officia duplicia & ſemiduplicia Sanctorum recitari conceſſa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, & alicui particulari Ordini abſque expreſſa notula* ad libitum, *ſed tantùm, cum ſequenti clauſula, nimirum*, recitari poſſit & valeat, *vel* recitari poſſe? Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Zondodarii, ſub die 16. Septembris 1730. ad ſextum Dubium, reſcribendum cenſuit; *Negativè: & ita decrevit, & ſervari mandavit*. Et noviſſimè eadem Sacra Congregatio *in Einſilden.* 5. *Maii* 1736. reſpondit, quòd Officia alicui ſtatui conceſſa, transferantur: ergo non ſunt ad libitum.

Hic denique adnotandum volumus, quòd ſi eo 517
die, quo facienda eſt in aliqua Eccleſia expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione continua quadraginta Horarum, agatur ibi de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis, non erit cantanda Miſſa de eodem SS. Sacramento, ſed de illo Feſto ſolemni, ut præſcribit Clemens Undecimus *in Inſtructione edita anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, §. 10.

& hæc

& hæc Inſtructio habetur in Bullario Romano noviſſimæ Editionis Luxemburgenſis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. & quidem cum ſecunda Oratione de Octava SS. Corporis Chriſti, non tamen, ut alias, ſub unica concluſione, quia in hoc caſu non eſt Oratio Votiva, ſed commemoratio occurrens; Si verò Feſtum ſit duplex minus, vel etiam majus, cantatur Miſſa de SS. Sacramento, non Votiva, ſed de Octava, cum *Sequentia*, ſine alia commemoratione. Ad Altare tamen SS. Sacramenti expoſiti retinenda eſt Crux cum imagine Crucifixi, juxta ſequens Decretum, videlicet: *Magiſtris Cæremoniariis Metropolitanæ Eccleſiæ Senenſis, Sacra Rituum Congregationi demiſſè ſupplicantibus declarare: An ſuper Altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debeat?* Eadem Sacra Rituum Congregatio reſpondit in una Senarum, *nunquam omittendam Crucis cum imagine Crucifixi appoſita collocationem: & ita declaravit, & ſervari mandavit. Die* 14. *Maii* 1707. quod quidem Decretum, prout ſupra ſtat & jacet, reperitur apud Halden *in Ephemerolog. par.* 1. *tit.* 31. *verſ. Si hodie occurrat, pagin.* 194. & refert etiam P. Merati in doctiſſimis Additionibus ad Gavantum, *to.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub numer.* 604. *pag.* 1417. In repoſitione verò ejuſdem SS. Sacramenti, ad Verſiculum *Panem de Cœlo*, additur *Alleluja* in tota hac Octava, ex eodem Clemente Undecimo, *ibidem*, §. 21.

§. VI.

§. VI.

An aliquod Feſtum duplex translatum celebrari poſſit infra Octavam Sacratiſſimi Corporis Chriſti.

ATtentis quatuor Rubricis , videtur dicen- 518
dum , nullum Feſtum duplex translatum poſſe celebrari infra Octavam SS. Corporis Chriſti. Prima enim eſt Generalis Breviarii , *tit. 7. de Octavis , ſub numer.* 3. ubi ſic habetur expreſsè : *Infra Octavam Corporis Chriſti fit tantùm de Duplicibus , non tamen translatis , cum commemoratione Octavæ*. Secunda verò Rubrica legitur tertio loco poſt Tabellam de Occurrentia in fine Rubricarum Generalium , ibi : *Infra Octavam Corporis Chriſti neque fit de Duplici translato , & de ea , quocunque adveniente Duplici , fit commemoratio* . Tertia autem appoſita eſt in ipſa Feria quinta Feſti in Proprio de Tempore , & ſic præſcribit : *Si ea die occurrat Feſtum duplex , transfertur poſt Octavam* . Quarta denique Rubrica reperitur in Miſſali , ſtatim poſt Miſſam Feſti , & eſt tenoris ſequentis : *Infra Octavam non fit de aliquo Sancto , niſi fuerit Duplex occurrens , non autem translatum* . Dum igitur tot Leges Rubricarum generaliter & uniformiter loquuntur de Duplici translato ſine ulla exceptione non celebrando , omnia videntur Duplicia contineri in prohibitione : dum enim totum dicitur , nihil excluditur : nec eſt noſtrum diſtinguere, ubi Lex non diſtinguit.

Nihilominùs, quia una Rubrica explicat alias, 51
firmiter tenendum, dari exceptionem in Duplici

pri-

primæ claſſis tranſlato: Siquidem Rubrica Generalis Breviarii *tit.* 10. *de tranſlat. Feſtor. ſub num.* 1. hanc nobis tranſlationem oſtendit, quam cæteroquin tacent aliæ quatuor Rubricæ Generales; ſic itaque ait: *Si autem Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſta venerit in Die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem*: Sed Feſtum S. Joannis Baptiſtæ eſt duplex primæ claſſis: ergo Feſta duplicia primæ claſſis tranſlata celebrantur infra hanc Octavam. Nec eſt ſpeciale privilegium ſoli Nativitati S. Joannis Baptiſtæ conceſſum, ut non benè putarunt Aliqui, ſed eſt exemplum, quod ſolum habetur in Eccleſia Univerſali, ut ex eo, quid in ſimilibus ſit faciendum diſcamus. Quapropter Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub num.* 2. rectè ex unico Feſto dicti S. Joannis Baptiſtæ, infert ad omnia Duplicia primæ claſſis tranſlata: ait enim: *Octava Corporis Chriſti admittit tantùm Feſta duplicia, non tamen tranſlata, niſi tranſlata ſint altioris ritus, ut de Feſto S. Joannis Baptiſta dicemus*. Et re benè perpenſa, ſubſcribit Claudius La Croix *in Theolog. moral. tom.* 4. *lib.* 4. *ſub numer.* 1274. nec non & Halden Germanus, Scriptor Sacrorum Rituum noviſſimus *in Ephemerolog. par.* 2. *tit.* 5. *die* 13. *Junii*; *pag.* 164. ubi ita habet: *Si S. Antonius eſt Patronus, ſeu Titularis Eccleſia in caſu, quo cadit in Feſtum Corporis Chriſti, poteſt transferri etiam in Diem infra Octavam ejuſdem Corporis Chriſti, nam Rubrica Generalis X. num.* 1. *qua explicitè diſponit de Feſto Nativitatis Pracurſoris Domini, implicitè diſponere videtur de quocunque Feſto prima claſſis*: & paulò antè clariùs aſſerit ſub die 11. ejuſdem Junii: *nam de Duplicibus prima claſſis, etiam tranſlatis, ſit infra Octavam Corporis Chriſti*.

At quia exceptio de Duplicibus primæ claſſis 520
tranſlatis, & infra hanc Octavam celebrandis, firmat regulam in non exceptis, ideò ſi in Feſto SS. Corporis Chriſti occurrat Feſtum duplex ſecundæ claſſis, transferendum eſt poſt Octavam, & con-

conſequenter infra eam non celebrandum. Hoc profectò clarè patet ex ſequenti Declaratione, nimirùm: *Commiſſarius Generalis Ordinis Minoris de Obſervantia S. Franciſci humillimè ſupplicavit Sacrorum Rituum Congregationi, quatenus inter alia dignetur declarare ſequens Dubium*, videlicet: *Feſtum S. Antonii de Padua, quod in Religione celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, ſi occurrat in Die Corporis Chriſti, an debeat transferri poſt Octavam, vel fieri in Sabbato infra eam?* Et Sacra eadem Rituum Congregatio ſub die 12. Julii 1664. ad ſecundum Dubium reſpondit, *transferri poſt Octavam*: ut refert Angelus à Lantuſca *in Theatro Regular. verb. Officium Sanctorum, ſub num. 6. pag. mihi* 388. Attamen Michael Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par. 4. cap. 16. artic. 1. ſub num. 3. pag.* 268. ac etiam Bernardus Biſſus *in Hierurg. tom. 1. verb. Feſtum Corporis Chriſti, ſub num. 66. §. 1.* tenent poſſe infra hanc Octavam fieri etiam de duplici ſecundæ claſſis translato. Et revera poſt illud Decretum ſupra relatum in reſponſione ad Dubium à prædicto Commiſſario Generali in Sacra Rituum Congregatione propoſitum, alterum emanavit *in Ulyſſiponen. ſub die* 30. *Maii* 1699. & eſt apud me, in quo eadem Sacra Congregatio concedit, ut infra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti celebrari poſſit Officium de quocunque Feſto duplici tam primæ, quàm ſecundæ claſſis translato, excepta tamen Die Octava, in qua prohibet fieri de duplici ſecundæ claſſis occurrente. Ex hoc Decreto confirmatur illatio à ſupra citatis Auctoribus facta transferendi infra hanc Octavam duplex primæ claſſis ex eo, quod Rubrica præſcribit translationem unius Feſti S. Joannis Baptiſtæ, & ampliatur translatio ad duplex ſecundæ claſſis. Quòd ſi quæras, an fieri poſſit infra hanc Octavam de Feſto duplici primæ vel ſecundæ claſſis ante Octavam translato? Reſpondeo, nullam dari reſtrictionem in Decreto, neq; videtur major ratio de uno, quàm de altero translato, cùm dictum Decretum non diſtinguat.

Cùm

Cùm autem ex ſuperiùs dictis fieri poſſit de quocumque Duplici primæ vel ſecundæ claſſis translato, videndum modò eſt, an agendum ſit de eo in ejus Die Octava occurrente infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſuppoſito, quod in nullo ex præcedentibus diebus reponi potuerit & celebrari? Ad hoc reſpondeo in favorem partis affirmativæ: Siquidem quod infra hanc Octavam fieri poſſit de Die Octava alicubi occurrente, probavimus ſupra, cùm de Feſtis celebrandis locuti ſumus, relata ibi Reſolutione Sacræ Rituum Congregationis ad rem emanata: Quòd autem in Die Octava alicujus Feſti Octavam habentis reponi poſſit ſuum Feſtum principale diebus præteritis impeditum, ſatis ſuperque diximus, cùm de tribus Diebus Octavis S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Evangeliſtæ, & SS. Innocentium ſermo erat. Dum igitur Duplex primæ & ſecundæ claſſis translatum ex jam dictis celebratur infra hanc Octavam, & infra eam fieri poteſt de Die Octava, omne abſolutè Dubium ſuper hoc remanet clarè & plenè reſolutum. Sed exemplo res clarior fiat. Quandoigitur Feria ſexta infra Octavam Pentecoſtes occurrit die octava Junii, ut in Tabula vigeſimaquinta ordinis perpetui, Venetiis in Eccleſia Monialium Convertitarum ſub Regula S. Auguſtini viventium, in diem decimam quintam ejuſdem Menſis incidit ibi Dies Octava propriæ Dedicationis, cujus Feſtum principale cùm non potuerit diebus præteritis celebrari, benè poteſt transferri in dictam diem decimam quintam, quæ eſt Dies Octava. Ut autem pateat impedimentum ſub oculos Lectoris, & inſerviat pro exemplo, ecce ordo totius Octavæ illius Dedicationis. *Die 8. Junii, Fer. 6. infr. Oct. Pentec. ſemid.* Hodie occurrit in dicta Eccleſia Monialium propria Dedicatio, quæ ideo ibi transfertur. = *Die 9. Sabb. infr. Oct. Pentec. ſemid.* = *Die* 10. *Domin. SS. Trinitat. dup.* 2. *claſſ.* = *Die* 11. *Fer.* 2. *S. Barnabæ Apoſt. dup. maj.* = *Die* 12. *Fer.* 3. *S. Joannis*

521

nis à S. Facundo , dup. min. = *Die* 13. *Fer.* 4. *S. Antonii de Padua , dup. min.* = *Die* 14. *Fer.* 5. *Feſt. SS. Corpor. Chr. dup.* 1. *claſſ.* = *Die* 15. *Junii, Fer.* 6. *Dies Oct. Dedicat. in Eccleſi. Monial. & ejus Feſtum translatum, dup.* 1. *claſſ.* (*fuit* 8. *hujus*) *com. SS. Corpor. Chr. non verò Ss. mm. Viti, &c.*

Occurrit etiam hoc proprio loco notandum, quòd ſi duo Feſta duplicia primæ claſſis vel unum primæ, & alterum ſecundæ eodem die occurrant, poteſt de altero translato abſque ulla dubitatione fieri infra hanc Octavam, nam Reſolutio Sacræ Rituum Congregationis, quam ſupra retulimus inter Feſta infra Octavam, celebranda, non eſt intelligenda de duplicibus primæ vel ſecundæ claſſis, quæ cùm poſſint ex jam dictis celebrari translata, poſſunt & reponi ex quocunque die ſumpta etiamſi forſan occurrebant ante Feſtum SS. Corporis Chriſti. Addamus tamen exemplum ad clariorem rei intelligentiam. Quando Feſtum SS. Corporis Chriſti incidit in diem vigeſimam tertiam Junii, ut in Tabula trigeſima quarta Ordinis perpetui, Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis die vigeſimaquarta ejuſdem Menſis duo occurrunt Feſta duplicia primæ claſſis, quorum alterum ſequenti ordine tunc & eo caſu eveniente debet ibidem transferri, videlicet: 522
Die 23. *Junii, Fer.* 5. *Feſt. SS. Corpor. Chr. dup.* 1. *claſſ.* = *Die* 24. *Fer.* 6. *Nativit. S. Jo: Bapt. dup.* 1. *claſſ.* = *Die* 25. *Sabb. Apparitio S. Marci Evang. dup. maj.* = *Die* 26. *Domin. infr. Oct. SS. Jo: & Pauli, dup. min.* = *Die* 27. *Fer.* 2. *Dedicatio illius Eccleſ. Paroch. dup.* 1. *claſſ.* (*fuit die* 24. *hujus Menſis.*) Cur autem transferenda ſit in hujuſmodi caſu Dedicatio Eccleſiæ, & non Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, ratio clarè patebit ex inferiùs dicendis in fine ſequentis Paragraphi.

§. VII.

§. VII.

Quomodo intelligenda ſit illa Rubrica Breviarii de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ veniente in Feſto SS. Corporis Chriſti.

Rubrica Generalis in Breviario *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 1. ſic revera habet: *Si autem Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in Die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem.* Ex dictis tamen Rubricæ verbis invaluit apud quoſdam opinio hoc Anno 1734. in quo ſcribo, & in quo caſus contigit, quòd dictum Feſtum S. Joannis Baptiſtæ eſſet quidem transferendum in diem ſequentem; ſed non impeditam Feſto duplici occurrente, quia Rubrica ad ly *ſequentem* non addidit, *etiam impeditam*. Hanc ſententiam, ut verum fatear, egò tenui in quarto meo Romano Divinorum Officiorum Decennio publicis Paternis typis conſignato intra Annum 1732. pro ſequentibus decem Annis. Itaque in eo, in diem vigeſimam quintam Junii 1734. juxta Eccleſiam Univerſalem nullum in illa Feria ſexta impedimentum habentem, tranſtuli quidem dictam S. Joannis Nativitatem; ſed cum ſequenti adnotatione videlicet: *Notandum, quòd Rubrica illa Breviarii tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 1., *nempè*: Si Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in Die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem, *non venit intelligenda de die neceſſariò ſequenti, ſed de die ſequenti non impedita,* 523

pedita; prout dies hodierna eſt libera in Eccleſia Univerſali : & ideò ſi hodie in Eccleſia particulari occurrat Feſtum duplex, agendum eſt de eo, cum commemoratione Octavæ Corporis Chriſti, protracta ulteriùs Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, nempè ad primam diem non impeditam infra eandem Octavam SS. Corporis Chriſti. Sic igitur ibi dicebam.

Innixus autem fui tum auctoritati, tum etiam rationi, & poſtmodum praxi. Et ut incipiam ab auctoritate: Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 16. *artic.* 1. *ſub num.* 3. *pag.* 268. ſic habet claris verbis: *Fit de Feſto S. Joannis etiam translato, verbi gratia, ſi occurrat in Feſto Corporis Chriſti, transfertur in Feriam ſextam ſequentem, niſi impediatur aliquo Feſto duplici, quia tunc transfertur in Sabbatum*, tunc temporis non impeditum, quia Feſtum SS. Joannis & Pauli erat ſemiduplex transferendum ratione Octavæ Privilegiatæ ſemiduplicia non admittentis. Huic Bauldrii opinioni ſubſcribit Halden *in Ephemerolog. par.* 2. *tit.* 5. *die* 13. *Junii, pag.* 264. ubi diſertis verbis tradidiſſe Bauldryum aſſerit. Et licèt dictus Halden tam *par.* 1. *tit.* 31. *verſ. Feria V. pag.* 192. quàm etiam *par.* 2. *tit.* 6. *die* 24. *Junii* dicat, quòd in hujuſmodi occurrentia Feſtum S. Joannis transfertur in proximè ſequentem diem, ſeu in Feriam ſextam mox ſubſequentem, ibi loquitur de translatione in Eccleſia Univerſali, nam revera Feria illa non eſt impedita: Quando verò loquitur de impedimento, ut *par.* 1. *tit.* 31. *verſ. Octava Corporis Chriſti, pag.* 198. ſic ſe explicat, nempè: *Octava Corporis Chriſti non admittit duplicia translata, niſi ſint primæ claſſis: unde fit de Feſto S. Joannis Baptiſtæ translato, ſi, verbi gratia, occurrat in Feſto SS. Corporis Chriſti: tunc enim transfertur in Feriam VI. proximam, niſi hæc ſit impedita Feſto alio duplici, in ea occurrente, tunc enim transfertur in Sabbatum, niſi & hoc ſimiliter ſit impeditum.* 524

Plurimi etiam poſtea feci quandam Epiſtolam reſponſivam, quam Illuſtriſſimus Dominus N. N. 525

Vir

Vir clariſſimus, & peritus in Arte conſcripſit, & ad Reverendiſſimum Dominum N. N. in Sacris Functionibus diligentiſſimum (quorum nomina reverenter tacentur) Roma Venetias tranſmiſit. Cùm enim requireretur de ſua ſententia ad Dubium: *An die 25. Junii 1734. agendum eſſet in Feria ſexta de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ translata, vel potiùs de Apparitione S. Marci Evangeliſtæ, quæ ab utroque Clero ſub ritu duplici majori Venetiis eodem die celebratur*, ita reſpondit: *Sul Dubbiò propoſto, mi prendo la licenza, per ſoddisfare in qualche parte a' riveriti comandi di V. P. Reverendiſſima, di dirgli privatamente il mio debole ſentimento. Io dunque ſono di parere, che debba in Venezia li 25. Giugno farſi l' Uffizio dell' Apparizione di S. Marco, come giornata ſua propria, e non già quello di S. Giovanni Battiſta: poichè la Rubrica che dice doverſi queſto fare nel dì immediate ſeguente, quando è impedito dalla Feſta del Corpus Domini, deve intenderſi nel caſo, che in tal giorno 25. non vi ſia alcun Santo, e non già, che abbia voluto ſiſſar tal giorno per S. Giovanni Battiſta, con eſcludere dal giorno proprio il Santo, che cade. Così io la intendo, ſalvo meliori, &c. e raſſegnando à V. P. Reverendiſſima la mia oſſequioſa divozione, reſto, = Di V. P. Reverendiſſima = Roma li 6. Marzo 1734. = Divotiſſimo, &c. = N. N.*

Hiſce de auctoritate præmiſſis, ſic me ratio movebat. Et primò quidem ſe offerebat obſervatio illa, quòd non eſt caſus unicus illius Rubricæ *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 1. in quo nominetur Officii translatio *in diem ſequentem* abſque additione *non impeditam*, & tamen communiter intelligitur de die libera. In Miſſali etenim ſub die vigeſima tertia Septembris, ſic habetur: *niſi fuerit Dominica, quia tunc Feſtum S. Lini transfertur in Feriam ſecundam ſequentem*, & non additur, *non impeditam*. Sic, antequàm Feſtum SS. Joannis & Pauli, quod occurrit die vigeſima ſexta Junii, uſque ad Annum 1728. in quo factum eſt duplex, 526

legebatur propria die, in Breviario in Proprio de Sanctis Rubrica tenoris ſequentis: *Quòd ſi hoc Feſtum venerit in Dominica, transfertur in ſequentem diem*, & nihil aliud addebatur. Ita inter varias Rubricas, quæ habentur pro Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſic expreſsè legitur de Feſto S. Luciæ occurrente in die decima tertia Decembris: *Si hodie fuerit Dominica, Feſtum S. Luciæ transfertur in Feriam ſecundam ſequentem*, & neque hoc locò Rubrica ſubdit, *non impeditam*: ergo non eſt caſus unicus prælibatæ Rubricæ de translat. Feſtor. ergo quotieſcunque dicitur dumtaxat, *in ſequentem diem*, videtur intelligendum de die ſequenti non impedita.

Nec mihi ſatis probabatur Aliquorum opinio tenentium, quòd Nativitas S. Joannis Baptiſtæ habeat duos dies pro ejus Feſtivitatis celebratione; unum quidem ſolitum, & ferè quovis anno ſuum proprium, ſcilicet vigeſimum quartum Junii; alterum verò inſolitum, & rariſſimè contingentem, nimirùm vigeſimum quintum ejuſdem Menſis: eo prorsùs modo, quo Feſtum ſemiduplex duos dies habet infra Octavam communem, unum videlicet conſuetum & fixum ac quovis anno aſſignatum, alterum autem translationis in Feriam ſecundam, quando occurrit in Dominica infra Octavam. At mihi facilis videbatur reſponſio: nam ſi illa Feria ſecunda pro Feſto ſemiduplici eſt impedita, Rubrica Breviarii *de translat. Feſtor. tit.* 10. *ſub numer.* 5. illud transfert poſt Octavam: Ergo à pari, ſi Feria ſexta eſt impedita, transfertur Nativitas S. Joannis Baptiſtæ ad aliam diem, ſed infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi detur locus. Præterquàm quòd de Feſto ſemiduplici in caſu propoſito habemus legem, quam adhuc claram non habemus pro duobus diebus Nativitatis S. Joannis, cùm nondum aliqua habeatur à Sacra Rituum Congregatione illius Rubricæ *ſub numero primo appoſita* interpretatio. 527

Sed major ratio, qua potiùs movebar, illa mihi vide- 528

videbatur, quia ad excluſionem Feſti duplicis in ſæpè dicta Feria ſexta occurrentis, non ſufficit, (ut reor) dicere, *transfertur in diem ſequentem*, ſed addendum eſt, *licèt impeditam*. Quando enim Papa voluit, expreſſit: in noſtro autem caſu non expreſſit: ergo noluit. Voluit itaque, quia expreſſit, quando Dominica 2. poſt Epiphaniam non habet ſuum diem feſtivum ante Septuageſimam: expreſſit enim Papa, quòd ad illam collocandam in Officio feriali transferatur Officium ſemiduplex occurrens, ut habetur in propria Rubrica Breviarii ante Dominicam primam poſt Epiphaniam: & concordat Rubrica Miſſalis ſtatim poſt Miſſam de Die Octava Epiphaniæ. Voluit, quia expreſſit, quando Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis venit in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto: expreſſit enim, quòd in hujuſmodi caſibus transferatur ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, cum excluſione Feſti in ea occurrentis, dummodò non ſit altioris ritus, ut decrevit Alexander Octavus *anno* 1690. *ſub die* 11. *Februarii*, & 11. *Martii*. Voluit etiam, quia expreſſit, quando Feſtum de ſeptem Doloribus Beatæ Mariæ Virginis incidit in Feſtum S. Joſephi Confeſſoris: expreſſit enim, quòd reponatur in Sabbato immediatè ſequenti, & Feſtum S. Joachimi itidem Confeſſoris, in dicto Sabbato occurrens, transferatur juxta Rubricas, ut ſic fieri mandavit Benedictus Decimus tertius *anno* 1729 *ſub die* 25. *Januarii*. Ex dictis ergo clarè patere videtur, quòd abſque ſpeciali & expreſſa Papæ volentis declaratione non tollitur de ſua ſede Feſtum occurrens, ut ibi reponatur translatum.

Sed & Praxis ejuſdem Anni 1734. in quo caſus contigit aliquid confluebat ad hujuſmodi opinionem, cùm nonnulli Kalendariſtæ in diverſis Orbis Civitatibus exiſtentes, convenerint ad ulteriorem translationem Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, propter impedimentum Feſti duplicis in dicta Feria ſexta apud ipſos occurrentis: Duo igitur Di- 529

rectoria ad Divinum Officium ab omnibus ſub Regula S. Benedicti militantibus ſpectantia, & pro eodem Anno 1734. inſervientia: quorum unum *Venetiis* eſt impreſſum *apud Bonifacium Viezzeri* tunc *Typographum Patriarchalem*: alterum verò editum *Patavii*, *ex Typographia Joannis Baptiſtæ Conzatti*: Nec non & alia duo ejuſdem Anni, ſcilicet Ciſtercienſe ad uſum Monachorum Congregationis Reformatæ S. Bernardi, *Romæ* excuſum *typis Antonii de Rubeis in via è Foro Rotundæ ad Seminarium Romanum*: & Valliſumbroſanum pro tota Congregatione Monachorum, in lucem datum Florentiæ, *Typis Dominici Ambroſii Verdi*: Omnia & quatuor dicta Directoria adnotarunt celebrandum die vigeſima quinta Junii Feſtum duplex minus occurrens S. Guilielmi Abbatis, & Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ tranſtulerunt uniformiter ad diem vigeſimam octavam ejuſdem Menſis in Feria ſecunda infra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti. Duo quoque Monaſteria Venetiis exiſtentia, unum S. Georgii Majoris Monachorum Ordinis S. Benedicti, & alterum S. Mariæ Servorum in ſuis Directoriis pro ipſomet anno 1734. excuſſis, collocarunt dicta die vigeſima quinta Junii Officium Diœceſanum occurrens Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ, quod apud nos eodem die celebratur ſub ritu duplici majori, & de eo agunt etiam Regulares Urbis: Nativitatem verò translatam repoſuerunt in dicta Feria ſecunda. Prædicta ſex Directoria ſunt apud me, & dum ſcribo, præ manibus teneo, & ſub oculos habeo.

Prædicta tamen opinio ſuum poterat habere robur, & ſic firmata ſubſiſtere videbatur, quia nullus Auctor (quod ego ſciam) aliam tenet ſententiam: & præſertim, quia revera uſque ad Annum 1734. in quo contigit caſus, imò & ultra, nullam dederat ſupra relatæ Rubricæ interpretationem Sacra Rituum Congregatio. Attamen, ut verum fatear, attendenda erant maxima Privilegia à Deo conceſſa ſuo Joanni uſque ab utero 53

Matris

Matris ſuæ: ſiquidem anticipatum ei tribuit rationis uſum, ut agnoſcendo exultaret, & exultando intelligeret. De ventre Matris ſuæ recordatus eſt nominis ſui, illique per Angelum nomen impoſuit Joannis. Naſcitur à ſterili, & congratulabantur Vicini, & Conſanguinei ejus: In Circumciſione, merito Filii loquitur Pater, & ideò mirati ſunt univerſi, quia verè agnoſcitur nullus à Deo, nam & manus Domini erat cum illo. In tenella ætate Deſertum ingreditur, nec ſine miraculo, ut diverteret ab Herodis tyrannide tunc Infantes ad necem quærentis, & ut ibi Matre defunctâ, Angelus illum cuſtodiret & inſtrueret. Totam poſtmodum in Baptiſmo Chriſti vidit Trinitatem, Patrem in voce, Filium in carne, Spiritum Sanctum in Columba. Sed & ipſe Chriſtus, quantus eſſet Joannes, publicè coram Populo manifeſtavit: Dixit enim, quia erat pluſquam Propheta: explicavit de Joanne, quòd antea dixerat per ſuum Malachiam: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*: & tandem inter alias Joannis exaltationes fatetur, quòd *non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*.

531 Hinc eſt, quòd ejus Nativitatem tot tantiſque illuſtratam prodigiis ſolam cernimus celebrari inter Sanctos: unde Auguſtinus *ſerm. 20. de Sanctis*, conſiderans & obſtupens ait: *Poſt illum ſacroſanctum Domini Natalis diem, nullius hominum Nativitatem legimus celebrari, niſi ſolius Beati Joannis Baptiſtæ*. Quapropter conveniens erat, ut qui tot Privilegiis fuit ornatus à Domino, etiam haberet privilegium in recitatione ſui Officii, ita ut Rubricam illam potiùs intelligeremus, mutata ſententia, de die ſequenti etiam impedita, ut ipſe Joannes in propria die anniverſaria ſuæ Nativitatis ſaltem gauderet commemoratione, nec protraheretur ejus Feſtum ulteriùs ob impedimentum alterius Feſti duplicis in Feria ſexta alicubi occurrentis, ſed caſus particularis cederet univer-

ſali,

ſali, & eſſet exceptio Rubricæ Generalis. Ideòque Sacra Rituum Congregatio anno 1736. duobus ſcilicèt annis poſt caſus occurrentiam, dictis Privilegiis prudentiſſimè conſideratis, & attentis, primò ſuper hoc requiſita, ſic reſolvendo reſpondit ad ſequens Dubium, ſcilicèt.

Einſidlen. = *Ad inſtantiam P. Abbatis Monaſterii Einſidlenſis ſub die 23. Junii 1736. inter alia Dubia propoſitum & reſolutum fuit etiam nonum infraſcriptum*, videlicet: *Quando Feſtum SS. Corporis Chriſti occurrat in Feſto S. Joannis Baptiſtæ, quæritur, quando recitandum erit Officium S. Joannis?* Et Sacra Rituum Congregatio ad nonum reſpondit; *Si Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, ſive aliud ex ſolemnioribus venerit in Die Corporis Chriſti, Officium S. Joannis ſingulari Privilegio transfertur in ſequentem diem à quocunque Officio duodecim Lectionum etiam impeditam, cum commemoratione Octavæ: ſed in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit commemoratio tantùm S. Joannis: Cætera vero Feſta ſolemniora occurrentia in dicta Die Corporis Chriſti transferuntur infra Octavam in primam diem non impeditam. Et ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 23. Junii* 1736. Dictum Decretum, prout ſupra ſtat & jacet, eſt apud me in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii. Licèt autem dicta Declaratio loquatur de impedimento Feſti occurrentis duodecim Lectionum juxta Ritum Monaſticum, quia quæſitum fuit à P. Abbate Ordinis S. Benedicti, intelligitur abſque dubietate etiam de Feſto occurrente novem Lectionum juxta Ritum Romanum. Dum igitur, quia modò voluit, Eccleſia tandem expreſſit, & Rubricam illam ſic interpretata eſt Sacra Rituum Congregatio, corruit alia quæcunque opinio, quibuſvis auctoritatibus & rationibus ſuffulta: & reverenter ſuſcepta dicta Declaratio, obedienter eſt exequenda in hujuſmodi caſus occurrentia licèt à nobis valdè remota, nec ampliùs quoad hoc ſtandum eſt 532
Aucto-

Auctoribus ſuperiùs relatis.

Notandum tamen primò circa dictum Decretum, quòd ly *à quocunque Officio etiam impeditam*, 533
comprehendit omne Feſtum alicubi quavis ſolemnitate celebrandum, licèt Patroni Loci, Titularis Eccleſiæ, ac Dedicationis: unde prædicto caſu eveniente, licèt à nobis per ſæcula remoto, Regii in Ducatu Mutinenſi transferendum erit Feſtum S. Proſperi Epiſcopi Confeſſoris die vigeſimaquinta Junii ibidem occurrens, licèt præceptivum, quia de Patrono principali illius Civitatis. Notandum ſecundò, quòd, translata in ſequentem diem Nativitate S. Joannis, ſicuti primæ ejus Veſperæ ſunt impeditæ à ſecundis Veſperis ex integro dicendis de Feſto SS. Corporis Chriſti, ſic ad Matutinum in die dictæ Nativitatis translatæ uniendus erit Hymnus Veſperarum cum illo ejuſdem Matutini ſub unica concluſione *Sit decus Patri, &c.* quia cùm ambo ſimul contineant ſucceſſivam Actionum hiſtoriam, & uterque ſit ejuſdem metri, non eſt in hujuſmodi caſu incipiendum à medietate; & hoc legitime infertur tum ex Decreto *de die* 26. *Aprilis* 1692. emanato pro Hymnis propriis S. Martinæ Virginis & Martyris, quod poſtmodum factum fuit Rubrica Breviarii ſub die trigeſima Januarii: tum etiam ex alio recentiori Decreto *in Einſidlen. de anno* 1736. *ſub die* 5. *Maii* pro Hymnis propriis S. Hermenegildi Martyris, ubi tamen dicitur, quòd Hymnus Veſperarum impeditus dicatur ad Matutinum, & Hymnus Matutini ad Laudes, quia in ejus Officio ad Laudes nullus citatur Hymnus proprius. Notandum tertio, quòd ſi transferendum ſit Feſtum Dedicationis vigore Decreti ſupra relati occurrens die vigeſima quinta Junii, ut reponatur in illa Feria ſexta Feſtum translatum S. Joannis Baptiſtæ, multo magis transferendum erit, ſi occurrat in ipſo die Nativitatis celebrandæ extra caſum occurrrentiæ in Die SS. Corporis Chriſti. Notandum quartò, quòd aliud Feſtum ex ſolemnio-

mnio-

mnioribus, primæ ſcilicet & ſecundæ claſſis, occurrens in dicto Feſto SS. Corporis Chriſti, de quo in Decreto ſupra extenſo, tunc non reponitur in Feria ſexta ſequenti, quando illa eſt impedita à Feſto duplici occurrente, non verò quando eſt libera, & nullum aliud habetur præcedens translatum ejuſdem claſſis. Patet ex dictis, quòd Privilegium S. Joannis non datur alteri.

§. VIII.

De iis, quæ ſpectant ad Dominicam infra Octavam SS. Corporis Chriſti.

HÆc Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, quæ inſcribitur etiam, & eſt ſecunda poſt Pentecoſten, habet quidem primas Veſperas, ſed nunquàm integras, nam ſi in Sabbato actum ſit de Die infra Octavam, à Capitulo fit de hac Dominica ſub ritu ſemiduplici in colore albo, ut clarè patet, & dicuntur prout in Breviario, ſed poſt Orationem Dominicæ fit commemoratio de Octava, nec non & Feſti ſimplicis forſan ſubſequentis. Quòd ſi ſimul occurrat una, vel duæ Octavæ, fit etiam de illis commemoratio in Veſperis Sabbati: & ideò ſi hæc Dominica veniat die Octava Junii, ut in Tabula decima ſexta ordinis perpetui, Cremonæ in Ducatu Mediolanenſi, in Veſperis Sabbati de Die infra Octavam SS. Corporis Chriſti fit à Capitulo de Dominica, cum commemoratione Octavæ privilegiatæ, & de Die ſexta infra Octavam SS. Patronorum Marcellini & Petri: At ſi in Sabbato factum ſit Officium de Feſto duplici, in ſecundis ejus Veſperis facienda eſt commemoratio Dominicæ, 534

nicæ, & SS. Corporis Chriſti. Si verò & in Dominica agendum fuerit de duplici ejuſdem ritus cum illo Sabbati, veſperæ in Sabbato (niſi attendenda ſit major dignitas) dividendæ ſunt à Capitulo, cum commemoratione præcedentis, & Dominicæ, ac SS. Corporis Chriſti, nec non & alterius Octavæ, ſi alicubi occurrat, ac Feſti ſimplicis, ſi ſubſequatur; idcirco ſi hæc Dominica infra Octavam incidat in diem vigeſimam ſextam Maii, ut in Tabula tertia, Volaterræ in Tractu Piſano Tuſciæ, die vigeſimaquinta in Sabbato Veſperæ erunt de S. Gregorio Papa Septimo, à Capitulo de S. Philippo Nerio, cum commemoratione præcedentis S. Gregorii, & Dominicæ & de Octava Privilegiata ac de Die ſexta infra Octavam Dedicationis illius Cathedralis, nec non S. Eleutherii Papæ & Martyris.

At quid agendum, ubi in hac Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti occurrit Dies Octava SS. Trinitatis? Si in Sabbato actum eſt de SS. Corpore Chriſti, procul dubio Veſperæ ibi erunt de Die Octava ſequenti, cum commemoratione Dominicæ, & Octavæ privilegiatæ. At difficultas eſt, ſi in Sabbato factum ſit Officium de Feſto duplici minori, nam primo intuitu Veſperæ videntur dividendæ à Capitulo de ſequenti Die Octava, cum commemoratione præcedentis Duplicis minoris, & Dominicæ, ac Octavæ privilegiatæ, ut de Cæteris Diebus Octavis clarè loquitur Rubrica Breviarii *tit. 11. de Concurren. Offic. ſub numer.* 7. At quia omnis Regula ſuas habere poteſt exceptiones, quas ſi claras non legimus in uno loco, inferimus interdum ex alio: ideò in caſu propoſito integras dicerem in Sabbato primas Veſperas de dicta Die Octava SS. Trinitatis, cum commemoratione Feſti duplicis minoris præcedentis, & Dominicæ, ac SS. Corporis Chriſti. Ratio autem hujuſmodi Veſperas tali modo ordinandi, mihi videtur eſſe, quia ſi quæcunque Dies Octava Feſtorum Beatæ Virginis Mariæ ha- 535

bet

bet integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Feſto duplici minori, cur non etiam habebit Dies Octava SS. Trinitatis? Certè de utriſque Veſperis ex integro dicendis ad favorem cujuſvis Diei Octavæ de Beata Virgine Maria in prædicta concurrentia, extat Decretum Sacræ Rituum Congregationis de die 11. Auguſti 1691. relatum à Clericato *de Sacrific. Miſſæ; initio Operis, Decreto* 56. & refert etiam Fagioli *in Kalendar. perpet. ration. in Annotat. ad Menſem Decembris, lit. C. ſub num.* 2. *pag. mihi* 300. & habetur quoque inter Rubricas Breviarii Franciſcani, *tit. de Concurren. Offic. ſub nu.* 138. Si ergo dictæ Veſperæ de Die Octava Beatæ Mariæ Virginis ſunt digniores quocunque Feſto duplici minori, mihi videntur etiam tales, quæ ſunt de Die Octava SS. Trinitatis in ſimili concurrentia. Hæc autem opinio (ſalva ſemper meliori, & cum debita reverentia ad præcitatam Breviarii Rubricam) placet moderno Auctori Joanni Baptiſtæ Halden Germano *in Ephemorolog. par.* 1. *tit.* 32. *verſ. Quòd ſi cras, pag.* 203.

Ad Matutinum in hac Dominica non impedita infra Octavam SS. Corporis Chriſti, nihil ſumitur de Pſalterio, prout fit in Dominicis infra Octavas communes occurrentibus. Hæc etenim Dominica eſt una ex quatuor exceptis in Rubrica Breviarii *titul.* 4. *de Dominicis, ſub numer.* 2. & ideò omnia dicuntur de Octava, & hoc idem iterùm docet Rubrica alia, quæ habetur hac die in Proprio de Tempore. Omnes tamen trium Nocturnorum Lectiones ſunt propriæ, cum Oratione, aliiſque ſuo loco aſſignatis. Videtur Aliquibus, quòd ſi in hac Dominica occurrat Feſtum ſimplex, non ſit omittenda ejus nona Lectio, quaſi Officium hujus Dominicæ non ſit de ratione Octavæ, ſed de ratione Feſti. At quidquid Alii ſentiant, non eſt dicenda dicta nona Lectio de Feſto ſimplici, tum quia Octava comprehendit etiam Dominicam, tum 536

quia

quia ex ſuperiùs dictis hæc Dominica nihil habet de Pſalterio, ſed totum de Octava, tum denique, quia Evangelium Dominicæ eſt de Cœna magna, & ideò de Menſa Domini: & hinc benè infert Gavantus *tom. 1. par. 4. tit. 12. ſub numer.* 12. quòd Officium hujus Dominicæ quadrat Octavæ cum dicto Evangelio de Cœna magna: Dum igitur quadrat Octavæ, reputatur de Octava: ſi reputatur de Octava, ergo Dominica debet habere privilegium Octavæ: ergo tacenda nona Lectio de Feſto ſimplici, ſi in dicta Dominica occurrat: & hæ quidem rationes mihi videntur validiſſimæ ad ritè & rectè ſtatuendam hanc opinionem.

Ad Laudes autem dictæ Dominicæ non impeditæ infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſunt omnia propria ſuo loco, & poſt Orationem Diei fit commemoratio de SS. Corpore Chriſti, & etiam Feſti ſimplicis forſan hodie occurrentis. Poteſt etiam contingere commemoratio de una vel duabus Octavis, ut quando hæc Dominica venit die vigeſima quinta Junii, ut in Tabula trigeſimatertia ordinis perpetui, in Eccleſia Univerſali fit commemoratio de Octava SS. Corporis Chriſti, & de Octava S. Joannis Baptiſtæ: Quando verò hæc ipſa Dominica occurrit die vigeſima ſeptima ejuſdem Junii, ut hoc Anno 1734. cum Tabula trigeſimaquinta, Tridenti in Comitatu Tyrolenſi fit commemoratio de Octava SS. Corporis Chriſti, de quarta Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, & de ſecunda Die infra Octavam S. Vigilii Epiſcopi & Martyris, illiuſque Urbis Patroni. Sicuti autem hæc Dominica ſumit omnia de Octava, & nihil de Pſalterio, ſic ad Primam non dicitur Pſalmus *Confitemini*, neque Symbolum *Quicunque*, ſed tres dicuntur conſueti Pſalmi, ut in Feſtis, cum Capitulo Nonæ *Filioli mei*, & cum Verſiculo *Qui natus es de Maria Virgine* ad Reſponſorium breve, ſumpta clauſula Hymnorum ad omnes Horas ex Die Feſto, nempè, *Jeſu tibi ſit gloria*, *&c.* 537

Feſtum

Feſtum verò ſemiduplex in hac Dominica occurrens, transfertur poſt Octavam, non enim gaudet privilegio translationis in Feriam ſecundam licet non impeditam, ut alibi diximus, ſiquidem Rubrica Breviarii *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub n.* 5. clarè loquitur de ſolo Semiduplici occurrente in aliqua ex Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas communes.

§. IX.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti.

IN Miſſa propria hujus Dominicæ infra Octavam SS. Corporis Chriſti dicitur *Gloria*, cum 538
ſecunda tantùm Oratione de Octava, niſi occurrat facienda una, vel plures ex commemorationibus ſupramemoratis in Laudibus. Ante verò Miſſam ſolemnem fit aſperſio Aquæ benedictæ, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. *pag. mihi* 397. Cantanda tamen eſt cum Diacono & Subdiacono, nam toleratis juxta conſuetudinem Eccleſiarum Diebus infra Octavam, hanc Dominicam excepit Sacra Rituum Congregatio *in Alexandrina* 1608. *ſub die* 15. *Martii*, ita referente Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Miſſa Conventualis*, *Collect.* 477. *ſub num.* 6. & noviſſime P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub nu.* 80. Poſt Epiſtolam non dicitur hodie *Sequentia*, licèt in Miſſali non habeatur ulla Rubrica de hoc reticentia, ſed bene id advertit, & docuit Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 16. *artic.*

16. *artic.* 1. *ſub numer.* 3. *pag.* 268. Dicitur etiam *Credo*, & Præfatio Nativitatis *Quia per incarnati Verbi myſterium*, ſine tamen ejus *Communicantes*. Eccleſia verò Ambroſiana; quæ per totam Octavam unica utitur Præfatione, quæ eſt alia à Romana, ut patet ex ſuperiùs dictis in Feſto variat illam in hac Dominica, quam idcircò ex ejus particulari Miſſali fideliter tranſcriptam hoc proprio ſuo loco ponimus per extenſum, & eſt ſequens, videlicet: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majeſtatem tuam ſuppliciter exorantes, ut ab Eccleſia tua quidquid eſt noxium, tua virtute repellas: & quod eidem ſalutare eſt, largiaris. Nobiſque contra ſuperbos ſpiritus humilitatem tribuas rationabilem cuſtodire; & gratiam tuam clementer impendas. Nec nos humani incertos auxilii derelinquas: ſed tua, quæ falli non poteſt, gubernatione conſerves, per Chriſtum Dominum Noſtrum. Per quem, Majeſtatem tuam laudant Angeli, &c.* Quòd ſi in hac Dominica fiat
53 alicubi expoſitio SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, cantanda videtur (ſalvo meliori judicio) Miſſa de Dominica, ſi non eſt impedita, quæ cùm habeat Evangelium de Cœna magna, quadrat Menſæ Altaris: & jam in ea dicitur ſecunda Oratio de Octava, quæ eſt de SS. Sacramento, non quidem in hoc caſu ſub unica concluſione (ut reor) quia non eſt hodie Collecta Votiva, ſed occurrens commemoratio: & in repoſitione ad Verſiculum *Panem de Cœlo* additur *Alleluja*, omiſſoque *Dominus vobiſcum*, ſtatim cantatur Oratio de SS. Sacramento, ut alibi diximus ex Inſtructione Clementis Undecimi.

Prædicta omnia ſervantur, quotieſcunque Offi- 539
cium fit de eadem Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti. At ſi occurrat Feſtum duplex, fit de eo, cum nona Lectione Dominicæ ad Matutinum: & in hoc caſu ex tribus Lectionibus de

Homilia Dominicæ facerem unam, non quidem de præcepto, ſed de conſilio: nam ſi in Matutino de Dominica non impedita omittitur ex dictis nona Lectio de Feſto ſimplici, ut integra legatur Homilia in Evangelium de Cœna magna, videtur conveniens, ut impedita Dominica, fiat prædicta unio Lectionum. Ad Laudes verò fit commemoratio ejuſdem Dominicæ, & SS. Corporis Chriſti, nec non Feſti ſimplicis occurrentis, niſi Feſtum illud ſit ſecundæ claſſis, quia nihil de eo in Miſſa ſolemni: vel ſit Feſtum primæ claſſis, quia nihil fit de Simplici in Officio, neque in Miſſa ſive ſolemni ſive privata: & ſemper in fine Miſſæ legitur Evangelium Dominicæ. Præfatio tamen erit de Octava *Quia per incarnati Verbi myſterium*, niſi Feſtum habeat propriam: unde ſi Feſtum S. Barnabæ occurrens die undecima Junii veniat in hac Dominica, ut in Tabula decima nona ordinis perpetui, in Eccleſia Univerſali dicitur in Miſſa Præfatio Apoſtolorum *Te, Domine, ſuppliciter exorare*: Quod ſi Dominica incidat in diem tertiam ejuſdem Junii, ut in Tabula undecima, Meſſanæ in Sicilia in Feſto ibi occurrente Deiparæ à Sacris Litteris nuncupatæ dicitur Præfatio *Et te in Feſtivitate*, nam Octava SS. Corporis Chriſti eſt quidem Privilegiata, ſed non ejus Præfatio.

In Eccleſiis tamen SS. Trinitati dicatis fit in 540
hac Dominica de ejus Die Octava, etiamſi hodie occurreret Feſtum duplex majus, ut eſt illud S. Barnabæ, quod ex ſuperiùs dictis poteſt incidere univerſaliter in hanc Dominicam, nam eo translato, celebratur ibi dicta Dies Octava. In primo Nocturno dicuntur Lectiones *de Libro primo Regum*, ut in Dominica iſta, ſed in ſecundo & in tertio ſumuntur ex Octavario Romano, cum nona Lectione Dominicæ, facta (ſi placet) unione omnium trium, ex ratione ſuperiùs allata. Ad Laudes dicuntur Antiphonæ, ut in Feſto, ſed advertit Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 19. *ſub numer.*

3. quo-

3. quomodo legenda ſit in tertia Antiphona vox illa *omnium*, ne error fiat in recitatione: ait enim, & benè dicit, quòd conjungenda eſt cum *ore*, non autem cum *Patri*: unde pronunciandum eſt, *in ore omnium*, non verò *in ore*, & poſtea, *omnium Patri*; quod facilè poteſt contingere in legendo, niſi attendatur ad verborum ſignificationem. Fit in Laudibus commemoratio ejuſdem Dominicæ, & SS. Corporis Chriſti, nec non & Feſti ſimplicis, ſi occurrat. Ad Primam dicitur Symbolum *Quicunque*, non ratione Dominicæ infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſed ratione Diei Octavæ SS. Trinitatis in Dominica: quidquid dicat Lonherus *in Inſtruct. pract. 2. par. 2. tit. 3. §. 5.* ubi tenet, quòd dictum Symbolum ſit dicendum in ſolo Feſto SS. Trinitatis: Neque adhæreo opinioni moderni Halden *in Ephemerolog. par. 2. in Fer. 6. & Sabb. infra Oct. SS. Corpor. Chr.* tuetur enim ibi, quotidie dicendum in Diebus infra Octavam: Placet enim magis quod ſentit Gavantus, qui optimè adhærens Rubricæ de hoc Symbolo, ſic habet *tom. 2. ſect. 5. capit. 20. ſub numer. 4.* videlicet: *Non eſt dicendum quotidie; ubi celebratur Octava SS. Trinitatis, quia Dominicæ aſſignatum videtur: quare & in Die Octava dicendum erit, quod aliàs non diceretur*, & vide Decretum ſupra allatum, *§. IV. ſub numer. margin.* 507.

Dicitur autem Symbolum ad Primam, ut Fidelis in principio Diei, & initio Operum ſuorum, Deum, quem invocat, veraci Fide credat & confiteatur: & ſic lorica Fidei circumdatus, contra omnia adverſa muniatur, ac in Operibus bonis vitam æternam Fidelibus promiſſam mereatur. Hinc eſt, quòd hoc Symbolum priſcis temporibus canebatur in aliquibus Eccleſiis quotidie per totum Annum ad Primam, ut patet ex Theſauro novo Anecdotorum *tom. 2. pag. 62. juxta editionem Lutetiæ Pariſiorum factam Anno* 1717. ubi adnotatur ſequens Statutum Capituli S. Martini Turonenſis, ſcilicet: *Anno Domini DCCCCXXII. Kalen-* 541

dis videlicèt Junii , ſtatuerunt , ut ex illo tempore , quamdiuſculum ſtetiſſet , cantarent Fratres generaliter ad Horam Primam , tam Feſtis diebus , quàm quotidianis Catholicam Fidem , quam S. Athanaſius , Spiritu Sancto dictante, compoſuit , id eſt Quicunque vult ſalvus eſſe. Ad dictam tamen Primam in Die Octava SS. Trinitatis dicitur in Reſponſorio brevi Verſiculus *Qui ſedes ad dexteram Patris* , qui videtur convenire cum Officio , non verò (ut reor) *Qui natus es de Maria Virgine* , ex ratione alibi allata : & nihilominus ad omnes Horas clauduntur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria* , *&c.* At ſi in eadem Die Octava SS. Trinitatis veniat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis, ſit Officium de eo , cum nona Lectione Dominicæ ad Matutinum , & in Laudibus ſit priùs commemoratio de Die Octava tanquam de duplici occurrente , deinde Dominicæ , & tertio loco de Octava SS. Corporis Chriſti : Caſus autem contingit , quando hæc Dominica incidit in Feſtum S. Joannis Baptiſtæ , quod eſt duplex primæ claſſis , tunc occurrente Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui . Dixi quòd de Die Octava ſit commemoratio ante illam Dominicæ, nam ex ſupra allata ratione , in omnibns hujuſmodi caſibus ſic agendum decrevit Sacra Rituum Congregatio *in una Galliarum de anno* 1693. *ſub die* 10. *Januarii*, & hoc Decretum eſt apud me.

Miſſa verò de dicta Die Octava non impedita SS. Trinitatis in Eccleſiis Titularibus , dicitur ut in ejus Feſto , cum commemoratione Dominicæ , & SS. Corporis Chriſti , ac etiam Feſti ſimplicis eodem die occurrentis . Præfatio quoque dicitur de eadem Octava SS. Trinitatis, ſcilicet, *Qui cum unigenito Filio tuo* , non autem de Octava SS. Corporis Chriſti: & in fine Miſſæ legitur Evangelium Dominicæ . Quòd ſi in hac Die Octava non impedita , facienda ſit in dictis Eccleſiis expoſitio SS. Sacramenti , cantatur Miſſa de Octava SS. Corporis Chriſti , ſine commemoratione de Die 542

Octa-

Octava SS. Trinitatis. At ſi in hac Dominica, in qua occurrit dicta Dies Octava veniat Feſtum duplex primæ vel ſecundæ claſſis (ut de Feſto S. Joannis Baptiſtæ diximus ſupra, ubi caſus eſt cum Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui) Miſſa indubitanter erit de illo Feſto, in qua ſervabitur recentiſſimum Decretum à Sacra Rituum Congregatione emanatum *in Burgen. anno* 1736. *ſub die* 23. *Junii*, hujuſmodi tenoris ; videlicet : *Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in Altari expoſito, debet fieri commemoratio ejuſdem SS. Sacramenti poſt omnes alias commemorationes : & in Miſſis ſolemnibus tantùm Feſtorum primæ & ſecundæ claſſis eſt facienda ſub unica concluſione*, ut refert Reverendiſſimus P. Cajetanus Maria Merati in perutilibus Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 684. *pagin.* 1427. ubi antea dixerat ſub numero 443. pagina 1397. quod *Miſſam in Altari Majori, ubi eſt expoſitum publicè SS. Sacramentum ; non licèt celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſunt alia Altaria, in quibus celebrari poſſit* ; ex eadem Sacra Rituum Congregatione *in Bononien. de anno* 1670. *ſub die* 9. *Auguſti* ; & etiam habet aliud Decretum quoad hoc *in Romana ſub die* 13. *Februarii* 1666. quod nos antea retulimus in Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. magin.* 847. *pag.* 263. & de Canonicis, *ſub num.* 199. *pag.* 316.

Ad complementum hujus Diei Dominicalis unum reſtat dicendum ; nempè aliquid de ejus Veſperis. Itaque ſecundæ Veſperæ de hac Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſi non ſunt impeditæ, differunt à primis : illæ etenim erant à Capitulo, iſtæ verò ſunt integræ ; dummodo & in Dominica nullum occurrat duplex, & in Feria ſecunda agendum ſit de Die infra Octavam. Dicuntur autem, prout notatur in Breviario in ſecundis Veſperis hujus Dominicæ, cum commemoratione de Octava SS. Corporis Chriſti, & alterius, vel duarum Octavarum alicubi forſan occurrentium, ac etiam Feſti ſimplicis, ſi 543

ſubſequatur. Quapropter, ſi hæc Dominica venerit die vigeſima ſeptima Junii, ut hoc Anno 1734. cum Tabula trigeſima quinta ordinis perpetui, Tridenti in Comitatu Tyrolenſi, in ſecundis Veſperis de Dominica fit commemoratio de Octava SS. Corporis Chriſti, de Octava S. Joannis Baptiſtæ; & de Octava S. Vigilii Patroni heri inchoata. At ſi cras in Feria ſecunda occurrat Officium duplex majus vel minus, in Dominicá non impedita Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione Dominicæ præcedentis; & SS. Corporis Chriſti. Si verò in Dominica fiat de Duplici minori, & cras itidem de Duplici ejuſdem ritus, Veſperæ fiunt à Capitulo de ſequenti, cum commemoratione præcedentis, & Dominicæ, ac SS. Corporis Chriſti. Quòd ſi in Feria ſecunda agendum ſit de Duplici primæ vel ſecundæ claſſis, Veſperæ in Dominica non impedita ſunt quidem de ſequenti, cum commemoratione SS. Corporis Chriſti, ſed non Dominicæ, nam licèt Octava ſit privilegiata, non tamen eſt privilegiata Dominica infra eam occurrens, ideoque debet ſtare Rubricæ generali Breviarii, & Tabellæ de Concurrentia, ubi excluditur commemoratio Dominicæ, ſi concurrat cum uno vel altero ex dictis duobus Duplicibus. Quoad verò hanc commemorationem Dominicæ oritur Dubium in caſu ſequenti: In hanc Dominicam incidit Feſtum duplex primæ claſſis, quod in ſecundis Veſperis admittit commemorationem Dominicæ occurrentis: in Feria verò ſecunda fit de Duplici ſecundæ claſſis, quod excludit vigore Rubricæ commemorationem Dominicæ præcedentis: Quid agendum? Videtur facienda commemoratio Dominicæ, quia ipſa debet ſtare cum ſuo principali digniori admittente in ſecundis Veſperis commemorationem hujuſmodi: nec ſola commemoratio ſequentis minùs digni videtur negare debere, quod concedit Feſtum dignius: Idem quoque dicendum, ſi utrumque eſſet ejuſdem.

dem qualitatis, licèt in paritate ritus, ambo videantur in poſſeſſione ſui privilegii, ſi tamen de ſequenti fiat tantùm commemoratio.

Ubi verò in hac Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti occurrit Dies Octava SS. Trinitatis, ſi cras in Feria ſecunda fiat Officium de Die infra Octavam dicti SS. Corporis Chriſti, in ſecundis Veſperis de dicta Die Octava fit commemoratio Dominicæ, & SS. Corporis Chriſti, ac etiam Feſti ſimplicis ſubſequentis. Quòd ſi in Feria ſecunda fiat de Feſto duplici minori, ſicuti (ſalvo meliori judicio) cenſuimus primas Veſperas de hac eedem Die Octava debere eſſe integras, ſic & ex integro credimus dicendas ſecundas, cùm militet eadem ratio majoris dignitatis. Si vero hæc Dies Octava concurrat cum Feſto duplici majori, Veſperæ erunt de ſequenti, cum commemoratione de Die Octava, de Dominica, & de SS. Corpore Chriſti: licèt enim Dies Octava transferri faciat in occurrentia duplex majus, ei tamen cedit in concurrentia: ideoque ſi hæc Dies Octava incidat in diem decimam Junii, ut in Tabula decima Octava ordinis perpetui, Veſperæ ſunt integræ de Feſto duplici majori ſequenti S. Barnabæ Apoſtoli, cum commemorationibus, ut ſupra. Quòd ſi eadem Dies Octava concurrat cum alia Die Octava, ex ratione ſuperiùs allata majoris dignitatis, in ſecundis Veſperis de Die Octava SS. Trinitatis facerem commemorationem de alia Die Octava ſequenti, & de Dominica, ac de SS. Corpore Chriſti, quod tamen dictum ſit cum debita reverentia, quam præſtare nihilominus intelligo Rubricæ Generali Breviarii *titul.* 11. *de Concurren. Offic. ſub numer.* 7. At ſi ſæpè memorata Dies Octava concurrat cum ſequenti Feſto duplici primæ claſſis, Veſperæ erunt quidem de ſequenti, ſed cum ſola commemoratione de SS. Corpore Chriſti, non verò de Die Octava SS. Trinitatis, quia, non eſt privilegiata, neque de Dominica ex ſupe- 544

riùs dictis : Quare ſi hęc Dies Octava occurrat die vigeſima tertia Junii , ut in Tabula trigeſima prima ordinis perpetui , in Eccleſiis SS. Trinitati dicatis Veſperæ erunt de S. Joanne Baptiſta , cum ſola commemoratione de SS. Corpore Chriſti : Attamen ſi in dicta Die Octava occurrat duplex primæ claſſis, & die ſequenti fiat de Duplici minori ; Dies Octava adhuc meo judicio habet præcedentiam in commemoratione , adeo ut in ſecundis Veſperis de Feſto duplici primæ claſſis priùs facienda ſit commemoratio de Die Octava , deinde de Duplici minori ſequenti , & poſtea de SS. Corpore Chriſti : Non ſic tamen , ſi die ſequenti fiat de Duplici majori : unde occurrente Tabula trigeſima ſecunda , Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis , die vigeſimaquarta Junii , in qua occurrit Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti , in ſecundis Veſperis de S. Joanne , & non de Dedicatione illius Eccleſiæ eodem die occurrente , fit priùs commemoratio de ſequenti Feſto Diœceſano occurrente Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ , quod apud nos celebratur ſub ritu duplici majori , deinde de præcedenti Die Octava SS. Trinitatis , & poſtmodùm de SS. Corpore Chriſti : translato ibi Feſto propriæ Dedicationis , ex ſuperiùs dictis.

§. X.

§. X.

De iis, quæ ſpectant ad Diem Octavam SS. Corporis Chriſti.

Dies Octava SS. Corporis Chriſti celebratur ſub ritu duplici majori in colore albo. Habet primas Veſperas integras, ſi in Feria quarta præcedenti actum ſit de Die infra ejus Octavam, & in tali caſu dicuntur, ut in primis Veſperis Feſti, cum unica Oratione, niſi in dictam Diem Octavam incidat Feſtum ſimplex, quia tunc in his primis Veſperis fiet commemoratio de eo. Poſſunt tamen dari & aliæ commemorationes de una, vel pluribus Octavis ſimul occurrentibus, ut ſi hæc Dies Octava veniat die vigeſima octava Junii, ut in Tabula trigeſima ſecunda ordinis perpetui, Tridenti in Comitatu Tyrolenſi, die vigeſima ſeptima ejuſdem Menſis in primis Veſperis de dicta Die Octava SS. Corporis Chriſti fit commemoratio de Die quarta infra Octavam univerſalem S. Joannis Baptiſtæ, & de Die ſecunda infra Octavam ſpecialem S. Vigilii Patroni. Quòd ſi in Feria quarta actum ſit de Feſto duplici minori, vel etiam majori, aut de alia Die Octava alicubi occurrente, adhuc primæ Veſperæ de Die Octavą SS. Corporis Chriſti ſunt integræ tanquàm de digniori; cum commemoratione Duplicis præcedentis tanquàm de minùs digno. Si verò in ſæpè memorata Feria quarta occurrat Duplex primæ vel ſecundæ claſſis in ſecundis Veſperis de Feſto fit commemoratio de ſequenti Die Octava SS. Corporis Chriſti, ut clarè pa- 549

tet

tet ex Rubrica immediatè ante dictam diem Octavam in Proprio de Tempore, ubi ly *niſi fuerit ex ſolemnioribus*, intelligendum eſt de Feſto duplici utriuſque claſſis, primæ ſcilicet & ſecundæ: ideoque ſi hæc Dies Octava incidat in diem vigeſimamquintam vel trigeſimam Junii, ut in Tabula vigeſima nona vel trigeſimaquarta, in ſecundis Veſperis de Feſto duplici primæ claſſis S. Joannis Baptiſtæ, vel reſpectivè SS. Apoſtolorum Petri & Pauli fit commemoratio de ſequenti Die Octava SS. Corporis Chriſti: Idemque dicendum, ſi eadem Dies Octava veniat die decimaquarta vel decimaoctava Junii, ut in Tabula decimaoctava vel vigeſima ſecunda, nam Ulyſſipone in Luſitania fiunt ſecundæ Veſperæ de S. Antonio de Padua nuncupato, & in Congregatione Regulari Eremitarum S. Hieronymi dicuntur ſecundæ Veſperæ de Beato Petro de Piſis: utrumque enim Feſtum eſt ibi duplex ſecundæ claſſis, & utrobique fit commemoratio ſequentis Diei Octavæ.

Quoad Officium in ipſa Die Octava SS. Corporis Chriſti celebrandum, omnia dicuntur ut in Feſto, etiam quoad Lectiones primi Nocturni: ſed in ſecundo & tertio Nocturno Lectiones ſunt propriæ: nec tamen legitur nona Lectio de Feſto ſimplici occurrente. Si tamen occurrat Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, ut in Tabula vigeſima ſeptima ordinis perpetui, vel SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut in Tabula trigeſimaſecunda, legenda erit ad Matutinum nona Lectio de eadem Vigilia: attamen in hujuſmodi occurrentia de octava & nona Lectione Diei Octavæ facerem unam, deinde dicerem nonam Lectionem Vigiliæ: ſed hoc conſilium eſt, non præceptum, licèt & hoc moneat Rubrica Breviarii *tit.* 26. *de Lectionibus*, *ſub numer.* 3. ubi reverà ſic habetur circa nonam Lectionem de aliquo Sancto ſub ritu ſimplici celebrando in Feſto novem Lectionum: *Omiſſa nona Lectione in Officio*, *vel* (nota) *octavæ Lectioni adjuncta*: & huic Rubricæ adhæret Gavantus, qui 546

quando

quando in nona Lectione Feſti continetur aliquid ipſi Feſto conveniens, octavæ lectioni adjungi omninò debere nonam, licèt ſit hoc ad libitum, tenet *tom. 2. ſect. 5. cap. 12. ſub numer.* 18. ſed in noſtro caſu nona Lectio de Die Octava loquitur de SS. Sacramento: ergo videtur non omittenda, ſed adjungenda octavæ, & poſtmodum dicenda nona Lectio Vigiliæ. Ad Laudes nulla fit commemoratio, niſi occurrat Feſtum ſimplex, vel Vigilia, vel niſi facienda ſit commemoratio de aliqua Die infra aliam Octavam, ut ſupra vidimus in primis Veſperis hujus Diei Octavæ. Ad Primam verò in Reſponſorio brevi dicitur Verſiculus *Qui natus es de Maria Virgine*, ſine additione duorum *Alleluja*; & ad omnes Horas terminantur Hymni cum ſtropha *Jeſu tibi ſit gloria*. Quòd ſi hæc Dies Octava venerit die trigeſima Junii, ad Laudes fit priùs commemoratio de ſeptima Die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, deinde de Octava SS. Apoſtolorum cum Oratione utrique communi, quia translato Feſto duplici commemorationis S. Pauli, ſubintrat commemoratio de Apoſtolis ſimul ſumptis, & ideo ſub unica Oratione: & in tali caſu S. Joannes Baptiſta non amittit ſuam præcedentiam ſibi cæteroquin debitam ante Apoſtolos: quam præcedentiam verè amitteret, ſi ea die trigeſima Junii fieret de Commemoratione S. Pauli, nam ſtatim poſt S. Paulum fieri deberet commemoratio S. Petri, & ſic ante illam S. Joannis Baptiſtæ. Si verò Dies Octava SS. Corporis Chriſti incidat in diem primam Julii (ut hoc Anno 1734., in quo ſcribo) tunc S. Joannes Baptiſta prçcedentiam, quam diximus habere ante Apoſtolos, cedit reverenter Agno Dei, nam Officium eſt de Die Octava digniori SS. Corporis Chriſti, cum commemoratione de Die Octava, minùs digna S. Joannis Baptiſtç: & per ſolam commemorationem in ſimili occurrentia celebratur etiam Dies Octava Dedicationis Eccleſię ultimo loco, ut eodem Anno 1734.

1734. actum eſt Venetiis in Eccleſia Parochiali & Collegiata SS. Trinitatis, in qua ſemper die prima Julii occurrit dicta Dies Octava Dedicationis ejuſdem Eccleſię.

Quæ tamen hactenus dicta ſunt, intelliguntur dicta, ſi Officium integrum ſit de Die Octava SS. Corporis Chriſti, quæ licèt in multis exiſtat privilegiata, cedit tamen tam Feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quàm etiam alteri SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi alterutrum occurrat in ea, ut in Tabula vigeſima octava, & trigeſima tertia ordinis perpetui. At difficultas non ſtat in occurrentia dictorum duorum Feſtorum, cùm de his clarè loquatur Rubrica generalis in Breviario *tit.* 10. *de translat. Feſtor. ſub numer.* 1. ubi enumeratis Duplicibus transferendis, ſic ſubdit: *exceptis tamen Feſtis Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ in Die Octava Corporis Chriſti celebrantur:* Sed & Rubrica Miſſalis ſtatim poſt Feſtum SS. Corporis Chriſti ita clariùs habet: *In Die Octava non fit, niſi de Feſto S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi occurrant.* Difficultas igitur ſtat in hoc, an illa ſolummodò duo Feſta debeant celebrari, ſi veniant in dicta Die Octava? Vigore enim dictarum Rubricarum inſurgit Lonherus *in Inſtruct.* 2. *par.* 5. *tit.* 10. *ſub num.* 1. *litt.* K. & cum eo modernus Piſartus *tit.* 7. *ſub numer.* 5. & uterque pro virili tenent, hoc eſſe ſpeciale Privilegium dictis dumtaxat competens & ſolis duobus Feſtis ab utraque Rubrica diſtinctè nominatis. Attamen (ſi verum fateri volo) neuter ex illis ritè & rectè intellexit dictas Rubricas: iſtæ enim loquuntur de caſibus in Eccleſia Univerſali occurrentibus, in qua revera ſunt illa duo dumtaxat Feſta primæ claſſis: non tamen excludunt alia ſimilia in Eccleſiis particularibus occurrentia: & ideo illa duo Feſta ſtant pro exemplo, ut quid in ſimilibus ſit faciendum, diſcamus. Nec ly *niſi* in Rubrica poſitum, eſt indicativum Privilegii, ſed demonſtrativum e- 547

xem-

xempli, quaſi Rubrica dicat: *In Die Octava non fit, niſi de Duplicibus prima claſſis, prout in Eccleſia Univerſali ſunt iſta duo, Nativitatis S. Joannis Baptiſta, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Placet ergo tanquàm verior & tutior opinio Gavanti omnium Rubriciſtarum Magiſtri, Conſultoris Sacrorum Rituum, qui peritus in Arte *tom. 2. ſect. 3. cap. 8. ſub num. 24.* ſic doctè & fundatè ſentit: *Dies Octava Corporis Chriſti, licèt ſit digniſſima, ſi tamen ea die occurrat Feſtum Nativitatis S. Joannis, vel Apoſtolorum Petri & Pauli, ſola gaudet commemoratione, ob ſingularia merita Sanctorum Principum Eccleſia Chriſtiana toto orbe venerandorum* (nota tamen benè) *& eadem ratione fit Officium de Patrono Loci, ſi occurrat in dicta Die Octava Corporis Chriſti, quia eſt prima claſſis in Loco, ubi eſt Patronus: & idem dico de Titulo Eccleſia; & multo magis affirmarem de Dedicatione Eccleſia, ſi in eam Diem incideret, quia majus eſt Feſtum Dedicationis Eccleſia, quàm alicujus Sancti, juxta D. Thomam lect. 5. in cap. Joan. 10.* Nec deſunt Alii eandem opinionem tenentes: ſiquidem Bauldryus generaliter loquitur de omni & quocunque Duplici primæ claſſis, ſine oſtenſione duorum Feſtorum in prælibatis Rubricis nominatim expreſſorum: nam *in Man. Sacrar. Caremoniar. lib. 4. cap. 16. artic. 1. ſub num. 4. pag. 268.* hiſce præciſis verbis conſtanter ait: *In Die Octava ejuſdem Feſti fit tantùm de Feſto duplici prima claſſis;* deinde cum eadem generali locutione, immediatè ſic proſequitur: *& ſi fit de Feſto prima claſſis, fit tamen ſemper commemoratio de Octava*: Et patet ex ſuperiùs dictis, *§. 6. ſub num. 520. ubi Decretum.* 548

Patet ex dictis, quòd ſi in dictam Diem Octavam SS. Corporis Chriſti incidat Feſtum Commemorationis S. Pauli Apoſtoli occurrens die trigeſima Junii, ut in Tabula trigeſima quarta ordinis perpetui, in Eccleſia eidem S. Paulo dicata fiet proculdubio de ſuo Titulari tanquàm de duplici primæ claſſis, ſed in Laudibus & in Miſſa commemoratio de Die Octava facienda erit poſt commemo- 549

memorationem S. Petti, ex ratione ſuperiùs allata cùm de Diebus infra hanc Octavam recurrentibus ſermo erat. Quòd ſi eo anno, quo in hac Die Octava occurrit Feſtum duplex primæ claſſis; occurrat etiam Vigilia vel Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; nihil fit de Vigilia in Laudibus; neque in Miſſa, ex Rubrica Breviarii *tit. 6. de Vigiliis*, *ſub. numer.* 2. & ex altera Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub nu.* 2. & conſequenter omittuntur illæ duæ Miſſæ ſolemnes, de quibus loquitur ſecunda præcitata Rubrica, quia primò ſupponit Officium non impeditum de die Octava, deinde circa finem excipit caſum Feſti duplicis primæ claſſis. Jejunium verò in dictum duplex primæ claſſis ex tunc incidens, eadem die ſervandum eſt licèt Feſtum ſit de Patrono Loci, cujus ratione Aliqui vellent anticipatum, ne contaminetur ſolemnitas in Menſa, ad quam nullus habendus eſt reſpectus, ſine facultate Apoſtolica: Anticipatio enim Jejunii non fit niſi vigore Rubricarum, vel quando occurrit in Dominica, vel quando Feſtum SS. Corporis Chriſti venit in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ: caſus autem ſpecialis non traditur in exemplum: & quod fit per Privilegium, ſine illo fieri non poteſt, *leg. Jus ſingulare* 15. *ff. de leg.* Baldus *conſil.* 281. *ſub numer.* 3.

Sicuti autem in Die Octava SS. Corporis Chriſti fit de omni & quocunque Feſto duplici primæ claſſis occurrente, cum commemoratione de Die Octava, ſic excluditur Feſtum duplex ſecundæ claſſis quantumvis occurrens, nam illa duo Feſta S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum, quorum nominationem diximus ſtare pro exemplo, dant etiam exemplum cujus ritus debeat eſſe Feſtum occurrens, ad hoc ut celebrari valeat in dicta Die Octava. ſed ipſa ſunt duplicia primæ claſſis: ergo ſola duplicia primæ claſſis occurrentia ſunt celebranda. Itaque Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *ſub numer.* 24. poſt illatum ex prædictis duobus Feſtis à Rubrica nominatim expreſſis certum & tutum 550

lo-

locum cuivis Duplici primæ claſſis occurrenti in hac Die Octava, ſtatim peritus addit: *Feſta verò ſecunda claſſis cedere debent prædicta Diei Octavæ*. Michael quoque Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 16. *artic.* 1. *ſub num.* 4. *pag.* 268. admiſſo in Die Octavæ generaliter quocunque Duplici primæ claſſis occurrente, excludit Feſta claſſis inferioris, ſtatim idcircò ſubdens: *& non alterius ritus*: & vide ad hoc ſupra allatum §. 6. *ſub numer.* 520. Quæ quidem Feſta ſecundæ claſſis alicubi hodie occurrentia, debent neceſſariò transferri: quapropter, ſi Dies Octava venerit die decimatertia, vel decimaquarta, aut decimaſeptima Junii, ut in Tabula decimaſeptima, vel decimaoctava, aut vigeſimaprima: in primo caſu Minores S. Franciſci, tam Obſervantes, quàm Reformati, & Capuccini transferunt Feſtum S. Antonii de Padua nuncupati, quod ipſi celebrant ſub ritu duplici ſecundæ claſſis: Carmelitæ verò Diſcalceati transferunt in ſecundo caſu Feſtum S. Eliſæi Prophetæ, quod apud eoſdem ritum habet eundem: In tertio denique caſu Regulares Eremitæ S. Hieronymi transferunt Feſtum Beati Petri de Piſis, quod in eorum Eccleſiis eſt duplex ſecundæ claſſis.

§. XI.

§. XI.

De iis, quæ ſpectant ad Miſſam, & Veſperas in Die Octava SS: Corporis Chriſti.

Miſſa in Die Octava SS. Corporis Chriſti eadem eſt, quæ & in Feſto, cum *Gloria*, & cum unica Oratione, niſi occurrat Feſtum ſimplex, nam eo caſu ſecunda Oratio erit de eo: ſed & aliæ occurrere poſſunt commemorationes, de quibus ſupra in Officio ad Laudes. Poſt Epiſtolam dicitur *Sequentia*, & poſt Evangelium *Credo*, cum Præfatione *Quia per incarnati Verbi myſterium*. Miſſa tamen ſolemnis dicenda eſt cum Miniſtris, ſeu, cum Diacono & Subdiacono, prout toleratis Diebus infra Octavam ex conſuetudine Eccleſiæ, hodie tamen adhibendos eſſe, expreſsè reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Alexandrina*, *anno* 1608. *ſub die* 15. *Martii*, apud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Miſſa Conventualis*, *Collect.* 477. *ſub num.* 6. & noviſſimè refert etiam P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 80. Quòd ſi hac die occurrat Vigilia, vel S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut in Tabula vigeſimaſeptima vel trigeſimaſecunda ordinis perpetui, ſit de ea commemoratio in Miſſis privatis de Die Octavà, cum ejus Evangelio in fine: attamen in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis cantantur duæ Miſſæ, una de Die Octava poſt Tertiam ſine commemoratione Vigiliæ, & cum Præfatione Octavæ: altera verò de Vigilia poſt Nonam in 551

colore

colore violaceo, ſine commemoratione Octavæ, & cum Præfatione communi, juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub numer.* 2. Incidente autem Die Octava in diem trigeſimam Junii, ut in Tabula trigeſimaquarta; invertitur ordo commemorationum, nam translato Feſto Commemorationis S. Pauli, in quo commemoratio S. Petri fit ante commemorationem S. Joannis Baptiſtæ, in caſu propoſito, S. Joannes Baptiſta ſuam reaſſumit debitam præcedentiam: ut ſuperius diximus faciendum eſſe, cum de Laudibus ageremus; & qui ratione inſeparabilitatis ceſſerat S. Petro, habet in tali occurrentia locum ante Apoſtolos, quos nihilominùs unitos ſtatim poſt ſe relinquit commemorandos, cum Oratione utrique communi: quare in Miſſa de Die Octava ſic occurrente, ſecunda Oratio erit de S. Joanne Baptiſta, & tertia de Apoſtolis, juxta Rubricam poſitam in fine Miſſalis inter Orationes diverſas, ubi dicitur, quòd in Oratione *A cunctis* nomen S. Joannis Baptiſtæ præponitur Apoſtolis: & in Litaniis locum habet ab eis.

Quia tamen hæc Dies Octava SS. Corporis 552
Chriſti poteſt eſſe impedita Feſto duplici primæ claſſis occurrente, ut ſatis ſuperque probavimus in ejus Officio, in hujuſmodi occurrentia etiam Miſſa erit de eodem Feſto, cum commemoratione de Die Octava. At ſi ſimul veniat Vigilia, in dicta Miſſa de Feſto non fit commemoratio Vigiliæ, juxta Rubricam Miſſalis *tit.* 3. *de Fer. & Vigil. ſub numer.* 2. ubi revera ſic clarè habetur: *Quòd ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea.* In unico tamen caſu hæc Dies Octava impedita Feſto duplici primæ claſſis, licèt ſit privilegiata, ſuum cedit locum in commemorationibus Miſſæ, nam ſi hodie occurrat Dies trigeſima Junii, in Eccleſia S. Paulo dicata (in qua ex dictis celebratur Feſtum Titulare) fit priùs commemoratio S. Petri, deinde Diei Octavæ, & hoc vigore Rubricæ poſitæ ſub die decima octava Januarii in Proprio de San-

ctis, ex qua clarè infertur hujuſmodi ordo commemorationum. In Miſſa tamen de Duplici primæ claſſis occurrente in Die Octava dicitur Præfatio de eadem Octava, niſi Feſtum habeat propriam: unde in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in dictam Diem Octavam incidente, dicitur univerſaliter Præfatio *Te, Domine, ſuppliciter exorare*; Meſſanæ verò in Sicilia, ſi Dies Octava occurrat die tertia Junii, ut in Tabula ſeptima ordinis perpetui, dicitur Præfatio de Beata Maria *Et te in Feſtivitate*, nam eo die celebratur ibi ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum occurrens Deiparæ à Sacris Litteris nuncupatæ. Notandum denique eſt, quòd ſi eo Anno, in quo hæc Dies Octava impedita eſt Feſto duplici primæ claſſis, facienda ſit expoſitio SS. Sacramenti ratione Orationis quadraginta Horarum, Miſſa erit proculdubio de Feſto, cum commemoratione Diei Octavæ, ſed non (ut reor) ſub unica concluſione, quia hodie Oratio SS. Sacramenti non eſt Votiva, ſed commemoratio occurrens.

At concludamus hanc Diem Octavam SS. Corporis Chriſti cum ſecundis ejus Veſperis. Hæ igitur nihil habent ſpecialitatis, ſed totum dicitur in eis, ut in ſecundis Veſperis Feſti. Vix autem contingere poteſt, quòd nulla facienda ſit commemoratio de ſequenti, cùm vel ratione duarum præcedentium Octavarum privilegiatarum, Pentecoſtes ſcilicet & ipſius SS. Corporis Chriſti, ſæpiſſimè habeantur reponenda Officia tranſlata, vel celebranda ſint occurrentia. Cùm ideò illa Feria ſexta ſit ſemper impedita, videndum modò eſt, quomodo regulandæ ſint hæ ſecundæ Veſperæ de eadem Die Octava in multiplici diverſi ritus concurrentia. Itaque ſi die ſequenti fiat de Feſto ſemiduplici, vel duplici minori, aut etiam majori, Veſperæ erunt ex integro dicendæ de Die Octava, cum commemoratione ſequentis: & ſi unà cum illo Feſto occurrat Simplex, ſecunda commemoratio fiet de eo, admiſſis etiam ſuo loco aliis 553

com-

commemorationibus de Diebus infra alias Octavas, vel universales, ut S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi ſimul occurrant, vel etiam ſpeciales alicujus Diœceſis aut Religionis. Si verò in dicta Feria ſexta agatur de Duplici primæ vel ſecundæ claſſis, Veſperæ dicentur de ſequenti, cum commemoratione de præcedenti Die Octava, quæ cùm ſit privilegiata, non amittit in ſecundis Veſperis ſuam commemorationem in concurrentia cum Feſto duplici primæ claſſis ſequenti, ſicuti amittit alia quæcunque Dies Octava communis: Quapropter ſi Dies Octava occurrat die decimaſexta Junii, ut in Tabula vigeſima ordinis perpetui, in Congregatione Regulari Eremitarum S. Hieronymi dicuntur primæ Veſperæ de ſequenti Feſto Beati Petri de Piſis, quod apud ſuos celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis: & eodem die Piſis in Tuſcia Veſperæ ſunt de S. Raynerio Urbis Patrono ſub ritu duplici primæ claſſis: utrumque enim Feſtum occurrit die decimaſeptima ejuſdem Junii, & utrobi-
55 que fit commemoratio de Die Octava præcedenti in caſu propoſito.

At ſi in Die Octava SS. Corporis Chriſti occur- 554
rat Feſtum duplex primæ claſſis, & in Feria ſexta ſequenti fiat de Duplici minori vel etiam majori, in ſecundis Veſperis de illo duplici primæ claſſis fit priùs commemoratio de Die Octava, deinde de ſequenti Duplici minori vel etiam majori, nam præcedentiam, quam Dies Octava non poteſt habere quoad totum ratione impedimenti, debet habere quoad partem ratione privilegii: quare ſi Dies Octava incidat in diem vigeſimam quartam Junii, ut in Tabula vigeſima octava ordinis perpetui, Venetiis in ſecundis Veſperis de S. Joanne Baptiſta fit priùs commemoratio de Die Octava, deinde de Feſto Diœceſano occurrente Apparitionis S. Marci Evangeliſtæ, quod nos celebramus die vigeſima quinta ejuſdem Menſis ſub ritu duplici majori. Quòd ſi Dies Octava occurrat die vigeſima

nona Junii, ut in Tabula trigeſima tertia, in Eccleſia S. Paulo dicata ſunt quidem primæ Veſperæ integræ de Titulari, ſed fit priùs in eis commemoratio S. Petri, & poſtea de Die Octava; ex ratione alibi allata. Si verò dicta Dies Octava SS. Corporis Chriſti veniat die trigeſima Junii, ut in Tabula trigeſimaquarta, in ſecundis Veſperis de eadem Die Octava fit priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ in Eccleſia Univerſali, deinde de Apoſtolis, tum quia tranſlato Feſto Commemorationis S. Pauli, Dies Octava S. Joannis eſt duplex, commemoratio autem Apoſtolorum eo caſu non eſt duplex, ſed ſemiduplex: tum etiam, ſi impedimento ceſſante ageretur dicta die trigeſima de Commemoratione duplici S. Pauli, adhuc, diviſis Veſperis à Capitulo, Oratio S. Joannis eſſet ante Apoſtolos, ut docet Rubrica Breviarii: At ſi dicta Dies Octava SS. Corporis Chriſti occurrens dicta die trigeſima Junii, concurrat alicubi cum Die Octava Dedicationis Eccleſiæ, in ſecundis Veſperis de Die Octava privilegiata fit priùs commemoratio de Die Octava S. Joannis, deinde de Die Octava Dedicationis, & ultimo loco de Apoſtolis.

Quia tamen Dies Octava SS. Corporis Chriſti poteſt etiam occurrere die prima Julii, (ut hoc Anno 1734. in quo Scribo, & utor Tabula trigeſimaquinta) ſicuti primæ Veſperæ heri erant de dicta Die Octava SS. Corporis Chriſti, cum commemoratione priùs de Octava Die S. Joannis Baptiſtæ, deinde de Apoſtolis ſub unica Oratione utrique communi: ſic ſecundæ Veſperæ de eadem Die Octava privilegiata debent eſſe integræ, cum commemoratione de Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis, licèt ejus Feſtum in Eccleſia Univerſali ſit duplex majus, deinde fit etiam commemoratio de Die Octava S. Joannis, & Apoſtolorum, ac Feſti ſimplicis. Ubi autem die prima Julii occurrit Dies Octava Dedicationis Eccleſiæ, fit de ea commemoratio poſt commemorationem S. Joannis. In 555

illis

Illis verò Locis, in quibus Feſtum Viſitationis Beatæ Virginis Mariæ eſt duplex ſecundæ claſſis (ut Recineti in Marchia Anconitana, Senogalliæ in Ducatu Urbinatenſi, Lycii in Apulia, & Aſſuriæ in Hiſpania) ibi die prima Julii Veſperæ ſunt de ſequenti Viſitatione, cum commemoratione de præcedenti Die Octava SS. Corporis Chriſti, poſtea de Die Octava S. Joannis Baptiſtæ, non verò Apoſtolorum, nec Feſti ſimplicis. Ubi tamen dictum Feſtum Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis eſt duplex primæ claſſis, (ut Laureti in Marchia Anconitana, Auguſtæ Vindelicorum in Svevia, Pragæ in Bohemia, Zamoræ, ſeu Sentinæ in Hiſpania, & in Eccleſiis Titularibus) in omnibus prædictis Civitatibus & Eccleſiis Veſperæ ſunt de ſequenti, cum commemoratione de præcedenti Die Octava SS. Corporis Chriſti, quia eſt privilegiata, & ideo nihil de Die Octava communi S. Joannis Baptiſtæ, & multò minùs de Apoſtolis, & de Feſto ſimplici SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani.

At quia diximus ſupra in ſecundis Veſperis Feſti, quòd tunc inchoabat expoſitio SS. Sacramenti, continuanda per totam Octavam: hodie idcircò in ſecundis Veſperis perficitur hoc Expoſitionis 556
557 Octavarium, ubi ſcilicet mos eſt & conſuetudo. Solitum etiam eſt Octava Die hujus Feſti poſt Veſperas fieri Proceſſionem ad reponendum SS Sacramentum, quæ non tam ſolemnis, & longa via, ut prima (de qua fusè in Capite ſexto ſequenti diſſeremus) ſed vel per Eccleſiam, vel parùm extra eam fieri debet, in qua ſi Epiſcopus intereſſe voluerit, debet cum Pluviali SS. Sacramentum portare, & tam in principio, quàm in fine Proceſſionis illud thurificare, & alia facere quæ ſunt facienda: & demùm Diaconus debet in fine illud includere, & reponere in Tabernaculo, ubi ſolet continuè aſſervari, ut verbis utar Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. §. 34. *pag. mihi* 415. Non debet autem unus Officium Veſpe-

rarum peragere in hac Die Octava, & alter SS. Sacramentum in Proceſſione deferre, ſed deferendum eſt ab ipſo Sacerdote, qui Veſperas cantavit, modò ſit ſaltem Canonicus in Collegiatis, ut decrevit *Sacra Rituum Congregatio ſub die* 12. *Junii* 1627. apud Gavantum *in Manuali Epiſcopor. verb. Proceſſio*, *ſub numer.* 33. & refert etiam Urſaya *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 2. *par.* 2. *diſceptat.* 2. *ſub num.* 88. *&* 90. In regreſſu Proceſſionis, repoſito SS. Sacramento ſuper Altare, cantatur *Tantum ergo*, *&c.* quo finito, ad Verſiculum *Panem de Cœlo* additur *Alleluja*, quæ quidem additio convenit cuique repoſitioni in tota hac Octava. Mox Celebrans erectus, abſque nova genufleſſione, Miniſtris Librum ſuſtinentibus, & omiſſo Verſiculo *Dominus vobiſcum*, cantet Orationem manibus junctis, & aliis ſervatis de more, debitis reverentiis, det cum Oſtenſorio Benedictionem Populo. Eliminandus eſt ergo abuſus Sacerdotum illorum, qui actu benedicunt cum SS. Euchariſtia, dum in Choro cantantur verba illa Hymni, ſcilicet, *Sit & benedictio*, ut benè advertit Baruſfaldus *in Commentar. ad Rituale Romanum*, *tit.* 80. *ſub num.* 61. *pag.* 341. ubi ad rem citat Sarnellium, qui eruditiſſimus Auctor *Epiſtolar. Italicar. tom.* 7. *Epiſt.* 58. *ſub num.* 10. *pag.* 116. ſic revera habet, ut modò lego, ſcilicet: *Vanno dunque errati coloro, chè dovendo dare la benedizione colla SS. Eucariſtia nell'Oſtenſorio, aſpettano, che ſi cantino dal Coro quelle parole dell' Inno appunto di S. Tommaſo*, Sit & benedictio, *non conſiderando, che quelle parole ſono dirizzate in lodè della SS. Trinità, e però non ſignificano benedizione, ma lode, e rendimento di grazie: Si deve dunque dare la benedizione al Popolo, finita l'Orazione.* Et reverà quando eſſent cantaturi Orationem? Forſan poſt benedictionem. Abſit omninò. Inutilis quoque eſt, & nihil ſignificans geſtus ille intereſſentium huic Proceſſioni, per quos fit manu ſignum Crucis ad prædicta verba Hymni, nam de Benedictione materiali tunc non eſt

ſermo,

ſermo, & illa verba diriguntur ad SS. Trinitatem, ait Baruffaldus *loco proximè citato*.

Poſt ea, quæ diffusè diximus de Feſto SS. Corporis Chriſti, & de tota ejus Octava, unum tantùm reſtat, ut ſcilicet in compendium redigantur ea Privilegia, quibus hæc eadem Octava gaudet & potitur. Sicuti enim in Sacris Hiſtoriis breves notæ marginales faciliùs & utiliùs mandant memoriæ, quæ longo elocutionis tractu in libris leguntur; ſacrique Oratores, dum reſtringunt in Peroratione argumenta diſertis facundiæ verbis in Oratione protracta, magis magiſque inſtruunt Auditores, ſic in Sacris Ritibus, reſtricta rerum ſeries magnoperè juvat Rubricarum ſtudioſos. Hæc igitur Octava eſt privilegiata, quia in ſuo Feſto principali excludit Miſſam cantatam de quavis Feſtivitate occurrente & transferenda, nec rationem admittit cujuſvis populi Concurſus ad eam celebrandam: Quia in eodem præcipuo Feſto non recipit Votivas ſolemnes, licèt pro re gravi, nec pro Defunctis, licèt in Die Obitus: Quia infra Octavam non acceptat Feſtum ſemiduplex quamvis occurrens, nec illud transfert in Feriam ſecundam quantumvis non impeditam, ſi fortè occurrat in Dominica: Quia ſolis receptis Duplicibus occurrentibus, ulteriùs poſt eam conſignat celebranda translata, niſi ſint primę vel ſecundę claſſis: Quia in Vigiliis infra ipſam occurrentibus non vult amittere ſuam Miſſam ſolemnem, ut in ſimilibus deperdunt Octavę communes, ſed duas requirit cantandas, de Octava ſcilicet & de Vigilia: Quia in nullo Officio, licèt primę claſſis, ſuam amittit commemorationem in Veſperis, in Laudibus, & in Miſſa: Quia ſolis admiſſis Votivis ſolemnibus pro re gravi, prohibet Votivas privatas, & de *Requiem*, nec non ſolemnes in Anniverſario Defunctorum: Quia ad Matutinum non acceptat nonam Lectionem de Feſto ſimplici occurrente, & ſolùm ei concedit commemorationem in Laudibus: Quia Dominicę infra eam oc- 557

renti nihil tradit de Pſalterio, ſed totum de Feſto principali, preter propria: Quia Miſſę de Die ſuffragantur; ac ſi eſſent celebratę pro Defunctis de Requiem in Altari Privilegiato: Quia in Die Octava, ſolis admiſſis duplicibus primę claſſis occurrentibus, non recipit alia duplicia inferiora: Quia unicam habet Miſſam quotidie celebrandam cum Sequentia: Quia denique in Eccleſia SS. Trinitati dicata, locum habet precipuum.

Habes, Lector Eccleſiaſtice, Octavam, & ultimam ex Privilegiatis. Utinam fruar ergo privilegio tuę benevolentię, ſicuti tuę ſtudui utilitati. Accipe benignius, quę pro te ſcripſi attentiſſimus. Nullum in mente habui laudationis deſiderium, totam retinui juvandi cupiditatem. Quidquid boni in toto Opuſculo inveneris, ut libenter accipias, magis, magiſque rogo: Deumque Optimum Maximum pro me deprecare, ut ſi ejus ſit voluntatis ut adhuc vivam, non recuſabo laborem pro alio novo Opuſculo, tibi, ut reor, pergratum, de aliis ſcilicèt Octavis, quę in Eccleſia Univerſali itidem celebrantur, & nuncupantur communes: ubi nonnulla reperies, ſcitu digna, quę etiam ad ſpeciales Diœceſum & Religionum Octavas pertinere cognoſces, & appellantur Octavę Patroni Loci, Titularis Eccleſię, ejuſdemque Dedicationis. 558

Dicta Privilegia, ſicut prefertur, relata, ſunt univerſalia: majus autem particulare Privilegium habent Carmelitę Excalceati utriuſque Congregationis, Hiſpanicę ſcilicet & Italicę, quod hiſce noviſſimis diebus ſunt conſecuti, ut clarè patet ex Decreto tenoris ſequentis, videlicet: = *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hiſpaniæ & Italiæ*: = *Cùm in tota Religione Ordinis Carmelitarum Excalceatorum maxima ſolemnitate, ac Fidelium devotione quotannis Feſtum, & Octava SS. Corporis Chriſti celebretur: Propterea Procuratores Generales Congregationum Hiſpaniæ & Italiæ Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ad magis promovendum* 559

Cul-

Cultum erga Auguſtiſſimum Sacramentum, *Sacra Rituum Congregationi humillimè ſupplicarunt*, *quatenùs benignè indulgere dignaretur*, *ut in univerſo earundem Ordine Octava SS. Corporis Chriſti in poſterum ſit Privilegiata*, *ita ut per totam Octavam de illa celebrari valeat*. Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Belluga, *gratiam petitam*, *exceptis Feſtis primæ claſsis*, *benignè conceſsit*: *Die* 21. *Aprilis* 1736. Hoc Decretum, prout ſupra ſtat & jacet, Domi aſſervo in forma authentica, cum ſolito Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſſimi D. Secretarii.

DE

DE
PROCESSIONE SOLEMNI
IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

CAPUT SEXTUM & ULTIMUM.

ANtequàm deveniamus ad actum Pro- 560
ceſſionis, quę ſit ſolemniter in Feſto SS. Corporis Chriſti, opportunum cenſemus, ut aliquid priùs dicamus de ejus Inſtitutione: & cùm Auctores inter ſe non conveniant, videamus, quęnam ſit, cum qua convenire debeamus, probabilior opinio. Licèt igitur Urbanus Quartus inſtituerit Feſtum SS. Corporis Chriſti, ut ſatis ſuperque conſtat (nemine contradicente) ex ſuperiùs dictis in ipſo Die Feſti, non tamen videtur Aliquibus inſtituiſſe etiam Proceſſionem, eorumque ratio fundatur in Bulla ejuſdem Urbani, in qua profectò (ut patet mihi & cuique legenti) De Proceſſione altum eſt ſilentium, & obſervat Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr.* 2. *capitul.* 81. *pagin.* 365. quòd *Urbanus Quartus nihil meminit de Proceſsione in Bulla, neque S. Thomas in ſuis de hoc Feſto Opuſculis*. Et hoc quoque adnotat Franciſcus Pagi in ſuo eruditiſsimo Breviario, *tom.* 3. *de geſtis Urbani IV.* §. 21. *pagin.* 309. *juxta edit. Venet. de Anno* 1730. nam ibi ſic expreſsè loquitur: *Caterùm de ſolemni hujus Diei Proceſsione minimum quidem verbum habetur in Urbani Quarti Bulla, qua hanc Solemnitatem inſtituit*; addit verò ſtatim: *Non diù tamen poſt Feſti erectionem, inſtitutam fuiſſe, docent antiqui Libri, & Rituales circa iſta tempora ſcripti, ut aſſerit Edmundus Martene in Tract.*

in Tract. de antiq. Eccleſ. diſcipl. capitul. 2. Ex his Auctores videntur non adhęrere opinioni, quòd ſit Urbana Proceſsionis Inſtitutio: & eo magis, quia Grancolas *loco ſupra citato* conſtanter tenet, quòd hęc Proceſsio in Gallia ſeu Pariſiis incępta ſit anno 1310. in Italia verò ſeu Papię anno 1404. Sed quid ex hoc? Ergo forſan Urbanus non inſtituit? Feſtum ipſum SS. Corporis Chriſti ex ſuperiùs dictis inceptum eſt Leodii: ergo non inſtituit Urbanus? Illę erant Functiones ſpeciales, iſta eſt Inſtitutio generalis. Attamen videamus quid alii ſentiant.

Quamvis igitur Bulla Urbana nihil reverà dicat de Proceſsione, non deſunt tamen Auctores abſque hęſitatione ſentientes, utrumque eodem tempore fuiſſe inſtitutum, Feſtum ſcilicèt & Proceſſionem: Henricus enim Spondanus *in Continuat. Annal. Cardin. Baronii*, *tom.* 1. *circa Ann.* 1264. *ſub numer.* 1. ita clarè ad rem habet, ſcilicet: *Urbanus Quartus Sacratiſsimi Corporis Chriſti ſolemnitatem annuatim quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes perpetuis temporibus* (nota) *cum ſolemni Suplicatione celebrandam indixit*: ubi nomine Solemnis Supplicationis nemo eſt, qui non intelligat Proceſsionem. Idem quoque ſentit Quartus in ſuo egregio Tractatu de Proceſsionibus *ſect.* 2. *punct.* 11. *pagin.* 28. *juxta edit. Venet. de Anno* 1727. ubi abſolutè incipit ab unione utriuſque Sacrę Functionis: ait enim: *Solemne Feſtum Corporis Chriſti* (nota) *eique adjunctam triumphalem Proceſsionem primò inſtituit Sanctiſsimus Pontifex Urbanus Quartus*: Si primò inſtituit, ergo hęc ſolemnis Proceſſio ab eo ordinata eſt. 561

Duobus prædictis Auctoribus alios duos addendos eſſe cenſemus, ut ex pluribus & quidem digniſſimis id ipſum ſentientibus, clariùs appareat Urbana Proceſſionis Inſtitutio. Jacobus itaque Eveillon, Canonicus Eccleſiæ Andegavenſis, infert prudenti ratiocinatione, quòd ex inſtitutione Feſti SS. Corporis Chriſti neceſſariò veniat ſimul- 562

tanea Proceſſionis inſtitutio: Idcircò dum Auctores contrariam opinionem tenentes, nullum alium certum nominant Inſtitutorem, huic eruditiſſimo Canonico ſtandum eſſe, ejuſque benè fundatam ſententiam amplectendam eſſe adjudicamus. Hic igitur digniſſimus Auctor, in Sacris Ritibus optimè verſatus, ſic in ſuo Libro, quem difficilè reperiendum ego tamen præ manibus modò teneo, cui titulus, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, *cap.* 25. *pag.* 266. *juxta*, *edition. Pariſien. de Anno* 1651. ſic benè ait, & benè probat, nonnullis & quidem graviſſimis in ſui favorem citatis: *De Proceſſione autem SS. Sacramenti nonnulli dubitant, an ab Urbano ſimul cum ipſo Feſto inſtituta fuerit, quòd de illa ab eo in ſua Conſtitutione non fiat mentio: quaſi verò Summi Pontifices ſoliti ſint in Feſtorum inſtitutionibus de ſingulis Officii Eccleſiaſtici partibus ſpeciatim praſcribere: Sed probabiliùs videtur: utrique idem fuiſſe initium: quippè cùm publica Proceſſio ex communi Eccleſiæ uſu ad Feſti ſolemnitatem pertineat. Urbano autem in Inſtitutione ea mens fuit, ut omni genere ſolemnitatis, & plenè, ut loquitur, hoc Feſtum celebraretur. Et certè plauſus ille Populorum, & publica omnium ordinum tripudiatio, exultatio, & jubilatio, quæ in celebratione hujus Feſti commemorantur ab Urbano, non æquè videntur poſſe convenire Divinis Officiis, quæ ſtatariè in Choro à ſolis Clericis canuntur, ac pompè ipſa Proceſſionis*. Voluit igitur Urbanus, ut plenè hoc Feſtum celebretur: Sed hæc Solemnitatis plenitudo clarè continet etiam hanc Proceſsionem: Ergo inſtituendo Feſtum, Proceſſionem ſimul inſtituit. Et hoc noviſſimè intellexit Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. titul.* 80. *ſub numer.* 2. *&* 4. *pagin.* 335. *juxta editionem primò Venetiis factam anno* 1731. ubi, auditis priùs Partibus, (ut tenendum eſt de Viris prudentibus & eruditis) ſeu rationibus utriuſque opinionis, habet verba tenoris ſequentis, ſcilicet: *Hæc Proceſſio primò inſtituta fuit ab Urbano Quarto Summo Pontifice: eſtque omnium ſolemniſſima, &*

ma, & celebratur in Univerſali Eccleſia, Feria quinta poſt Feſtum SS. Trinitatis, peracta jam Octava Pentecoſtes (nota) *ex ejuſdem Urbani inſtitutione in ipſo Feſto Corporis Chriſti.*

Hæc igitur ſecunda ſententia mihi magis pro- 563
batur tanquàm verior: ſiquidem una eſt & eadem ſacra Functio, Miſſa ſcilicèt & Proceſſio, ita ut qui extra Cathedralem ſolemniter celebrat, debeat etiam neceſſariò SS. Sacramentum in Proceſſione deferre; ut ex inferiùs dicendis clarè patebit: imò & in Cathedrali, ſi Epiſcopus ſit impeditus, & ideò non interveniat. Unde non video cur tam facile negari poſſit, utrumque fuiſſe ſimul ab Urbano Quarto inſtitutum. Quòd ſi hæc Proceſſio eſt præcipua hujuſce Feſti cæremonia, ut ait Grancolàs *in Commentar. ad Breviar. Roman. libr. 2. capit. 81. verſ. Quoad Proceſſionem, pagin.* 365. non eſt cenſendum, quòd Urbanus omiſerit quod præcipuum eſt, dum ipſe in laudabili Conſtitutione tot exhortationibus curat, ut plenè ſolemnizetur hoc Feſtum: ex eo autem, quòd Bulla non fuerit ſtatim recepta, non validè infertur Inſtitutionem Proceſſionis non factam fuiſſe ab Urbano: Nec officit, quòd Durandus, qui ſcripſit poſt annos dumtaxat vigintiduos à publicatione Bullæ, nihil dicat de Feſto SS. Corporis Chriſti, nam ratio ſilentii non eſt ratio non Inſtitutionis: Tacuit autem Durandus, quia nondum viderat Bullam ubique acceptatam, & hoc ob bellicos tumultus, quibus penè tota Europa agitabatur, ut ajunt Franciſcus Pagi, & Henricus Spondanus *locis ſupra citatis*. Facit etiam ad rem, quòd reſtituta Europæ pace, Clemens Quintus confirmavit Conſtitutionem Urbanam de verbo ad verbum, & ſine additione Proceſſionis, ut videre eſt *in Clement. unic. de Reliq. & vener. Sanctor.* Dum ergo confirmavit ſine illa additione, & Feſtum poſtea celebratum fuit ſemper cum Proceſſione, dicendum eſt, Urbanum Quartum utrumque ſimul inſtituiſſe.

§. I.

§. I.

De Præcedentia in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

PRæmiſſis , quæ ad hujus Proceſſionis inſtitu- 564
tionem pertinebant , occurrit modò dicendum de Controverſiis , quæ perſæpè oriuntur ratione Præcedentiæ . Hæ autem Controverſiæ ſunt quidem prudenter dirimendæ , ut dato pacificè cuicunque ſuo loco , abſque præſenti ejuſdem Præcedentiæ contentione , modeſtè in Proceſſione procedatur , & cum quiete . Sanè cùm Præcedentia proveniat à Deo , à Natura , à Lege , ut allata trinæ propoſitionis ratione , benè diſſerit Scarſantonius *in Animadverſ. ad Elucubrat. Canonic. Jac. Ceccoperii* , *par.* 1. *pagin.* 2. *ſub num.* 13. poteſt idcircò unuſquiſque ſuum locum prætendere , nec debet de facili illum alteri cedere : Et cùm ſit juſtitiæ diſtributivæ unicuique ſuum dare , eſt etiam cujuſcunque ſuum prætendere pro virili . Non enim loca digniora quæruntur propter ambitum , ſed propter finem obſervandi debitum ordinem , quod eſt laudabile , & Juri conſonum : ſunt verba Bordoni *de Præceden. ſub num.* 6. & ex eo refert Urſaga *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 4. *part.* 2. *diſceptat.* 25. *ſub numer.* 37. Quapropter Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capitul.* 33. §. 4. *pagin. mihi* 405. intelligit , quòd circa hujuſmodi Præcedentiam nullum inferatur Partibus præjudicium : ait enim , *quòd ſi aliqua Præcedentia lis inter aliquos Religioſos , Confraternitates , ſeu Laicos pendeat , quæ non ita de facili terminari valeat , poterit Epiſcopus mandare , ut* (nota) *abſque præjudicio Jurium ambarum Partium , vel procedant ſecundùm ordinem in Rotulo deſcriptum , vel omninò*

ab

ab hujuſmodi Proceſsione abſtineant, donec lis fuerit determinata. Ut autem ſuum unuſquiſque retineat locum in Proceſſione, & ad tollenda omninò ſcandala, quæ ex hujuſmodi Præcedentiæ ratione non rarò naſcuntur, ſaluberrimam ſuper hoc edidit Conſtitutionem Gregorius Decimus tertius, quam tanquàm magiſtralem in hac Præcedentiæ materia, paulò inferius ſuo proprio loco inſerendam cenſemus. Nihilominùs varia ejus interpretatio nonnullas tractu temporis innovabit lites: unde opus fuit tum univerſalibus, tum etiam ſpecialibus Decretis, ut illi acquieſcerent, qui facilè inſurgunt eo præſertim tempore, quo magis Devotio requirit pacificos, & præſertim in hac Sacroſancta Proceſſione, in qua toto humilitatis ſpiritu aſſociari debemus SS. Sacramentum.

Quapropter, ne eo tempore, quo inchoanda eſt Proceſſio, prædicta oriantur inconvenientia, Devotionis turbativa, & nutritiva Scandalorum, Cæremoniale Epiſcoporum *dicto lib.* 2. *capitul.* 33. §. 1. & 3. *pagin.* 404. præſcribit, ut Epiſcopus per aliquos dies ante Feſtum SS. Corporis Chriſti conficiat, & notum faciat Rotulum, in quo deſcriptus ſit locus unicuique aſſignatus in Proceſſione, ne ullus valeat ignorare, quo loco debeat incedere: Quòd ſi non contentus vult contendere poſtea de eodem loco, ipſum non expectet Proceſsionis actum. Cùm autem teneantur huic Proceſſioni intereſſe Laicorum Confraternitates, omneſque Regulares, & totus Clerus Sæcularis, ideò aliquid quoad iſtorum locum eſt particulariter notandum, ut ex Reſolutionibus adnexis ſciat Epiſcopus, quomodo ſe gerere debeat in dicto Rotulo conficiendo, ne lis oriatur ex defectu ejuſdem Rotuli locum alicui extra jus ſibi acquiſitum forſitan tribuentis, & ita præjudicium inferatur Parti contra mentem Cęremonialis prędicti, & ſic Pars ipſa ex hoc moveat contentionem de Pręcedentia. 565

Licèt autem Locorum Ordinarii poſſint in vim 566

Con-

Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *capitul.* 13. *de Regular.* pręcidere controverſias in hac Pręcedentia ſubortas in Proceſſionibus, datur tamen ab eorum ordinationibus appellatio devolutiva, in cujus gradu benè datur manutentio poſſeſſori, ut dixit *Rota in Colonien. Precedentiæ* 9. *Junii* 1627. *coram Ubaldo*, apud Aſcanium Tamburinum *de Jure Abbat. tom.* 3. *in fine*, *deciſ.* 115. *ſub numer.* 8. & egomet retuli in mea Collectione de Epiſcopis, *ſub numer. margin.* 865. *pagin.* 184. Idcircò prudenter ſe gerat Epiſcopus in Pręcedentiarum Deciſionibus, ne quod habet à Jure, faciat ad alios tranſire per appellationem: vel ejus prudentia in decidendo ita pateat, ut etiam appellatione interpoſita, cogatur quodammodo Judex Appellationis commendare per confirmationem judicium Epiſcopi, & ſic gloria erit coram omnibus de Clero. Quia tamen plures ſunt ordines huic Proceſſioni intervenientium, ponemus idcircò pro unoquo diſtinctè nonnullas Pontificias Conſtitutiones, & Deciſiones, permultas ad noſtram rem pertinentes: Et nihilominùs, ſi quis vel novi Juris ſit alicubi legitimus poſſeſſor, vel probata exiſtat diverſa pręcedendi conſuetudo, eum pacificè relinquimus in ſuo loco.

§. II.

§. II.

De Præcedentia Confraternitatum inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

CUm ex præſcripto Cæremonialis Epiſcoporum *libr. 2. capitul.* 33. §. 5. *pagin. mihi* 405. debeant priùs incedere Laicorum Confraternitates, ideo de iſtis modò eſt diſſerendum. Ad harum igitur prædcidendas Præcedentiæ controverſias, primo loco fit obviam laudabilis Conſtitutio Gregoriana ſuperiùs citata, quam tanquam in hac materia neceſſariam duximus in ea parte, quæ Confraternitates concernit, verbatim extendere, depromptam ex Cherubino *in Bullar. Roman. tom. 2. Conſtitut.* 84. *ejuſd. Pontific. & incipit* Expoſcit, *emanata anno* 1583. *ſub die* 15. *Julii*, à pluribus cæteroquin relata, quorum catervam ego cito in mea Collectione de Regularibus *tom.* 1. *ſub numer. margin.* 993. *pagin.* 417. Eſt igitur tenoris ſequentis, videlicet; *Quicunque ex Confratribus Confraternitatum, inter quos lites & cauſa occaſione Præcedentiæ orta jam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione Præcedentiæ ac Juris præcedendi ſunt, ii (quibuſcunque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in Proceſſionibus tam publicis quàm privatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione Præcedentiæ hujuſmodi, inter Confratres inter ſe litigantes, qui priùs* 567

Saccis uſi ſunt, in Loco controverſia in Proceſſionibus tam publicis quàm privatis precedere debeant.

Quia tamen datur diſtinctio inter unam & alteram Confraternitatem: & cùm Cæremoniale Epiſcoporum *loco ſupra citato* dicat dumtaxat, quòd præcedant Confraternitates Laicorum in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti: notandum idcircò eſt, quòd Sodalitati SS. Sacramenti competit Præcedentia ſupra alias Confraternitates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, ut cenſuit Sacra Rituum Congregatio *in Mediolanen. ſub die* 19. *Junii* 1655. *& ſub die* 19. *Septembris* 1665. apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jacobi Pignatel. part.* 2. *titul. de Praceden. pagin.* 250. *juxta edit. Roman. ſed juxta Venet. pagin.* 154. & ſtetit in deciſis eadem Sacra Rituum Congregatio *in Vercellen. ſub die* 18. *Junii* 1695. *& in Cremen. ſub die* 3. *Auguſti* 1697. ut refert Monacelli *in Formular. Leg. Pract. part.* 1. *titul.* 6. *formul.* 12. *ſub numer.* 3. *pagin.* 217. non attenta ad hoc ratione poſterioris forſan erectionis, ſed habito reſpectu ad ejus majorem in hujuſmodi Proceſſione dignitatem: Ipſa enim Confraternitas SS. Sacramenti habet fundatam intentionem in Jure Communi, ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſociet immediatè: & propterea in hujuſmodi actu, tanquàm ſui muneris proprio, debet cæteris omnibus præferri, *ex leg. In civilibus, C. de Offic. Vic.* & etiam Gratian. *diſceptat.* 148. *ſub numer.* 127. *& ſeqq.* ut dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub num. marg.* 730. *pag.* 226. *juxta editionem Paternam de Anno* 1730. 568

Confraternitas verò erecta ſub nomine Redemptoris, non exiſtente alia in eo Loco ita appellata, intelligitur pro Confraternitate SS. Sacramenti, ut dixit atque firmavit *Rota deciſ.* 245. *ſub numer.* 2. *coram Cerro*, & ex ea refert Franciſcus Monacelli *in Formular. Leg. Pract. part.* 4. 569

(qua

(*quæ inſcribitur Opus poſthumum*) *in ſupplemen. ad ejus primum Tcmum , pagin.* 16. *ſub numer.* 132. ideoque debet habere Præcedentiam in eodem Loco , in quo reperitur inſtituta . Cæterùm Aggregatio Sodalitatis ad aliquam ex Romanis Archiconfraternitatibus , nullum jus ei tribuit præcedendi in Proceſſione ſupra alias Confraternitates non aggregatas : ſed debet locum cedere , ſicuti cedebat ante Aggregationem , ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in una Sanctæ Severinæ Præcedentiæ ſub die* 24. *Septembris* 1713. apud Urſayam doctiſſimum Almæ Urbis Advocatum *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 1. *part.* 2. *diſceptat.* 21. ubi tamen ſuprà *ſub numer.* 8. dixerat rationabiliter , quòd talis Aggregatio operatur ſolum circa Indulgentias & Gratias ſpirituales ; non autem jus aliquod tribuit præcedendi antiquioribus Confraternitatibus , ut obſervat Rota Romana apud Antonellum *de Jurib. & Onerib. Clericor. in fine Operis , deciſ.* 43. *ſub numer.* 8. & ita reſolvit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in Brugnaten. ſub die* 23. *Novembris* 1691. teſte Monacelli *par.* 1. *tit.* 4. *formul.* 17. *ſub num.* 1.

§. III.

De Precedentia Regularium inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

570 POſt inceſſum Confraternitatum in hac Proceſſione, immediatè ſuccedunt Regulares, qui cùm in duas dividantur claſſes, in Mendicantes ſcilicèt & Monachales, hoc loco intelligimus diſſerere de primis. Non tamen loquimur de Præcedentia unius Conventus inter Regulares ejuſdem Conventus, ſeu de loco Graduatorum, vel de Religioſis Profeſſionem anteriorem aut poſteriorem habentibus, cùm hujuſmodi Præcedentiam ipſimet ſibi tradant, & à ſemetipſis recognoſcant. Sed ſermo eſt de Regularibus diverſi Ordinis ſeu Religionis ad hanc Proceſſionem ſimul accedentibus, & de Præcedentia inter ſe contendentibus. Pro iſtis ergo, imò & pro omnibus, optimè providit laudabilis Conſtitutio Gregorii Decimi tertii cæteroquin ſupra relata in ea dumtaxat parte, quæ ſolas reſpicit Laicorum Confraternitates. At cùm ſit Bulla, ut diximus Magiſtralis in hac Præcedentiæ materia, etiam quoad eam partem, quæ Regulares concernit, duximus hoc ſuo proprio loco totam extendere: Eſt igitur ea, quæ ſequitur, videlicèt.

571 *Expoſcit, &c. --- De nobis attributa poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quòd quicunque ex Fratribus Mendicantibus inter ſe de Præcedentia contendentibus, qui in quaſi poſſeſſione Præcedentiæ ac Juris præcedendi ſunt, ii (quibuſcunque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus,*

& aliis

& aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in Proceſſionibus tam publicis quàm privatis precedere debeant. Quando verò non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione Præcedentiæ hujuſmodi, inter Fratres Mendicantes, ii, qui antiquiores ſunt in Loco controverſia, in Proceſſionibus tam publicis quàm privatis pracedere debeant: ita ut ſi contigerit nova Monaſteria aut Domos alicujus Ordinis Mendicantium in Loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria aut Domus priùs erecta & inſtituta ſint, ille Ordo, qui priùs Monaſterium aut Domum in Loco habuerit, præcedat.

Quoniam verò poſt dictam Conſtitutionem Gregorianam ortæ fuerunt nihilominùs multæ lites, ideò ſub die 26. Auguſti 1593. Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium ad tollendas omnes controverſias, quæ inter Regulares plerumque ſolent oriri ſuper eorum Præcedentia in Proceſſionibus, illud in futurum obſervandum cenſuit, quod in Alma Urbe omnium magiſtra ſervatur ut habet Quaranta *in Summa Bullarii, verb. Præcedentia*, & refert etiam Aſcanius Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 1. diſputat. 25. quæſito 7. ſub numer. 5.* Hac non obſtante declaratione, nonnulla nihilominùs orta ſunt litigia, quæ tractu temporis fuerunt reſoluta, ſive generaliter pro omnibus, ſive ſpecialiter pro aliquibus, ut paulò poſt videbimus. Sanè Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. ca. 33. §. 5. pagin. mihi* 405. ait, quòd ordo deſcribendus in Rotulo erit, ut poſt Confraternitates Laicorum, præcedant Religioſi ſecundùm ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel conſuetudine præcedere ſolent, ex quibus verbis infertur, quòd Antiquitas, Jus, & Conſuetudo, cùm ſint inter ſe diverſa, variant etiam locum Præcedentiæ, variaſque oſtendunt eſſe rationes præcedendi. Quapropter nonnulla hìc apponentur Decreta, ut quidquid ſparſim potuit diligentia invenire in materia Præcedentiæ, totum hoc proprio locò habeant Regulares unitum. 572

Primò igitur ſe offerunt quatuor Litteræ Sacræ 573
Congregationis Epiſcoporum & Regularium, quæ licèt ſint particulares, attamen Pontificia authoritate univerſales declarantur, & confirmantur, & omnes Præcedentiam in Proceſſione concedunt Fratribus Minoribus Conventualibus S. Franciſci, ut antiquioribus in Loco controverſiæ: Una ſcilicet *in Arben. ſub die* 6. *Martii* 1582. contra Minores ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupatos: Altera *in Soanen. ſub die* 24. *Maii* 1583. contra Servitas: Tertia verò, & quarta contra Dominicanos, nempè in *Caſſanen. ſub eadem die* 24. *Maii* 1583. & in *Ferentina ſub die* 1. *Junii* 1604. Quas quidem quatuor Litteras tanquàm attendentes prærogativam majoris Antiquitatis in Loco controverſiæ, & ideò conformes & innixas Conſtitutioni Gregorii Decimitertii, & Sacrarum Congregationum Declarationibus, approbat ſimul ſumptas, & utcunque in caſibus particularibus emanatas confirmat, ac generaliter obſervandas ubicunque contigerit de eadem Præcedentia in Proceſſionibus dubitari, præcipit & mandat Urbanus Octavus apud Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 5. *Conſtitut.* 239. *ejuſd. Pontific. qua incipit* Nuper *edita anno* 1637. *ſub die* 18. *Decembris*, & refert etiam Laurentius de Peyrinis *de Privileg. Regular. tom.* 3. *Conſtitut.* 17. *in additione*, *pagin. mihi* 427. aliique à me citati in mea Collectione de Regularibus *tom.* 2. *ſub num. marg.* 2716. *pag.* 564.

Secundò notandum eſt, quòd Fratribus Minoribus Capuccinis Ordinis S. Franciſci facultas 574
conceſſa eſt deferendi in Proceſſionibus publicis Crucem propriam, & hoc ad ſubmovendam materiam rixarum cum Fratribus Minoribus Conventualibus ejuſdem Ordinis S. Franciſci, prout conceſſit Paulus Quintus apud Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 3. *Conſtitut.* 107. *qua incipit* Paſtoralis, *edita anno* 1617. *ſub die* 12. *Octobris*. Ad tollendas tamen novas controverſias, quæ poſt conceſſam dictis Fratribus Ca-

puccinis propriæ Crucis erectionem, inter Regulares circa Præcedentiam in Proceſſionibus ortæ ſunt: ideò præfatos Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui ſub propria Cruce, & in proprio loco in dictis Proceſſionibus incedebant, antequàm ipſi Capuccini Crucem propriam deferrent, cenſuit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1619. *ſub die* 23. *Martii*, apud Angelum à Lantuſca *in Theatro Regular, verb. Proceſsio*, *ſub num.* 6. Ut tandem diſſenſionibus, quæ circa Præcedentiam in Proceſſionibus inter eoſdem Capuccinos & alios Regulares poſt conceſſam ipſis Capuccinis propriæ Crucis erectionem quotidie oriebantur, aditus omninò præcluderetur, Sacra Rituum Congregatio *anno* 1621. *ſub die* 10. *Julii*, declaravit, erectionem Crucis ſupradictis Capuccinis fuiſſe conceſſam in iis tantùm Locis, in quibus ſub Cruce Minorum Conventualium incedebant, quia aliàs id forſan nunquàm permiſiſſent: ac propterea eoſdem Capuccinos in Locis, in quibus jam ſub propria Cruce, ſeu in proprio loco ſub Cruce Cleri in Proceſſionibus ante hujuſmodi conceſſionem incedebant, eundem locum retinere debere, prout habet Aſcanius Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſputat.* 25. *quæſito* 8. *ſub nu.* 9. *pag.* 395. Decretum verò Sacræ Rituum Congregationis editum *anno* 1631. *ſub die* 2. *Auguſti*, in quo dicitur, quòd Regulares in publicis Proceſſionibus non poſſint prohiberi, quin incedant ſub propria Cruce, confirmatur ad preces dictorum Fratrum Capuccinorum de Terra Modogni in Diœceſi Barenſi, & etiam prædictis Capuccinis ſuffragari decrevit Urbanus Octavus *in Bullar. Roman. tom.* 5. *Conſtitut.* 165. *ejuſd. Pontific. qua incipit* Exponi, *edita dicto anno* 1631. *ſub die* 30. *ejuſdem Auguſti*. In Cauſa tandem Ampurienſi Præcedentiæ in Proceſſionibus, vertente inter Fratres Minores Obſervantes ex una, & Capuccinos parte ex altera, habentes ambos Conventum in Oppido de Nului in Sardinia Ampurienſis Diœceſis,

Sacra Rituum Congregatio, auditis hinc inde Partibus, in voce & in ſcriptis pluries informantibus, & præcipuè pro parte Minorum Obſervantium, declaravit *anno* 1678. *ſub die* 26. *Novembris*, Præcedentiam deberi dictis Fratribus Minoribus Obſervantibus, ex quo Obſervantes ſunt priores in ordine qualitatis & Approbationis Apoſtolicæ, & Capuccini licèt priores in fundatione per quatuor annos in eodem Loco, ſunt tamen Filiales ex eadem Religione Obſervantium, & longè poſteriores in Approbatione Apoſtolica, quò caſu non intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Conventus in eodem Loco: Quod quidem Decretum confirmavit Innocentius Undecimus *in Conſtitut. qua incipit* Nuper, *emanata anno* 1679. *ſub die* 16. *Januarii*, apud Julium de Venetiis *in Chronolog. Hiſtor. Leg. Seraph. Ordin. circa Capitul. Gener.* 75. *pag.* 162. ubi etiam refert, quòd non acquieſcentibus Capuccinis, & ideò iterùm auditis, Sacra Rituum Congregatio ſtetit in deciſis *anno* 1680. *ſub die* 24. *Februarii*.

Tertiò notandum eſt, quòd Ordo Carmelitarum debet præcedere in Proceſſionibus Ordinem Fratrum de Mercede, quia Ordo Carmelitarum fuit inſtitutus ante Concilium Generale, ut legitur *in cap. fin.* §. *Sanè ad Prædicatorum, de Relig. Domib. in* 6. & fuit approbatus ab Honorio Tertio *anno* 1226. *ſub die* 30. *Januarii*: Ordo verò Beatæ Mariæ de Mercede fuit inſtitutus in dicto Concilio Generali, & approbatus à Gregorio Nono *anno* 1235. *ſub die* 27. *Januarii*, qui fuit Pontifex poſt dictum Honorium: Unde ſive ſpectetur initium Ordinis, ſive illius Approbatio, ut prior tempore Ordo Carmelitarum debet præcedere, ad not. per DD. *in leg. Honores*, *ff. de Decur. in leg. fin.* ubi Bart. C. *de tyronib. lib.* 2. cum aliis relatis à *Rota in Oriolen. Præcedentiæ* 1600. 10. *Martii* coram Litta, *deciſ. recent. par.* 2. *deciſ.* 26. *ſub numer.* 1. Cùm autem dicti Fratres Ordinis de Mercede, in Civitate Calaritana Re- 575

gni

gni Sardiniæ commorantes, recuſarent dare Præcedentiam præfatis Fratribus Carmelitis ibidem exiſtentibus, non obſtante Deciſione in Sacro Rotæ Auditorio ad favorem Carmelitarum facta, & per Viſitatores Apoſtolicos ſub die 27. Aprilis ejuſdem anni confirmata, ſed non ſine ſcandalo Populi ad publicas Proceſſiones cum ipſis Fratribus Carmelitis accedere nollent; ideò prædictos Fratres de Mercede cogendos eſſe, ut ad dictas Proceſſiones publicas accedant, & Præcedentiam dictis Fratribus Carmelitis relinquant, juxta Deciſionem & Confirmationem prædictas, decrevit Clemens Octavus, apud Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 3. *Conſtitut.* 95. *ejuſd. Pontific. quæ incipit* Decet, *emanata anno* 1602. *ſub die* 15. *Novembris*. Ne tamen dictæ Litteræ Apoſtolicæ intelligantur pro quibuſdam tantùm particularibus Locis conceſſæ, ideò dictos Fratres Carmelitas ubique locorum Fratribus de Mercede præfatis præcedere debere, ac dictas Litteras in omnibus Locis obſervandas eſſe, declaravit idem Pontifex *anno* 1604. *ſub die* 20. *Septembris*, referente dicto Cherubino, *ibidem*, *Conſtitut. quæ incipit* Ad Romanum, *ſtatim poſt dictam Conſtitut.* 95. & eſt confirmatio Decreti à Sacra Rituum Congregatione emanati *eodem anno* 1604. *ſub die* 21. *Auguſti*, ut habet Flavius Cherubinus *in Compend. Bullar. tom.* 3. *pag. mihi* 31. Cùm verò in Cauſa Aquenſi Jurium Parochialium inter alia Dubia Sacræ Congregationi Concilii propoſita, enixè ſuplicante Joanne Franciſco Stranio Præpoſito & Parocho Loci Inciſæ, adeſſet tertium tenoris ſequentis, videlicet: *An teneatur Præpoſitus, qui eſt etiam Parochus, in publicis generalibus Proceſſionibus fieri conſuetis, monitos facere Patres Carmelitas ejuſdem Loci, ut ad Proceſſionem accedant, & quomodo?* Et eadem Sacra Congregatio Concilii *ſub die* 19. *Maii*, *&* 9. *Junii* 1708. ad tertium Dubium reſpondit: *Affirmativè*, *ſive per Nuncium*, *ſive per Schedulam*: ut habetur in Bullario particula-

culari Clementis Undecimi *par.* 3. *Conſtitut.* 3. *pagin.* 542. & modò reperitur etiam in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis de Anno 1727. *tom.* 8. *par.* 2. *Decreto* 3. *pag.* 418.

Quartò notandum eſt, quòd Præcedentia in 576
concurſu cum aliis Regularibus in Proceſſionibus ſemper competit Fratribus Diſcalceatis Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia in Provincia S. Joannis Baptiſtæ Hiſpaniarum, ſive ſoli, & de per ſe, & ſub propria Cruce, ſive ſub Cruce, & cum Familia de Obſervantia incedant, & ſive Diſcalceati, vel Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur; dummodò ſint verè Reformati Ordinis S. Franciſci: Hoc autem Decretum Sacræ Rituum Congregationis confirmavit Urbanus Octavus *in Bull. Roman. tom.* 5. *Conſtitut.* 142. *ejuſd. Pontific, quæ incipit* Ex incumbentis, *edita anno* 1630. *ſub die* 9. *Januarii*. Sententia verò diffinitiva à Generali Cameræ Apoſtolicæ Auditore lata: per quam Præcedentia in Proceſſionibus publicis datur Fratribus Diſcalceatis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Provinciæ Hiſpalenſis in concurſu Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini de eadem Provincia in Hiſpania, approbatur: Dictam autem Præcedentiam competere dictis Fratribus Diſcalceatis, & non Fratribus Eremitis S. Auguſtini etiam in Provincia Derthuſenſi itidem Hiſpaniarum, declaravit Urbanus Octavus *in Bullar. Roman. tom.* 5. *Conſtitut.* 328. *quæ incipit* Aliàs, *emanata anno* 1643. *ſub die* 10. *Junii*. Hæc tamen Conſtitutio de Præcedentia Fratrum Diſcalceatorum S. Franciſci ſuper dictis Fratribus Eremitis S. Auguſtini confirmatur, & ad omnes ejuſdem Ordinis & Regnorum Hiſpaniarum Provincias extenditur, ita quòd ſuper præmiſſis à quibuſvis cujuslibet alterius Ordinis Regularibus, & præſertim dictis Fratribus Eremitis S. Auguſtini moleſtari nullatenus poſſint, ut confirmat & extendit dictus Urbanus Octavus, *ibidem*, *Conſtitut.* 334. *quæ incipit* Cùm

ſicut,

ſicut, *edita anno* 1644. *ſub die* 20. *Aprilis*. Attamen, ne dictæ tres Litteræ Urbanæ de Anno 1630. 9. Januarii, & 1643. 10. Junii, ac 1644. 20. Aprilis, ſuper dicta Præcedentia inter Eremitanos S. Auguſtini, & Franciſcanos ſtrictioris Obſervantiæ cenſeantur adhuc eſſe in ſuo robore, ſciendum eſt, quòd ad terminos Juris eas reduxit, & ubique terrarum ſervandam eſſe Conſtitutionem Gregorianam ſupra relatam declaravit Innocentius Decimus *in Bullar. Roman. tom.* 4. *Conſtitut.* 14. *quæ incipit* Romanus Pontifex, *emanata anno* 1647. *ſub die* 13. *Aprilis*, & egomet retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 3. *ſub num. margin.* 2946. *pagin.* 57. Fratribus verò Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum de Congregatione Italiæ conceditur licentia erigendi propriam Crucem in publicis Proceſſionibus, dummodò digniorem locum omnibus aliis Regularibus, qui antea Crucem erexerunt, concedant: ut approbato Sacræ Rituum Congregationis Decreto, ſtatuit ipſe Urbanus Octavus *in Bull. Roman. tom.* 5. *Conſtit.* 225. *quæ incipit* Cum ſicut, *edita anno* 1636. *ſub die* 1. *Octobris*: Dictam autem Præcedentiam & digniorem locum in Proceſſionibus tam publicis quàm privatis competere & deberi Auguſtinianis ſupra Franciſcanos Recollectos & Diſcalceatos juxta diſpoſitionem Bullæ Gregorianæ, & ita in poſterum ſervari in Civitate Orioleníi, decrevit idem Urbanus Octavus, *ibidem*, *Conſtitut.* 228. *quæ incipit* Ex incumbenti, *emanata anno* 1637. *ſub die* 12. *Januarii*. Noviſſime tamen in Mexicana Præcedentiæ declaratum fuit, quòd Fratribus Diſcalceatis ſtrictioris Obſervantiæ de Provincia S. Didaci, in Proceſſionibus publicis & privatis, interveniente vel non interveniente Familia de Obſervantia, competat Præcedentia ſuper Patres Auguſtinianos de Provincia SS. Nominis Jeſu: Non acquieſcentibus autem dictis Auguſtinianis, reſponſum fuit, quòd pareant, & perpetuò acquieſcant:

ſcant: Et hoc Decretum Sacræ Rituum Congregationis confirmavit Innocentius Duodecimus *in Conſtitut. qua incipit* Emanavit nuper, *edita anno* 1700. *ſub die* 14. *Junii*, apud Mathæuccium *in Officiali Cur. Regular. tom.* 2. *cap.* 14. *ſub num.* 6.

Quintò notandum eſt, quòd Fratres S. Franciſci de Obſervantia in Proceſſionibus non præcedunt Fratribus Tertii Ordinis, ſi iſti in Loco controverſiæ priùs Monaſterium & locum obtinuerunt, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1615. *ſub die* 14. *Februarii*, apud Aſcanium Tamburinum *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſputat.* 25. *quæſito* 8. *ſub numer.* 10. *pag. mihi* 395. Cæterum ad ſedandas controverſias ortas inter Confratres S. Joannis de Deo, & Ordines Mendicantium ſuper Præcedentia in Proceſſionibus, Sacra Rituum Congregatio Decreto ſuo cenſuit, in eorundem Confratrum favorem Conſtitutionem Gregorianam ſuperiùs relatam ſuper Fratrum Mendicantium Ordinum Præcedentia editam, ſervari debere, à tempore tamen, quo dicti Confratres declarati fuerunt Religioſi: & hoc dictæ Sacræ Congregationis Decretum approbavit, & ſuper dictis controverſiis perpetuum ſilentium impoſuit Urbanus Octavus *in Bullar. Roman. tom.* 4. *Conſtitut.* 76, *ejuſd. Pontific. qua incipit* Commiſſi, *emanata anno* 1627. *ſub die* 26. *Novembris.* Illud denique obſervandum & ſervandum eſt circa Præcedentiam in Proceſſionibus, quòd ſi Regulares reſtituantur ſimpliciter ad Locum, Præcedentia in dictis Proceſſionibus debetur præexiſtentibus, quia talis reaſſumptio ſeu reſtitutio habetur pro nova Fundatione, prout declaravit & ita cenſuit Sacra Rituum Congregatio *in Senogallien. Præcedentiæ*, *anno* 1696. *ſub die* 21. *Januarii*, & ſtetit in deciſis *eodem anno ſub die* 1. *Septembris*, apud Franciſcum Monacelli *in Formular. Leg. Pract. part. tit.* 6. *formul.* 19. *ſub numer.* 14. *pag.* 228. & egomet retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 3. *ſub numer. margin.* 4028. 577

pag.

pag. 442. nec non & altera noviſſima itidem mea Collactione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 1094. *pag.* 363. *juxta editionem Paternam de Anno* 1730.

§. IV.

De Præcedentia Ordinum Monachalium in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

Licèt Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 578
33. *de hac Proceſſione*, §. 5. *pag.* 405. non diſtinguat Regulares à Regularibus, ſed indiſtinctè uno verbo omnes amplectatur, dicendo, quòd poſt Confraternitates Laicorum, deinde incedunt Religioſi: attamen, quia ſubdit, *prout de jure, vel conſuetudine*, videtur ſatis ſuperque intelligere, aliud eſſe jus Mendicantium, & aliud jus vel conſuetudo Monachorum. Sanè, quòd Mendicantes debeant dare Monachis locum Præcedentiæ, nonnullæ firmant Conſtitutiones Pontificiæ, ac Deciſiones Sacrarum Romanarum Congregationum. Primò igitur notandum venit, quòd Monachi Ciſtercienſes Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis de Ordine S. Benedicti, in Proceſſionibus publicis ubique ſunt præferendi Fratribus Ordinum Mendicantium; à quibus idcircò non poſſunt dicti Monachi ſuper præmiſſis moleſtari, ſub pœna Excommunicationis Papæ reſervatæ eo ipſo incurrenda, prout confirmando Decretum Sacræ Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium deputatæ, ita etiam in Civitate Burdegalenſi inviolabiliter obſervari & adimpleri juſſit Clemens Octa-

vus, apud Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 3. *Conſtitut.* 56. *ejuſd. Pontific. qua incipit* Regis pacifici, *emanata anno* 1599. *ſub die* 9. *Februarii*, & refert etiam Aſcanius Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſputat.* 25. *quæſito* 8. *ſub numer.* 1. *pagin.* 389. nec non & Henriquez *Privileg.* 5. *pagin. verò mihi* 421. Secundò notandum eſt, quòd non ſolùm novo & clariori Decreto, ſed univerſali firmatur, Fratres Mendicantes ſemper & ubique tribuere debere Præcedentiam Monachis, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio in Monopolitana anno 1619. ſub die 3. Martii, ut refert Auguſtinus Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, par.* 2. *allegat.* 78. *ſub numer.* 37. & ita etiam habet dictus Tamburinus *loco ſupra citato, ſub numer.* 9. ac egomet retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 2. *ſub numer. margin.* 2025. *pag.* 331. Verum quidem eſt, quòd ad hoc ut dicti Monachi eam Præcedentiam conſequantur in Proceſſionibus ſupra Ordines Mendicantes, non debent quæſtuare, ut declaravit; atque ita reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in una Silveſtrinorum anno* 1617. *ſub die* 19. *Maii*, apud Hieronymum Nicolium *in Floſculis ex utroque Jure libatis, verb. Præcedentia, ſub numer.* 12.

Cùm autem Monachi ex ſuperiùs dictis non 579
habeant controverſias de Præcedentia in concurſu Ordinum Mendicantium, videndum modò reſtat, quem locum inter ſe retineant in Proceſſionibus, quando plures ſimul conveniunt Monachi diverſi Ordinis, ſeu diverſarum Congregationum. Quapropter primò dicendum occurrit, quòd Monachi Trium Fontium, & S. Crucis in Jeruſalem de Urbe, præcedere debent Monachos S. Euſebii etiam de Urbe, quia illorum Ordo, qui eſt Ciſtercienſium, priùs inſtitutus & approbatus fuit, quàm Ordo iſtorum, qui eſt Cœleſtinorum, ut dixit *Rota in Romana Præcedentia* 24. *Maii* 1600. *coram Lancelloto*, apud Tamburinum *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſputat.* 25. *quæſito* 6. *ſub num.* 5.

num. 5. Secundò notandum eſt, quòd in Proceſſionibus, quæ Veronæ fiunt, in quibus Monachi Caſſinenſes SS. Nazarii & Celſi, & Olivetani S. Mariæ in Organo; ſimul interveniunt; Præcedentia danda eſt Monachis Caſſinenſibus, & ſic in futurum ſervari mandavit, quibuſcunque non obſtantibus, perpetuumque ſilentium ſuper præmiſſis imponendum eſſe ambabus Partibus cenſuit & impoſuit Sacra Rituum Congregatio, apud Cornelium Margarinum *in Bullar. Caſſinen. tom.* 1. *Conſtitut.* 268. *qua Incipit* In Cauſa, *edita anno* 1610. *ſub die* 23. *Januarii*, & egomet retuli tum in mea Collectione de Epiſcopis & Abbatibus *ſub numer. margin.* 589. *pag.* 122. tum etiam in altera itidem mea Collectione de Regularibus cujuſcunque Ordinis, *tom.* 2. *ſub numer. margin.* 1784. *pag.* 244. & ita habet dictus Tamburinus *loco ſupra citato*.

Tertiò notandum eſt, quòd Monachi Religionis origine & confirmatione poſterioris, ſi Collegialiter vivant, præcedunt in Proceſſione Monachos Religionis priùs approbatæ, ſi vivant uti privati, & nullum Collegium conſtituant, etiam quòd antea fuerint ingreſſi, Gloſſ. *in cap. Statutum*, *in verb. Collect. de elect. in* 6. Innocent. *in cap. Cùm dilectus*, *ſub numer.* 5. *de elect.* Abbas *in cap. Cùm non liceat*, *ſub numer.* 2. *de praſcript.* & ex eis dixit & firmavit *Rota in S. Agatha Gothorum Pracedentia* 29. *Januarii* 1629. *coram Motmanno*, apud Aſcanium Tamburinum *de Jure Abbat. tom.* 3. *in fine*, *deciſ.* 112. *pag. mihi* 43. Quartò denique notandum eſt, quòd ubi viget conſuetudo, quòd Monachi in Proceſſionibus inter ſe præcedant ratione Originis & Inſtitutionis Religionis, ſervanda eſt, prout articulo plenè examinato, ad relationem Cardinalis Petrucci, ita pro Controverſia inter Monachos Camaldulenſes, & Vallumbroſanos reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in Forolivien. ſub die* 27. *Februarii* 1693. apud Franciſcum Monacelli

in

in Formular. Leg. Pract. par. 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *ſub num.* 28. *pag.* 155. & egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 1068. *pag.* 353. *juxta poſtremam editionem Paternam de Anno* 1730. Licèt inter Regulares Præcedentia regulanda ſit juxta diſpoſitionem Bullæ Gregorianæ, quòd ſcilicèt illa Religio in Proceſſionibus præcedat, quæ priùs in Civitate ſeu Loco, ubi reſidet, fundavit & habuit Monaſterium.

§. V.

De Præcedentia Cleri Sæcularis ſupra Regulares in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

Clero Sæculari locum digniorem ſupra omnes Regulares in Proceſſionibus dandum eſſe, nemo eſt qui dubitet: ſiquidem mille Controverſia hujuſmodi ſopita eſt Reſolutionibus, quarum aliquas volumus hìc extendere, tanquam ſuo proprio loco. Primò enim decretum fuit, quòd poſt Regulares digniorem locum obtineat Clerus Sæcularis, & ita reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Meſſanen. ſub die* 7. *Auguſti* 1621. apud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. Collect.* 207. *ſub num.* 25. Secundò notandum eſt, quòd etiam in Regnis Hiſpanicis Caſtellæ & Legionis ſervandum eſt Cæremoniale Epiſcoporum quoad Generales Proceſſiones, ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regularium antecedant, & Presbyteri ſeu Clerici Sæculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant: ideòque moneantur omnes Regularium 581 Supe-

Superiores, ut prædicta omnia obſervari faciant, & numerum debitum & decentem ad Proceſſiones mittant, non ceſſante quacunque prætenſa conſuetudine in contrarium, quam abuſum eſſe declaravit *Sacra Rituum Congregatio de mandato Clementis Octavi, ſub die* 30. *Auguſti* 1602. apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jacobi Pignatel. par.* 2. *tit. de Præcedentia, pag. mihi* 150. Dictum verò Sacræ Congregationis Decretum à Clemente Octavo approbatum confirmavit Gregorius Decimusquintus *in Conſtitut.* 49. *qua incipit* Aliàs, *edita anno* 1622. *ſub die* 3. *Auguſti*, ut habet Barboſa *de poteſt. Epiſc. tom.* 2. *in fine*, *pag.* 71. *juxta edit. Venet. de anno* 1707. Sed & Clerici Regulares quoad hanc Præcedentiam cedunt Sæcularibus licèt noviter introductis, ut reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in Caneten. ſub die* 22. *Decembris* 1582. & poſtea *in Spoletana ſub die* 25. *Februarii* 1598. teſte Hieronymo Nicolio *in Floſculis, verb. Præcedentia, ſub numer.* 14.

Tertiò notandum eſt, quòd clarè infertur locus dignior Clericis Sæcularibus dandus, etiam ex eo, quòd Reliquiam deferre in Proceſſionibus pertinet quidem ad Priorem Conventus, unde ipſa Reliquia ſumitur, ſed reliqui Regulares debent in dictis Proceſſionibus cedere digniorem locum Clero Sæculari, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1610. *ſub die* 23. *Januarii*, & antea bis reſcripſit, ſcilicèt, *ſub die* 24. *Septembris* 1605. ac etiam *anno* 1608. *ſub die* 19. *Aprilis*, referente Auguſtino Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. Collect.* 646. *ſub numer.* 8. Et hoc idem iterum noviſſimè firmatum eſt, nempè quòd Regularibus paratis, & deferentibus in Proceſſione Reliquias debetur Præcedentia ſupra Clerum Sæcularem, non tamen cæteris non paratis; ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Seunen. anno* 1693. *ſub die* 4. *Septembris*, apud Franciſcum Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 1. 582

par. 1. tit. 5. formul. 7. ſub numer. 32. pag. 155. &
égomet retuli in mea Collectione de Regularibus,
tom. 3. ſub numer. margin. 3962. pag. 414. ita ut
nullo modo poſſunt Regulares, ſeu Monachi præ-
tendere præcedentiam ſupra Presbyteros Sæcula-
res, licèt forſan ex Sæcularium indulgentia, hu-
manitate, ſeu alia quavis de cauſa aliter aliquan-
do ſervatum fuerit; & ita, non obſtante quavis
contraria conſuetudine, ſeu prætextu, ſervari man-
davit Sacra Rituum Congregatio *anno 1630. ſub
die 7. Decembris*, ut extenſo Decreto habet Pa-
ſcuccius *dicta par. 2. ſub eod. tit. de Praecedentia, pag.
150. juxta edit. Venet. de Anno* 1716.

Nec hic finem imponimus, cùm dentur & aliæ 583
Reſolutiones in favorem Cleri Sæcularis in Pro-
ceſſionibus: ſiquidem Canonicos Eccleſiæ Cathe-
dralis vel Collegiatæ debere ſemper præcedere
Regularibus, cenſuit *Sacra Rituum Congregatio ſub
die 31. Martii* 1618. apud Gavantum *in Manuali
Epiſcopor. verb. Praecedentia, ſub num. 27. in addit.*
Quinimò, Collegiata Sæcularis præcedit Collegia-
tæ Regulari, Ceccoper. *in Lucubrat. Canon. lib. 1.
ex num.* 215. *ad num.* 225. Pignatelli *Conſult. Ca-
non. 26. ſub num. 29. & 30.* ex eis dixit & fir-
mavit *Rota in Lucana Praeminentiarum coram Moli-
nes Decano*, apud Palmam Nepotem *Deciſ. Rotæ
Lucenſis tom. 4. deciſ. 320. ſub num. 7. pag. mihi* 53.
Et quod magis dat robur: ſi Eccleſia Matrix exi-
ſtat Regularis, & Filialis gubernetur per Clerum
Sæcularem, licèt in publicis Proceſſionibus Filia-
lis debeat cedere Matri præeminentiam, adhuc ta-
men, quia potentior eſt, ac generalior diſtinctio
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ordinans, ut Clerus
Sæcularis præcedat Regulari, hinc dictus Clerus
Sæcularis Eccleſiæ Filialis nanciſcitur Præceden-
tiam ſuper Eccleſiam Matricem Regularem, ſe-
cundùm ea, quæ tuetur Pignatell. *tom. 4. conſultat.
26. ſub num. 29. & ſeqq.* ut ex eo dixit *Rota in
Faventina Jurium Parochialium 23. Junii* 1698. co-
ram Anſaldo, *deciſ. 55. in Annotat. ſub num.* 17.

Præ-

Præmiſſis Reſolutionibus noviſſimam addimus tenoris ſequentis, videlicet: Cùm uſque ab Anno 1663. cum ſubſequuta de Anno 1669. Ordinarii approbatione, in Eccleſia Parochiali S. Jacobi Apoſtoli Civitatis Imolenſis erecta fuerit Congregatio ſeptuaginta duorum Sacerdotum Sæcularium ſub Invocatione S. Philippi Neri, qui Cotta & Biretto induti per modum ſimplicis Unionis pro peragendis Congregationibus, ac ſolemniter celebranda Feſtivitate eorum S. Protectoris in eadem Eccleſia congregantur; ac juxta proprium Inſtitutum inibi Officia & Miſſas in ſuffragium Confratrum defunctorum abſque ulla Eleemoſynæ receptione ſemper celebrarunt, & occaſione aſſociationis Cadaverum ejuſdem Confraternitatis cum propria Cruce ſeu Vexillo ſuper omnes Regulares Præcedentiam hucuſque habuerunt: Cùmque Controverſiæ tam ſuper hujuſmodi Jure præcedendi, quàm deferendi propriam Crucem ſeu Vexillum, ab univerſo Clero Regulari adversùs ſupradictos Confratres dudum excitatæ, à Reverendiſſimo Domino Auditore Sanctiſſimi ad Sacram Rituum Congregationem remiſſæ fuerint; modò Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Priolus Tituli S. Marci, in locum Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Zondadarii abſentis & hujuſmodi Cauſæ Ponentis, infraſcripta Dubia inter Partes concordata, declaranda propoſuit, nempè: = Primum: = *An Congregationi Sacerdotum Sæcularium ſub Invocatione S. Philippi Nerii in aſſociatione Confratrum defunctorum competat Præcedentia ſupra Regulares in caſu &c.?* = Secundum: = *An eidem Congregationi occaſione aſſociationis eorundem Cadaverum liceat elevare propriam Crucem in caſu, &c.?* Juribus hinc inde deductis maturè conſideratis, & tam in ſcriptis, quàm in voce, utriuſque Partis Procuratoribus informantibus auditis, reſcriptum fuit: *Ad Primum, & ad Secundum, Affirmativè, & ampliùs*: prout reſcribendum cenſuit, & ita decrevit, ac ſervari manda-

584

vit *Sacra Rituum Congregatio in dicta Cauſa Imolen.* ut habetur in Folio Imolæ impreſſo *apud Sanctum Maſſum, Superiorum permiſſu* 1719. Dictum autem Folium, prout ſupra ſtat & jacet, ad me benignè tranſmiſit unus ex illis digniſſimis Sacerdotibus ejuſdem. Congregationis, ut eo data occaſione uterer prout illicò uſus ſum in mea Collectione de Regularibus, quæ tunc temporis erat ſub prelo, *tom.* 3. *ſub numer. margin.* 4201.

§. VI.

De Præcedentia Cleri Sæcularis inter ſe in Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

VIſa certiſſima Præcedentia Cleri Sæcularis 585
ſupra omnes & quoſcunque Regulares, reſtat modò obſervanda Præcedentia, quam habet vel habere debet Clerus Sæcularis in concurſu inter ſe. Sanè Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. §. 5. *pag. mihi* 405. loquens de hac Proceſſione, dicit dumtaxat, quòd, ſi aderunt, ſuccedant Regularibus Clerici Seminarii, & poſt eos Curati, tum Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimo loco Clerus Eccleſiæ Cathedralis: unde ſupponit, quòd ſine contentione unuſquiſque cognoſcat locum ſuum. Certè quoad Seminariſtas, quia Seminarium non eſt membrum Eccleſiæ Cathedralis, licèt in ea Clerici Seminarii officient, ipſos debere in publicis Proceſſionibus primos incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis, jam reſolverat Sacra Rituum Congregatio *in Capuana ſub die* 1. *Septembris* 1607. apud Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jacobi Pignatel. par.* 2. *tit. de Seminario, pag.* 386.

juxta

juxta edit. Roman. ſed juxta Venet. pag. 240. & egomet retuli in mea Collectione de Parochis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 457. *pag.* 94. *juxta tertiam editionem Paternam de Anno* 1737. Sunt tamen & ipſi de Clero Sæculari, ſed ſicuti ſunt de gradu inferiori, ita etiam primi ante reliquos in ultimo gradu ejuſdem Cleri debent in Proceſſionibus incedere. Ubi autem duæ unitæ ſunt Cathedrales Eccleſiæ, non poteſt Epiſcopus vocare Clericos alterius Seminarii, ut Proceſſio ſit ſolemnior: & ſi alternativè accedit ad ſuas Eccleſias ad hanc Proceſſionem celebrandam, ſi in una ex duabus, in qua eo anno ad hoc ſe confert, non adſit Seminarium, non poteſt vocare Seminariſtas alterius Eccleſiæ Seminarium habentis, quia unaquæque Eccleſia debet ſuam facere Proceſſionem cum ſuo Clero.

Quia verò Cæremoniale Epiſcoporum nullam 586
facit mentionem de Subdiaconis in Ordine, nec de Diaconis, neque de ſimplicibus Sacerdotibus, qui ſunt quidem de Civitate, ſed non de Cathedrali; videtur, quòd qui nullum Officium, vel Beneficium habent, non teneantur ad publicas Proceſſiones, nam ſic declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in Panormitana ſub die* 23. *Novembris* 1592, licèt ſint Sacerdotes, ut habet Nicolius *in Lucubrat. lib.* 1. *Canon. tit.* 31. *ſub num.* 22. *V. Limita, pag.* 52. nec compelli poſſunt ad accedendum tales nullum Beneficium habentes, ita enim reſpondit Sacra Congregatio Concilii *in Meſſanen. ſub die* 7. *Februarii* 1632. apud Corſettum *in Prax. Cæremon. tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *ſub num.* 23. & hoc iterum firmatum fuit, adeò, ut non ſint cogendi ſub pœnis, prout reſolvit eadem Sacra Congregatio Concilii *ſub die* 16. *Aprilis* 1636. ita referente Paſcuccio *dicta par.* 2. *tit. de Reſidentia, pag.* 353. *juxta edit. Roman. ſed juxta Venet. pag.* 219. Nihilominus limitandum eſt ad normam ſubſequentium Reſolutionum, nam in Proceſſionibus ſolemnibus, in quibus intervenit

perſonaliter Epiſcopus, ut in iſta SS. Corporis Chriſti, debent intereſſe, ubi tamen eſt ſolitum, ita enim reſcripſit Sacra Congregatio Concilii *in Ravellen. ſub die 5. Martii* 1646. apud dictum Nicolium *loco ſupra citato*: Servanda enim eſt conſuetudo, ut Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, etiam non habentes Beneficia & Officia, accedant ad Proceſſiones publicas, ut de ſervitio Eccleſiæ Cathedrali ex conſuetudine præſtando, cenſuit eadem Sacra Concilii Congregatio *in Puteolana ſub die 6. Julii* 1647. apud Urſayam doctiſſimum Almæ Urbis Advocatum *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 1. par. 2. diſceptat. 24. ſub num. 11. pag. 163. vel 249. juxta edit. Roman. vel Venet.* & ſpecificè ac expreſſè de intereſſentia in Proceſſionibus, attenta conſuetudine, & neceſſitate Eccleſiæ Cathedralis, Sacerdotes, & Clericos cogi poſſe ab Epiſcopo, reſolvit eadem Sacra Congregatio Concilii *in Briſtinorien. ſub die 11. Januarii 1648. lib. 18. Decretor. fol.* 236. ut teſtatur dictus Urſaya, *ibidem, ſub n.* 23. *pag.* 250. Sed & noviſſimè, cùm à tempore, cujus initii memoria non exiſtit, in Civitate Neriti vigeat laudabilis conſuetudo, ut Eccleſiaſtici omnes teneantur aſſiſtere in Eccleſia Cathedrali, quando Epiſcopum celebrare contigerit, Aliqui de Clero ejuſdem Civitatis recuſantes continuare idem ſervitium, recurſum habuerunt ad Sacram Epiſcoporum Congregationem, in qua propoſito Dubio: *An ſimplices Sacerdotes, & Clerus Neriti, ut aſſeritur, adſcripti, & non adſcripti, non habentes Beneficium in Eccleſia Cathedrali, teneantur intereſſe in dicta Eccleſia in Diebus Pontificalibus?* Eadem Sacra Epiſcoporum Congregatio, referente Eminentiſſimo Parocciano, ſub die 26. Januarii 1714. reſpondit: *Coadjuventur probationes ſuper aſſerta conſuetudine*: ergo probata ſufficienter conſuetudine, ſimplices Sacerdotes ſupradicti tenentur intereſſe Functionibus Pontificalibus, & conſequenter etiam huic Proceſſioni in Feſto SS. Corporis Chriſti, ut de hac Reſolutione aliquid dixi in mea

Col-

Collectione de Canonicis utriuſque Eccleſiæ, Cathedralis ſcilicèt & Collegiatæ, *ſub numer. margin*, 1798. *pag.* 525. *juxta ſecundam editionem Paternam de Anno* 1722.

Quòd ſi dicti Subdiaconi, Diaconi, & ſimplices Sacerdotes de Clero Civitatis, non adſcripti, nec ullum habentes Beneficium in Eccleſia Cathedrali, interveniant vigore laudabilis conſuetudinis huic Proceſſioni in Feſto SS. Corporis Chriſti, nullam aliam profectò habere poterunt inter ſe Præcedentiam niſi ratione Ordinis Sacri: & inter Clericos ejuſdem Ordinis danda erit Præcedentia antianis, reſolvit & declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Praneſtina Pracedentia ſub die* 13. *Auguſti* 1701. apud Franciſcum Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 4, *qua inſcribitur Opus Poſthumum, in ſupplemen. ad tertium Tomum*, *ſub num.* 100. *pag. verò* 133. juxta regulam illam, *qui prior eſt tempore, prior eſt jure*. Non tamen poſſunt ſimplices Sacerdotes digniorem locum prætendere ex gradu Doctoratus, quia Doctoratus eſt quidem conſideratione dignius, ſed non facit aliquem digniorem, quia dignior non dicitur is, qui eſt doctior, ut dixit *Rota in Cremonen. Concurſus* 15. *Januarii* 1621. coram Manzanedo, *deciſ.* 648. *ſub numer.* 4. & egomet retuli in mea Collectione de Concurſu ad Parochiales vacantes, *ſub numer. margin*, 225. *pag.* 62. *juxta ſecundam editionem Paternam de Anno* 1731. Dicti denique Subdiaconi in Ordine, Diaconi, & ſimplices Sacerdotes, publicis Proceſſionibus intervenientes, ſi non ſint de Eccleſia Cathedrali, ſed de Clero Civitatis, videntur debere incedere ſtatim poſt Clericos Seminari, & quidem intererunt Superpelliceo induti. 587

Poſt Seminariſtas ſi adſint, alioſque de Clero Civitatis Supradictos ſi interveniunt ex conſuetudine, immediatè ſuccedunt in hac Proceſſione Curati Eccleſiarum Parochialium cum Cottis, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *loco ſuperiùs citato*. Cùm enim in utriuſque Juris diſpoſitione Præemi- 588

nentiæ concedantur digniori, juxta text. *in cap. ſtatuimus, de major. & obed. in lib.* 1. *& tota tit. C. ut dignit. ord. ſerv. lib.* 12. *& l. ut gradatim, ff. de muner.* ideò rectè Parochi ponuntur hoc loco, ut gradatim Præcedentiam obtineant Eccleſiæ Collegiatæ, prout dixit *Rota in Burgen. Præeminentiarum* 16. *Martii* 1671. coram Rondinino, *deciſ. recent. par.* 17. *deciſ.* 87. *ſub numer.* 3. *& ſeq.* Imò, quia in hac Proceſſione intervenit Capitulum Cathedralis, benè Præcedentia debetur Beneficiatis ejuſdem ſupra Parochos, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Taurinen. ſub die* 2. *Octobris* 1683. apud Monacelli *dicta part.* 4. *in ſupplemen. ad III. tom. pag.* 133. *ſub num.* 103. Inter ſe autem, ille Parochus præcedere debet, qui prior fuit aſſumptus ad regimem ſuæ Parochialis: de Jure enim is præcedit, qui in labore eſt antiquior, inſtar Militiæ; *l.* 2. *C. de offic. Magiſtr. l. fin. C. de tyron. ſub numer.* 2. Cyriac. *controverſ.* 201. *ſub numer.* 44. Seraphin. *deciſ.* 326. *ſub num.* 3. & reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Maceraten. Præcedentiæ, referente Eminentiſſimo Sacchetto*, atque habetur in Statuto Cleri Romani, *in capit.* 2. *ſub* §. 6. ut habet Paſcuccius *in Compend. ad Conſult. Canon. Jac. Pignatel. part.* 2. *titul. de Præcedentia, pag.* 255. *vel* 157. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Sed inter plures Parochos, ſive Regulares ſive Sæculares, attendendam eſſe prærogativam Eccleſiarum, non verò Regulæ quoad Præcedentiam, declaravit Sacra Rituum Congregatio *ſub die* 21. *Martii* 1609. apud Gavantum *in Manuali Epiſcopor. verb. Præcedentia, in additione, ſub num.* 31. & egomet retuli in mea Collectione de Parochis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 465. *pagin.* 96. juxta tertiam editionem Paternam de anno 1737.

Dicti tamen Parochi in Proceſſionibus non debent incedere inter Canonicos, ſed ſeparatim, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Matherana ſub die* 12. *Maii* 1612. apud Corlettum *in Prax.*

Caremon. tract. 2. par. 1. ſect. 1. in addit. ſub. nu. 15. & antea retulerat Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Rector, Collect.* 629. *ſub numer.* 3. Unde Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *capit.* 33. §. 5. *pagin.* 405. eos ſeparat, dum facit priùs incedere Parochos, deinde Canonicos Collegiatarum. Præcedentia autem, quæ debetur Parochis perpetuis, eadem debetur Parochis & Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis Parochorum perpetuorum, ut ex reſponſione Sacræ Rituum Congregationis *in una Comen. ſub die* 27. *Martii* 1706. dixit Monacelli *par.* 4. *ſeu Opere poſthumo in ſupplem. ad III. Tom. ſub numer.* 105. *pagin.* 133. Romæ verò Vicario perpetuo S. Joannis Lateranenſis debetur Præcedentia ſuper cæteros etiam Rectores perpetuos Parochialium Almæ Urbis, prout Eminentiſſimo Carpineo Ponente, reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Romana ſub die* 13. *Junii* 1693. apud Eminentiſſimum Petram in eruditiſſimis ſemperque laudandis Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas, *tom.* 1. *Conſtitut.* 2. *Paſchalis II. ſub numer.* 45. *pagin.* 377. *juxta edit. Roman.* & egomet retuli in mea Collectione de Vicariis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 627. *pagin.* 177. Cæterùm in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti accedere debent etiam Curati Religionis Hieroſolymitanæ, eo quòd tenentur ad omnes Functiones, ad quas cæteri Curati, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Caſenaten. ſub die* 28. *Aprilis* 1599. teſte Gavanto *in Manuali Epiſcopor. verb. Parochorum munera, ſub numer.* 31. Qui autem ſunt extra Civitatem, in Locis, in quibus habent Plebem, non tenentur huic Proceſſioni intervenire, ut habetur ex Nicolio *in Lucubrat. lib.* 1. *Canon. titul.* 31. *ſub num.* 22. *IV. Limita*, *pagin.* 52. Sanè non poteſt Epiſcopus cogere Clerum totius Diœceſis ad intereſſendum Proceſſioni ſolemni in hac Solemnitate SS. Corporis Chriſti, prout *ad cap.* 13. *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. declaravit & ita cenſuit

Sacra

Sacra Concilii Congregatio *in Foroſempronien. ſub die* 4. *Maii* 1652. apud Paſcuccium *par.* 2. *tit. de Proceſſionibus, pag.* 163. *juxta edit. Venet.*

590 Ne vero diſcedamus ab ordine, quem in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum, præmiſſis Eccleſiarum Parochialium Curatis, veniunt ſucceſſivè Eccleſiæ Collegiatæ cum ſuis Inſignibus alias deferri ſolitis. Hæ autem Collegiatæ Eccleſiæ non ſolùm ſemper præcedere debent Regularibus; ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Firmana Terra Victoria ſub die* 31. *Martii* 1618. apud Barboſam *de Canonic. & Dignitat.* ut dixi in mea Collectione de Canonicis utriuſque Eccleſiæ *ſub numer. marg.* 430. *pagin.* 126. verùm etiam Eccleſia Collegiata etiam ſimplex, præcedit Eccleſiis Parochialibus, etiamſi, antequam erigeretur, illis cederet, ut dixit *Rota in Burgen. Praeminentiarum* 8. *Februarii* 1677. coram Bourlemont, *deciſ. recent. part.* 19. *tom.* 2. *deciſ.* 469. *ſub num.* 25. & hoc antea decreverat Sacra Rituum Congregatio *anno* 1620. *ſub die* 4. *Aprilis*, referente Gavanto *in Manuali Epiſcopor. verb. Præcedentia, ſub num.* 26. *in addit.* & poſtmodum eadem Sacra Congregatio iterum reſolvit, Canonicos Collegiatæ in omnibus eſſe præferendos, Parocho etiam Matricis Eccleſiæ, *anno* 1666. *menſe Auguſti*, ut habet Paſcuccius *in Compend. ad Conſult. Canon. Jac. Pignatel. part.* 1. *tit. de Funeribus, pagin.* 315. *vel* 194. *juxta edit. Roman. vel Venet.* & ex me tradit quoque La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 153. & multò magis, ſi Eccleſia Collegiata eſt inſignis, nam reſpectu Parochialium debet tanquam dignior locum habere à Curatis in Proceſſionibus, ut ex *cap. ſtatutum* 22. *ubi Gloſſ.* dixit & firmavit *Rota in Burgen. Praeminentiarum* 16. *Martii* 1671. coram Rondinino, *deciſ. recent. part.* 17. *deciſ.* 87. *ſub num.* 4. ſed & noviſſimè, cùm Genuæ in Liguria, Parochi Urbani prætenderent Præcedentiam ſupra Collegiatam inſignem

S. Ma-

S. Mariæ Vinearum, propoſito Dubio: *An Canonicis dicta Collegiata debeatur Præcedentia, adverſus Parochos Urbanos?* Sacra Rituum Congregatio in Cauſa Januen. Præeminentiarum, ad relationem Eminentiſſimi Barberini, ſub die 19. Julii 1710. ad ſecundum Dubium reſpondit: *Affirmativè*; ut habet Urſaya, qui in hac Cauſa egregie ſcripſit ad favorem ejuſdem Collegiatæ, *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom. 1. par. 1. diſceptat. 6. ſub num. 192.*

Cùm autem Cæremoniale Epiſcoporum loquens de hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti, utatur numero plurali, & idcirco dicat, *tum Eccleſiæ Collegiatæ*, omnes, quotquot ſunt, intereſſe tenentur. Quapropter ſi plures ſint, & ſimul accedant, cæteris paribus quoad præcendetiam attenditur tempus erectionis; eſt enim indubitatum, quòd Collegiata Eccleſia nuper fundata nullam habet Præcedentiam ſuper antiquiores, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Nolana ſub die* 29. *Maii* 1601. ex Nicolio *in Floſculis, verb. Collegiata, ſub num.* 2. & inter alios probat Cardin. de Luca *in Miſcel. Eccleſ. diſcur.* 45. *ſub num.* 6. Ex eo verò, quòd Collegiata recenter erecta obtinuerit uſum Cappæ, non ideo debet obtinere digniorem locum in Proceſſione ſupra alias prioritatem temporis habentes in fundatione: uſus enim Cappæ nullam importat præeminentiam ſeu ſuperioritatem, ſed tantùm denotat perſonarum ornamentum, juxta doctrinam Ceccoperii *Lucubrat. Canonic. libr.* 2. *ſub numer.* 93. cujus verba regiſtravit Franciſcus Maria Pittonius, doctiſſimus priùs Almæ Urbis Advocatus, deinde digniſſimus Auditor Benedicti Papæ Decimitertii, & de ejus meritis aliqua dixi in Vita ejuſdem Pontificis: regiſtravit inquam *diſceptat. Eccleſiaſt.* 49. *ſub numer.* 9. Hoc autem Romæ eſt in Praxi, nam Collegiata S. Mariæ ad Martyres, ſeu Rotundæ, quamvis non habeat uſum Rocchetti, neque Cappæ magnæ, neque Almutiarum, nihilominùs in Proceſſionibus, ratione ſuæ antiquitatis præcedit omnes 591

mnes alias octo Collegiatas ejuſdem Urbis, quarum major pars habet proprium & honoriſicum ſignum diſtinctum, & propriam Almutiam.

Non eſt tamen ſola antiquitas Eccleſiæ Collegiatæ, quæ deferat Præcedentiam ſupra alias, nam datur & recentior, quæ præcedit antiquioribus: ſiquidem illa, quæ eſt inſignis ab ejus erectione, habet digniorem locum ſupra alias Collegiatas licèt antiquiores, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio anno 1612. *ſub die 24. Martii*, apud Gavantum *in Manuali Epiſcopor. verb. Præcedentia, ſub num.* 21. *in addit.* licèt enim Canonici Collegiatarum inſignium ſint poſteriores in erectione, & creati abſque ullius præjudicio, eo tamen ipſo, quòd Eccleſia eſt effecta inſignis, gaudet privilegiis Eccleſiarum inſignium, & conſequenter potitur loco digniori ſupra Collegiatam non inſignem, inquit Nicolius *in Lucubrat. tom.* 2. *Canon. lib.* 1. *titul.* 33. *ſub numer.* 3. *pag. mihi* 53. Et hoc noviſsimè firmatum eſt, nam cùm Genuæ in Liguria acerrimè contenderent de Præcedentia in Proceſsionibus duæ Eccleſiæ Collegiatæ, una ſcilicèt S. Mariæ Vinearum, altera verò SS. Fabiani & Sebaſtiani de Carignano, Cauſa delata fuit ad Sacram Rituum Congregationem, in qua propoſito Dubio: *An conſtet de Collegialitate cum qualitate Inſignitatis S. Mariæ Vinearum Genuæ: & an Canonicis ejuſdem Eccleſiæ debeatur Præcedentia in Proceſsionibus adverſus Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ SS. Fabiani & Sebaſtiani de Carignano ejuſdem Civitatis?* Eadem Sacra Rituum Congregatio, perpenſis & benè maturatis utriuſque Partis rationibus, ſub die 19. Julii 1710. reſpondit *Affirmativè in omnibus*, ut habet Scriptor egregius in hac Cauſa Dominicus Urſaya *Diſceptat. Eccleſiaſt. to.* 1. *par.* 1. *diſceptat.* 6. *ſub nu.* 192. ubi tamen diſceptatione ſeptima ait, quòd Cauſa ſic deciſa, remiſſa poſtmodum fuit ad Sacram Congregationem particularem à Clemente Undecimo deputatam, quæ

die

die 17. Auguſti 1714. reſcipſit, *Ad Sacram Congregationem Rituum pro nova Audientia*: In hac tamen nova Audientia, de qua nihil Urſaya, Sacra Rituum Congregatio ſtetit in deciſis *anno* 1716. 19. *Julii*, prout refert eruditiſſimus Sacerdos noſter, de Republica Litteraria optimè meritus, mihique in amicitiam conjunctiſſimus, Nicolaus Coleti *in additione ad Ughellum in Italia Sacra, tom.* 4. *Provinc.* 8. *de Januen. Epiſcop. pag.* 836. Quia verò duplex datur Eccleſiæ Collegiatæ Inſignitas, à Jure ſcilicet, & ex Privilegio; & cùm Inſignitas Juris ſit dignior Inſignitate Privilegii, ideo Collegiata antiquior, quæ habet Inſignitatem à Jure, præfertur habenti Inſignitatem ex Privilegio poſteriorem, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Novarien. anno* 1700. *ſub die* 8. *Maii*, & antea reſcripſerat in una Civitatis Caſtellanæ *eodem anno* 1700. *ſub die* 13. *Februarii*, apud Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *ſub num.* 22. & egomet retuli in mea Collectione, de Canonicis utriuſque Eccleſiæ, Cathedralis ſcilicet & Collegiatæ, *ſub numer. margin.* 1597. *pag.* 453. *juxta ſecundam editionem ex anno* 1722. Collegiata denique Sæcularis præcedit Collegiatæ Regulari, ut clarè patet ex ſuperiùs dictis de Præcedentia Cleri Sæcularis, ubi attulimus Sacræ Rotæ Deciſionem *in Lucana Praeminentiarum* 12. *Martii* 1703. coram Molines Decano.

593

Ultimum & digniorem locum habet Clerus Eccleſiæ Cathedralis: in utriuſque enim Juris diſpoſitione Præeminentiæ conceduntur digniori, juxta text. *in cap. ſtatuimus, de major. & obed. in l.* 1. *& tot. tit. C. ut dignit. ord. ſervet. lib.* 12. *& in l. ut gradatim, ff. de muner.* Notandum tamen hoc loco venit, quòd cùm hæc Proceſſio SS. Corporis Chriſti ſit publica & univerſalis quæ incipit in una Eccleſia, & in ea terminatur, cum acceſſu Capituli Collegiatæ, & in qua unum Corpus incedit ſeparatum ab altero: illud, quod incedit ul-

timum

timum & unitum cum Epiſcopo ſuo Capite, facit manifeſtè dignoſcere eſſe Capitulum Cathedralis; & ideo inter ſigna Cathedralitatis refertur, Pax Jord. *variar. lucubr. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 21 *ſub n.* 69. Emerix *deciſ.* 372. *ſub numer.* 6. & dixit atque firmavit *Rota in Placentina Cathedralitatis coram Molines Decano*, apud Franciſcum Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par.* 4. *in fine*, *deciſ.* 11. *ſub numer.* 33. & 36. & refert etiam Joſephus de Proſperis *poſt Tract. de Territor. ſepar. deciſ.* 21. *pag. mihi* 283. Quia tamen omnes Canonici Cathedralis & Dignitates induunt Sacras Veſtes in hac Proceſſione, ideo pauca de eorum Præcedentia ſuo loco dicemus.

§. VII.

De egreſſu, & inceſſu Proceſſionis in Feſto SS. Corporis Chriſti.

PRoceſſionem hodiernam locum principem habere inter publicas & generales, nemo eſt qui ambigat: eſt enim Proceſſio de SS. Corpore Chriſti. Quapropter ſolemniſſimam vocat Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *ſub num.* 3. mirabilem verò nuncupat Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremon. par.* 4. *cap.* 16. *artic.* 1. *ſub num.* 1. *pag.* 268. triumphalem autem nominat Quartus *in Tract. de Proceſſ. ſect.* 2. *punct.* 11. *pag. mihi* 28. & præcipuam hujuſce Feſti cæremoniam dicit Grancolas *in Commentar. ad Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 81. *verſ. Quoad Proceſſionem*, *pag.* 365. Itaque decentiori, quo fieri poteſt, apparatu Eccleſia eſt ornanda, ut nobiliori induta ſuppelectile, illa appareat 594

pareat formoſa Regina, de qua Regalis Propheta, *in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Altare præſertim, in quo exponendum eſt SS. Sacramentum, diligentiori ornatu decoretur, in eoque copioſus ardeat numerus candelarum. Quia verò ubicunque Proceſſio eſt, dicitur Eccleſia, etiam omnes Viæ, per quas eſt tranſitura, adornari debent aulæis, pannis, picturis ſacris, floribus, frondibuſque virentibus. Altaria quoque hinc inde in publicis viis & Plateis erigantur, auro, argento, gemmiſque micantia, prout tribus in Urbibus Germaniæ fieri vidi in tribus itineribus per illud Regnum à me olim ſuſceptis. Itidem è feneſtris Domorum perpulchra ornamenta cernantur pendentia, ut ſicuti Proceſſio eſt triumphalis, ita tota Civitas referat ſpeciem triumphi. Arcus item, quos Triumphales vocant, ſi locis congruis aptè diſponantur, cum Verſibus, Emblematibus, & myſticis Figuris, erit admodum laudabile, inquit Bauldryus *ibidem*, *artic.* 2. *ſub num.* 2. *pag.* 269. Certè Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. §. 1. *&* 2. *pag.* 404. ſic revera habet: *Cura erit Epiſcopi pridie hujus Diei, vel etiam per aliquos dies ante, demandare Magiſtris Cæremoniarum, vel alteri, ad quem forſan ſecundùm Loci conſuetudinem hujuſmodi cura ſpectabit, ut omnia decenter, & diligenter præparentur, & provideantur, nempè, ut Viæ, per quas Proceſſio tranſire debebit, mundentur, & ornentur*. Et revera, tum in *Clem. unic. de Reliq. & vener. Sanct.* (in qua confirmatur Conſtitutio Urbani Quinti) quàm etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. dicitur, quòd hoc Feſtum ab omnibus Chriſti fidelibus celebrari debet cum majori ſolemnitate, religioſitate, & decore, quo fieri poteſt, & ex eis ſumpſit Braſchius *in Promptuario Synodali cap.* 29. *ſub num.* 33. & hoc etiam intelligitur, tam quoad ea, quæ intra ipſam Proceſſionem ſervanda, quàm itidem ad ea, quæ extra Proceſſionem, ſed pro ipſa Proceſſione in Viarum ornamentis fieri debent. Semitarum verò pavimen-

vimenta deberent etiam floribus ſterni, & præſertim in tranſitu SS. Sacramenti. Dicti tamen flores ne projiciantur ex alto Domorum, nam ex hoc minui poteſt devotio tum incedentium, tum etiam ſpectatorum: & multo minus projiciendi ſunt in faciem Cleri Sæcularis vel Regularis, nec tamen contra ſic projicientes comminanda eſt excommunicatio ipſo facto incurrenda, ut ſtatuta prohibitione, pœnam ſuſtulit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in Callien. Synodi ſub die* 20. *Januarii* 1720. apud Urſayam *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.* 5. *par.* 2. *diſceptat.* 16. *ſub num.* 71. *pag.* 176 *juxta edit. Venet.*

Hiſce præmiſſis, & finita Miſſa, ſive ſolemni per primam Dignitatem vel digniorem Canonicum cantata, ipſo Epiſcopo aſſiſtente: vel Miſſa privata per eundem Epiſcopum lecta, cum conſecratione Hoſtiæ pro hac ſolemni Proceſſione, & cum cæremoniis poſt Communionem, genuflexionibus, & reverentiis erga Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Altare poſitum, juxta Cæremoniale Epiſcoporum *dicto cap.* 33. §. 15. & 31. *pag.* 409. & 414. tunc, vel etiam ante, ſi opus erit, incipiet Proceſſio incedere, ſecundùm ordinem fusè ſuperiùs deſcriptum, & hìc ſummariè renovandum, pulſantibus continuò Campanis non ſolùm Eccleſiæ Cathedralis, ſed etiam aliarum: per quarum limites tranſit ipſa Proceſſio, donec terminetur. Diximus, quòd *finita Miſſa* incipiet Proceſſio, nam Miſſa in hac die ſolemnitatis SS. Corporis Chriſti, non debet cantari poſt abſolutam Proceſſionem: & hujuſmodi conſuetudo, uti à Cæremonialis diſpoſitione aliena, omninò abroganda eſt, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Albiganen. anno* 1662. *ſub die* 3. *Junii*, apud Reverendiſſimum P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *part.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 395. Præcedent igitur Confraternitates Laicorum, deinde Regulares, poſtmodum Clerus, hoc eſt, primò Miniſter portans Crucem Eccleſiæ Cathedra- 595

Digitized by Google

dralis, medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accenſis. Deinde, ſi aderunt, Clerici Seminarii, aliiquè de Clero Civitatis juxta conſuetudinem, & poſt eos Curati Eccleſiarum Parochialium cum Cottis, tum Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimo loco Clerus Eccleſiæ Cathedralis, cujus Eccleſiæ ſaltem octo Beneficiati, ſeu Manſionarii erunt parati cum Pluvialibus albis pro deferendis Haſtis, Baldachino in principio Proceſſionis, ut infra dicetur, deinde ibunt ante Canonicos. Omnes ſimiliter Canonici unà cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis ſibi competentibus, incipiendo à junioribus & Inferioribus, hoc ordine, videlicèt, primò Subdiaconi & Diaconi cum Tunicellis & Dalmaticis, deinde Presbyteri cum Planetis, & ultimo loco Dignitates cum Pluvialibus, & omnes in manibus teneant candelas accenſas. Notandum hìc eſt, quòd Primicerius, licèt dubitetur an ſit Dignitas, debet tamen in Proceſſione capere Pluviale ut Dignitas, non verò Planetam ſicut Canonicus, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Capuana*, *ſub die* 28. *Aprilis* 1607. apud Barboſam *de Canonic. & Dignitat. cap.* 9. *ſub num.* 9. Si erit Archiepiſcopus, portabitur immediatè ante prædictos octo Beneficiatos paratos, & Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos Acolythos ceroferarios, Crux Archiepiſcopalis.

Proceſſio tamen ita foris incedat, ut ſine ulla interruptione nonnulli intra Eccleſiam remaneant egreſſuri, & præſertim Clerus Cathedralis. Interim accedent ad Epiſcopum duo Acolythi cum duobus thuribulis, & miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente abſque oſculo cochlearis & manus, Epiſcopus Pluviali albo indutus, ſtans cum Mitra, ſine benedictione imponet thus in prædictis duobus thuribulis. Quo facto, accedat ad Altare, ubi depoſita Mitra, genuflexus ſuper pulvino ante SS. Sacramentum, accepto è mani- 596

bus prædicti Presbyteri aſſiſtentis uno ex duobus thuribulis, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum. Tum per Magiſtrum Cæremoniarum imponetur ſuper humeros ejus velum perpulchrum, & Diaconus aſſiſtens à dextris, accedet ad Altare, & cum debitis reverentiis accipiet Oſtenſorium cum SS. Sacramento de Altari, & illud in manibus Epiſcopi genuflexi collocabit, cui nec manum oſculabitur, nec ullam tunc faciet reverentiam, ſed ſtatim atque in ejus manibus ipſum Sacramentum reliquerit, genuflectet. Tunc Cantores incipient Hymnum *Pange lingua glorioſi, &c.* Quia tamen Cæremoniale Epiſcoporum loquens de hac Proceſſione, nullum aſſignat locum Cantoribus, ideo Epiſcopus, Dignitates, & Canonici Cathedralis Vigilienſis ſupplicarunt Sacræ Rituum Congregationi declarari, ubi, & quomodò incedere debeant Cantores in Proceſſione SS. Corporis Chriſti? Et Eminentiſſimi Patres reſponderunt, *ſervandum eſſe Cæremoniale Epiſcoporum in cap. 2. lib. 1. & alibi, eoſque Superpelliceo indutos incedere debere, hac die* 8. *Octobris* 1650. ut refert Thomas Paſcuccius *in Compend. ad Conſult. Canon. Jac. Pignatel. par. 2. tit. de Præcedentia, pag.* 248. *vel* 152. *juxta edit. Roman. vel Venet.* ſed in dicto capite ſecundo Libri primi collocantur Cantores immediatè ante Canonicos: ergo etiam in hac Proceſſione. Eorum autem Magiſter debet cum eis incedere, non verò cum Beneficiatis, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Urbevetana ſub die* 20. *Novembris* 1610. & iterum *in eadem ſub die* 15. *Januarii* 1611. prout egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 341. *pag.* 102. Non convenit tamen cantare Cantiones vulgari ſermone, ut de hoc Feſto SS. Corporis Chriſti dixit & reſpondit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Abulen. ſub die* 21. *Martii* 1609. apud Nicolium *in Floſculis*, verb. Cantus, ſub numer. 1. & ita etiam habet Barboſa *in Summa Apoſtolic. Deciſ. verb.*

Cor-

Corporis Chriſti, Feſtivitas, *Collect.* 231. *ſub num.* 4. & omnium noviſſimus idem refert P. Merati *in Addit. ad Gavant. tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 9. Cavendum etiam erit, ne in hac Proceſſione actus ſcenici, vel ludicri, & indecori intermiſceantur, ſed omnia cum gravitate, & devotione fiant, & procedant. Dum autem Cantores per viam, & extra Eccleſiam cantant illam ſtropham Hymni *Tantum ergo Sacramentum*, non genuflectitur, ubi enim multus eſt Clerus, ut in hac Proceſſione, Poſſet, & malè interrumpi Proceſſio, ait Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *rubr.* 9. *litt.* r. melius tamen erit, ſi illa ſtropha taceatur in via, & dicatur ante Altare in repoſitione.

Incæpto in Eccleſia dicto Hymno *Pange lingua glorioſi*, Epiſcopus cum SS. Sacramento ſurget: & Diaconi aſſiſtentes hinc inde, fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt. Deinde ipſe Epiſcopus verſa facie ad Populum, incedet ſub Baldachino, detecto capite portans manibus ſuis SS. Sacramentum in Oſtenſorio incluſum, medius inter dictos duos Diaconos aſſiſtentes: & per viam Proceſſionis ſemper aliquos Pſalmos vel Hymnos ſubmiſſa voce recitabit, reſpondentibus iiſdem duobus Diaconis aſſiſtentibus. Immediatè tamen ante Baldachinum ibunt duo Acolythi cum duobus thuribulis, continuè SS. Sacramentum per viam thurificantes. Sed ante dictos duos Acolythos immediatè ibit Miniſter de Baculo ſerviens, ſeu juxta Loci conſuetudinem, Dignitas, vel Canonicus paratus Pluviali, Baculum prædictum a terra elevatum, ambabus manibus portans: Poſt Epiſcopum verò ſuccedet immediate Miniſter cum cotta & velo ad collum, Mitram manibus geſtans: Deinde incedent, ſi aderunt, omnes illi Prælati, de quibus loquitur Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. §. 10. & 11. *pag. mihi* 407. Quia verò ſupra dictum eſt, quòd Epiſcopus debet manibus ſuis SS. Sacramentum geſtare, 597

notandum idcircò eſt, quod SS. Sacramentum in Tabernaculo ſeu Oſtenſorio incluſum, non eſt deferendum Sacerdotum humeris, ſed manibus tantùm Celebrantis, non obſtante quavis conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1618. *ſub die* 2. *Junii*, apud Gavantum *tom.* 2. *par.* 4. *tit.* 12. *ſub numer.* 4. & refert Barboſa *de poteſt. Parochi*, *par.* 2. *cap.* 20. *ſub num.* 50. ac etiam Bauldryus *in Man. Sacrar. Caremon. par.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *ſub num.* 10. *pag.* 272. & egomet retuli in mea Collectione de Sacris Ritibus, *ſub numer. margin.* 432. *pag.* 126. ac ex me tradit La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 9. Duas tamen legi recentiores Sacræ Rotæ Decíſiones tenoris ſequentis, videlicèt: *Permiſſa ab Innocentio Undecimo anno* 1686. *& voto Sacræ Rituum Congregationis, Capitulo Hiſpalenſi vetuſta conſuetudine deferendi Venerabile Sacramentum, in illius annua Solemnitate, ſuper pretioſa Structura Machina, non licèt Archiepiſcopo illam impedire, prætendendo eundem Eucharisticum Panem propriis manibus geſtare: Confirmationes autem Apoſtolicæ in ordine ad Cæremoniale, nunquam intellexerunt tollere & infringere conſuetudines centenarias & immemorabiles*, ut dixit & firmavit *Rota in Hiſpalen. Proceſſionis ſuper ſecundo Dubio*, 28. *Julii* 1700. *coram Anſaldo*, apud Scarfantonum ad Ceccoperium; *tom.* 1. *in fine*, *deciſ.* 41. *&* 42. *pag.* 159. Hæc tamen Reſolutio, quæ eſt particularis non extenditur ad Eccleſiam univerſalem, in qua ex ſuperiùs dictis eſt prohibita delatio SS. Sacramenti ſuper humeros Sacerdotum: unde laudandus eſt quidam Auctor, quem tacito nomine corrigit Jacobus Eveillon Canonicus Andegavenſis in ſuo Libro de Proceſſionibus Eccleſiaſticis Pariſiis impreſſo 1651. *cap.* 25. *de Proceſſ. in Feſto Corpor. Chr. pag.* 261. eo quia in media Gallia ſcripſit contra uſum hujuſmodi Machinæ in humeris geſtandæ, nam benè dixit, dum eam vocavit corruptelam & abuſum.

Ha-

Haſtas autem Baldachini , ſub quo Epiſcopus defert manibus ſuis Sanctiſſimum Sacramentum , portabunt per totam Eccleſiam octo illi Beneficiati ex dignioribus , parati , ut ſupra dictum eſt, & in Porta Eccleſiæ illas relinquent in manibus Laicorum : iiſque haſtis ſic relictis , ipſi Beneficiati præibunt ad locum ſuum , ideſt , ante Canonicos paratos. Illi autem Laici Haſtas Baldachini delaturi , debent eſſe Viri in Loco illuſtriores : & ne in delatione dictarum & ut dignior locus agnoſcatur , ordinem ſumimus ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib. 1. cap. 14. §. 2. pag. mihi* 92. eſt igitur ſequens , videlicet : Dignior ferat primam haſtam , quæ eſt ante Epiſcopi dexteram : ſecundus alteram , quæ eſt prima ante Epiſcopi ſiniſtram : tertius aliam , quæ immediatè eſt ſub prima à parte dextera : quartus aliam, quæ ſuccedit primæ à parte ſiniſtra : quintus tertiam haſtam à parte dextera : ſextus tertiam à parte ſiniſtra , & ſic deinceps : ſed Cæremoniale ſupponit octo haſtas , & ideo poſt ſexta dicit *& ſic deinceps* : At quia plerumque Baldachinum habet ſex tantùm haſtas, extenditur ordo ſex haſtarum ; & ſi octo habeat , docet ordinem ex dictis ſumendum : ita ut minùs digni habeant poſtremas haſtas poſt tergum Epiſcopi . Deinde , ſi via ſit longior , diſtribuendum erit onus ferendi haſtas prædictas cæteris Civibus & Nobilibus Civitatis , ſeu Officialibus , vel Sodalitatibus , aut aliis pro Locorum conſuetudine , Judicio Epiſcopi moderanda , ubi opus videbitur , ne rixæ aut contentiones oriantur . Quòd ſi inter digniores & illuſtriores ; plures eſſent , qui de æquali gradu aut præeminentia contenderent , adeo ut in omnibus his primo loco haſtæ Baldachini aſſignari nequirent, relinquitur his ultimus locus, ideſt, ubi Proceſſio jam pervenit ad Eccleſiam , talis enim locus reputatur primo æqualis . Procedendum tamen eſt prudenter , ne contentio fiat inter eos , quis eorum ſit major . Gravi tamen paſſu incede-

re debent, ipſum ſemper Baldachinum ſupra SS. Sacramentum, & Celebrantem deferentes.

A Lateribus Baldachini hinc inde ibunt octo Capellani cum cottis, qui in Miſſa ſervierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia attenſa, quæ ſervierunt pro Miſſa. Quòd ſi ſolitum ſit, ut Priores Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti intortitia deferant à dictis lateribus Baldachini, non eſt improbanda, ſed ſervanda hæc conſuetudo, dummodò tamen eant poſt Canonicos, non verò ante eos, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1616. *ſub die* 30. *Januarii*, apud Gavantum *in Manuali Epiſcopor. verb. Proceſſio*, *ſub numer.* 39. & dummodò major pars Confratrum incedat ante in loco ſuo, ut reſpondit eadem Sacra Rituum Congregatio *in Nepeſina anno* 1608. *ſub die* 10. *Maii*, teſte Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Confraternitas*, *Collect.* 207. *ſub num.* 33. Pluribus autem quamvis à Ceremoniali Epiſcoporum ſit, quà par eſt, cura omni præcautum, quatenùs hæc Proceſſio ſolemnis in Feſto SS. Corporis Chriſti, religiosè ſemper & honorificentiſſimè habeatur, luminibus præſertim adhibitis à Clero & Populo deferendis: verumtamen, cùm, quæ deferri ſolent, lumina aperta geſtentur, eaque non raro, vento, aut pluvia improvisò ſuperveniente, extincta omnia remanere videantur: ne idcircò (quod incongruum ſatis eſſet, atque Auguſtiſſimo Domino indecentiſſimum) lumina tunc debita deſiderentur, curent Epiſcopi; & cum eis Sacrarum Cæremoniarum Magiſtri advigilent, ut, per quos pertinet, quatuor ſaltem cum ſuis haſtis Laternæ, quæ tamen aliis ſint nobiliores, comparentur, & ſuis ſemper cum intùs accenſis candelis, hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum geſtat, in poſterum deferantur: *Ita Benedictus* XIII. *in Concil. Rom. tit.* 15. *cap.* 7. 599

Licèt autem Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 33. *per tot.* nullam faciat mentionem de Sel- 600

la ge-

la geſtatoria, poteſt nihilominùs Epiſcopus ea uti, & poſt ſe deſerre etiam in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1657. *ſub die* 15. *Septembris*, *in Granaten.* in qua juſſit ſervari Decretum emanatum *anno* 1608. *ſub die* 10. *Maii*, ut refert Paſcuccius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatell. par.* 1. *tit. de Epiſcopo*, *pag.* 257. *vel* 159. *juxta edit. Rom. vel Venet.* ubi etiam validam reddit rationem, quia ſcilicèt dicta Sella geſtatoria eſt de Ritibus, & illius uſus arbitrarius Epiſcopo in quocunque loco magis apto, & per Concilia Canonicaſque Sanctiones deſignato ad miniſtrandum: præſertim quando eſt eadem, qua utitur in Eccleſia, & quam Concilium & Canones dicunt eſſe de Dignitate, *cap. Epiſcopus in Eccleſia* 95. *diſt. ex Concil. Carthagin.* & uſus ejus in Stationibus reputatur, ac ſi eſſet in Eccleſia ipſa, quia Proceſſio ab exitu uſque ad reditum unicus dicitur actus, non minùs, ac ſi in ipſa Eccleſia perficeretur: ideoque Loca, per quæ Proceſſio tranſit, tanquàm Eccleſia conſiderantur: unde inter contendentes de Præcedentia, locum ſemper eundem ab unoquoque tenendum in itinere & ſtationibus, quem in ipſa Eccleſia habet, dixit *Rota in Cæſaraugustana Præeminentiarum*: & egomet retuli in mea Collectione de Epiſcopis & Abbatibus utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 1270. *pagin.* 271.

Quòd ſi Proceſsio ſit longior, poteſt Epiſcopus in aliqua Eccleſia, & ſuper illius Altare deponere SS. Sacramentum; & aliquantulùm quieſcere, & ibidem, antequàm diſcedat, thurificare SS. Sacramentum, & Orationem de eodem cantare: quod tamen non paſſim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, quæ forſitan per viam conſtructa & ornata reperiuntur, faciendum eſt, ſed ſemel tantùm, vel iterum, arbitrio Epiſcopi, ut concedit Cæremoniale Epiſcoporum *libr.* 2. *capit.* 33. §. 22. *pag. mihi* 412. In prædictis autem Ec- 60

cleſiis aut Altaribus paratis, Diaconus genuflexus accipit de manibus Epiſcopi SS. Sacramentum, illud ponit ſuper Corporale priùs explicatum, & miniſtrat deinde incenſum Epiſcopo de more: Epiſcopus verò genuflexus ter incenſat: & interim, & non priùs, dum inchoatur incenſatio, Cantores poterunt cantare, *O ſalutaris Hoſtia, quæ Cœli pandis oſtium*, præſertim tempore Belli, nam in hac ſtropha invocatur Divinum auxilium, unde immediatè ibi ſequitur, *Bella premunt hoſtilia, da robur, fer auxilium*: Vel cantari poterit alia ſtropha ſumpta ex Hymno Matutini, *Panis Angelicus fit panis hominum*, ibi enim admiramur Chriſti in Sacramento exiſtentis benignitatem, nam cùm apud ipſum nulla ſit exceptio Perſonarum, omnibus ſe tradit manducandum, & ideò proſequimur, *o res mirabilis! manducat Dominum pauper, ſervus, & humilis*. Non tamen videtur cantandum *Tantum ergo Sacramentum*, quod reſervandum cenſeo in fine Proceſsionis, reſpoſito SS. Sacramento ſuper Altare Cathedralis. Cantata una, vel altera ex prædictis duabus ſtrophis, ſubdunt Cantores Verſiculum *Panem de Cœlo*, cui addant *Alleluja*, in tota etenim hac Octava addendum eſſe præcepit Clemens Undecimus *in Bullar. Rom. noviſſ. tom. 8. par. 2. Conſtitut.* 9. §. 21. deinde Epiſcopus dicit Orationem de SS. Sacramento, qua finita, Epiſcopus accipit à Diacono Oſtenſorium, & Proceſſio incedit. At quia modò ſermo eſt de Altaribus per viam ornatis, venit ad noſtram rem conſuetudo illa Cathedralis Brixinenſis, quam animadverſione dignam dicit Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. titul.* 80. *ſub num.* 24. *pagin.* 337. & de qua loquitur Sacerdotale illius Eccleſiæ *diſt.* 5. *capitul.* 10. *ſub num.* 13. *ad pag.* 169. ubi inter varias ordinationes ad hanc Proceſſionem ſpectantes, hæc habentur præciſa verba videlicet: *In quatuor diſtinctis locis, verſus quatuor Mundi plagas, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem reſpicientibus, erecta ſint*

qua-

quatuor Altaria ex ligno, cum baldachinis, ſeu tectis, pulchrè & decenter ornata, ſuper quibus collocari poſſit Monſtrantia (hoc eſt Oſtenſorium) *dum quatuor Evangeliorum initia cantantur.*

Ex eo autem, quòd Epiſcopus deferat in hac Proceſſione SS. Sacramentum, licèt non celebraverit ſolemniter, non eſt inferendum, quòd Miſſa cantari poſſit ab uno, & delatio SS. Sacramenti fieri ab alio Sacerdote, nam præter hunc caſum, qui celebrat, debet etiam deferre: Epiſcopo autem permittitur, quia cùm Pontificalia requirant multum temporis, & Proceſſio ſit tempeſtivè & hora opportuna incipienda, ad illuſtrandam Proceſſionem Cathedralis conceditur ſuo Capiti ratione Dignitatis Epiſcopalis, ut quamvis Pontificaliter non celebraverit, ſed tantùm Miſſæ ſolemni breviori fuerit aſſiſtens, deferat nihilominus SS. Sacramentum in Proceſſione. Sequitur ex dictis, quòd abſente Epiſcopo, ſuccedit in Functionibus Pontificalibus prima Dignitas, ad quam idcircò ſpectat & Miſſam cantare, & SS. Sacramentum deferre, quod millies declaravit Sacra Rituum Congregatio. Non convenit enim, ut prima Dignitas Miſſam celebret ante Proceſſionem SS. Sacramenti, & deinde altera minor Dignitas illud geſtet in Proceſſione: & ecce prima Reſolutio ejuſdem Sacræ Congregationis, emanata *anno* 1632. *ſub die* 31. *Julii*, apud Gavantum *in Man. Epiſcopor. verb. Canonicorum munera, præſertim in Choro, ſub num.* 16. *in additione*. Quod autem dicitur de Cathedrali, intelligitur etiam de Collegiata, & de alia quavis Eccleſia. Sed ponamus alia Decreta ad hanc rem emanata, in quibus utraque Functio, tanquam unicus actus, uni ſoli tribuitur, & committitur. Capitulum itaque Brunduſinum humillimè ſupplicavit Sacræ Rituum Congregationi declarari, *An in Die Corporis Chriſti Sacramentum Euchariſtiæ ſit deferendum à Celebrante?* Et eadem Sacra Congregatio anno 1627. ſub die 12. Junii reſpondit, *Affirmativè*, apud Urſayam 602

ſayam *diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 2. part. 2. diſceptat. 2. ſub numer.* 85. *&* 90. Itidem pro parte Capituli Eccleſiæ S. Mariæ de Paganica Aquilanæ Diœceſis petitum fuit declarari: *An is, qui celebrat, geſtare debeat Sacramentum in Proceſſione immediatè ad Miſſam, vel aſſumi debeat dignior de Clericis adſtantibus ad dictam functionem proſequendam finita Miſſa?* Et Sacra Rituum Congregatio ſub die 5. Junii 1634. reſpondit, *ſpectare & pertinere ad eum, qui Miſſam celebravit*, ut refert Thomas Paſcuccius in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli, *part. 2. titul. de Parocho, pagin.* 210. *vel* 129. *juxta edit. Roman. vel Venet.* Nec deſunt ſuper hoc Confirmationes Apoſtolicæ: ſiquidem Decretum Sacræ Rituum Congregationis, in quo reſolutum fuit, *in Feſtivitate SS. Corporis Chriſti, delarationem SS. Sacramenti ſpectare ad Præpoſitum Collegiatæ Inſignis & Matricis S. Georgii de Civitate Modica Syracuſanæ Diœceſis: & eo abſente, ad aliam Dignitatem ejuſdem Eccleſiæ ordine ſucceſſivo, dummodò ipſa Dignitas, quæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferre debet, illo Die ſolemniter celebraverit*, confirmavit & approbavit Innocentius Undecimus *in Conſtitut.* 21. *quæ* incipit Aliàs emanarunt, *edita anno* 1689. *ſub die* 4. *Junii, & exiſtente in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgentiæ de Anno* 1727. *tom.* 5. Noviſſimè pariter idem reſolutum fuit, nam propoſito ſequenti Dubio per Cardinalem Gabriellium, ſcilicet: *An Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Feſto SS. Corporis Chriſti deferri debeat ab eo, qui Miſſam celebrat?* Sacra Rituum Congregatio in Compſana Præeminentiarum ſub die 23. Martii 1709. ad quartum Dubium reſpondit, *Affirmativè*: ut habet præfatus Urſaya *dicto tom. 2. part. 1. diſceptat. 20. ſub numer.* 59.

Ita autem primæ Dignitati in Cathedrali convenit, abſente vel impedito Epiſcopo, celebrare ſimul, & deferre SS. Sacramentum in Feſto SS. 603

Cor-

Corporis Chriſti, ut neque id præſtare poſſit Vicarius Apoſtolicus, cùm ei non competat ex Epiſcopi abſentia jus deferendi SS. Sacramentum in Proceſſione, nam hoc ſpectare ad Dignitates de Capitulo declaravit Sacra Epiſcoporum Congregatio *in Lancianen. anno* 1615. *ſub die* 8. *Maii*, apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par.* 2. *titul.* 16. *formul.* 7. *ſub numer.* 6. *pagin.* 336. Et multo minùs id facere poteſt Vicarius Generalis, ut talis, cùm ei tantùm conveniat, ut omnia ſuo ordine fiant, ut reſolvit Sacra Congregatio Rituum *anno* 1627. *ſub die* 19. *Septembris*, ſic referente Pellegrino *in Prax. Vicarior. par.* 1. *ſect.* 6. *ſub nu.* 23. & egomet retuli in mea Collectione de Vicariis utriuſque Cleri, *ſub numer. margin.* 288. *pagin.* 93. Imò nec hoc incumbit Canonico Hebdomadario, ſed ſpectat ad primam Dignitatem, eàque impedita, gradatim ad alias, ut de Cathedrali declaravit Sacra Rituum Congregatio *in Gerunden. Functionum Epiſcopalium* 11. *Februarii* 1702. teſte Scarfantono ad Ceccoperium *par.* 1. *libr.* 2. *tit.* 13. *ſub numer.* 7. *pagin.* 177. & de quaſi Collegiata Eccleſia, quòd ſpectet ad Archipresbyterum, & eo abſente, ad Primicerium tanquàm ei proximum, non verò ad Hebdomadarium, reſolvit eadem Sacra Congregatio Rituum *in Cauſa Compſana Præeminentiarum* 23. *Martii* 1709. apud Urſayam, qui ſcripſit in hac eadem Cauſa, *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 2. *part.* 1. *diſceptat.* 20. *num.* 55. 56. *&* 57. Notandum tamen eſt hoc loco, quòd primæ Dignitati ſolemniter celebranti in Feſtivitatibus ſolemnioribus (& conſequenter, abſente Epiſcopo, in Feſto SS. Corporis Chriſti) debetur aſſiſtentia duorum Canonicorum pro Diacono, & Subdiacono, ut ex Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *capite* 17. & ex Barboſa *de Canonic. & Dignitat. cap.* 34. *ſub nu.* 3. nec non & ex Sacra Rituum Congregatione *de anno* 1695. *ſub die* 17. *Decembris*, dixit atque firmavit *Rota in Hortana Præeminentiarum* 11. *Junii* 1704. coram Kaunitz, *in addita-*

ditamen. ad Theatr. Cardin. de Luca, *deciſ. vol.* 4. *dec.* 9. *ſub n.* 4. *pagin. mihi* 15. ubi etiam ſub numero 6. & 7. dictum fuit, quòd ſi itidem habeatur Conſtitutio Synodalis, in qua apertiſſimè caveatur, quòd abſente Epiſcopo, prima Dignitas teneatur peragere Sacras Functiones in Feſtivitatibus ſolemnioribus, eidemque debeant aſſiſtere duo Canonici, quorum unus inſerviat in officio Diaconi, & alter Subdiaconi, ſemper creſcit obligatio in Canonicis, dum ad illam inducendam ſatis eſſet ſola dicta Synodalis Conſtitutio, ex Maſſobrio *de Synodo*, *capit.* 4. *ſub numer.* 77. *& ſeqq.* ac ex Zarate *deciſ.* 74. *ſub numer.* 20. *&* 36. nec non & ex Cerro *deciſ.* 544. *ſub num.* 11. Quòd ſi primæ Dignitati debent aſſiſtere duo Canonici in Miſſa ſolemni de Feſto SS. Corporis Chriſti, abſente Epiſcopo, in claram conſequentiam venit, quòd teneantur aſſiſtere etiam in Proceſſione, cùm Miſſa & Proceſſio ſit unicus actus. Itidem notandum, quòd ſi hodie Epiſcopus non deferat Euchariſtiam, Canonici nihilominus debent induere Sacras Veſtes, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *in Cajetana anno* 1628. *ſub die* 17. *Martii*, apud Gavantum *in Man. Epiſcop. verb. Proceſsio*, *ſub numer.* 34. & refert etiam P. Merati *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice*, *ſub num.* 227.

Cæterùm, quòd in hac Proceſſione, in qua de- 604
fertur SS. Sacramentum, incedere debeat detecto capite uterque Clerus, Sæcularis ſcilicèt & Regularis, omneſque Laici eidem Proceſſioni intereſſentes, quiſnam eſt, qui valeat dubitare? nam Chorus ipſe Angelorum aſſiſtit & comitatur, adorans ſubmiſſè Regem ſuum, quem Pater æternus cùm introducit in orbem terrarum, dicit: *& adorent eum omnes Angeli Dei*. Sed neque valere debet Privilegium Apoſtolicum alicui etiam Canonico conceſſum deferendi pileolum: ſiquidem facultas deferendi illum in Miſſa, non extenditur à conſecratione ad uſque ſumptionem: ergo ubi eſt Sacramentum, non eſt utendum dicto pileolo: &

con-

conſequenter neque in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti. Nec deſunt Regum exempla, ex quibus totus Orbis ædificationem accipere valeat: Arca etenim Teſtamenti erat figura SS. Corporis Chriſti, & ideo in Officio huius Octavæ legimus de ea. Regalis autem Propheta eam præceſſit abſque Corona in capite, & ſine ullo regio ornamento: unde ei tunc dixit Michol: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe: id eſt, minimè glorioſus, depoſita gloria regalium indumentorum*. Carolus quoque Quintus hoc fecit memorabile: nam cùm Sol radiis ſatis acutis caput ejus verberaret in Proceſſione SS. Sacramenti, adfuit Familiaris, qui umbellam explicando & alevando, caput Imperatoris à nimio æſtu defendere ſtudebat: cui illicò Cæſar, tantam irreverentiam indignatus, ſeriò dixit: *Aufer iſtam hinc: Dominum Dominantium ſequor: Sol illi ſervienti non nocet*, ut ex Campio *in Hiſtor. Cramon. libr.* 2. & ex aliis ejus geſtorum Scriptoribus refert Baruffaldus *in Commentar. ad Rituale Roman. tit.* 80. *ſub num.* 53. *pag.* 340.

In hac verò Proceſſione Clerus Sæcularis una manu candelam teneat accenſam, altera pectori admota, inquit Gavantus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *ſub numer.* 5. Attamen Baruffaldus *loco ſupra citato, ſub numer.* 50. ſentit eſſe meliùs, & convenire, ut manu cereo non impedita Birettum Clericale geſtare debeat. Sed ſivè Clerici pectori manum admoveant, ſive Birettum geſtent, omnes procedant uniformiter, cùm ex uniformitate, gravior oculis ſpectantium fiat inceſſus, & clarior devotio cum oculorum demiſſione. Illud etiam eſt notandum, quòd dum Proceſſio ſiſtit (hoc enim non ſemel contigere ſolet) Sacerdos deferens, Subdiaconus & Diaconus non debent ſedere neque in ſcamno, neque in ſedibus, ut ad quartum Dubium reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Hiſpalen. anno* 1690. *ſub die* 21. *Januarii*, apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par.* 4. *qua Opus* 605

Poſthu-

Google

poſthumum inſcribitur, *in ſupplemen. ad I. Tomum*, *pag.* 9. *ſub num.* 86. & egomet retuli in mea Collectione de Canonicis utriuſque Eccleſiæ; *ſub nu. margin.* 1406. *pag.* 385. *juxta ſecundam editionem Paternam de Anno* 1722. Illud quoque ſciendum, quòd ſicuti hæc Proceſſio ſolet eſſe longioris itineris, ſic etiam tranſire ſolet per plures Parochias: nec ideo Parochi, intra quorum limites fit tranſitus, debent accipere SS. Sacramentum de manu deferentis, ut ipſi geſtent per ſuos limites, illud inde reddituri primæ Dignitati: nam extat ſequens declaratio data Capitulo Lucano, in qua ſic habetur: *Capitulum Cathedralis Lucanæ expoſuit, in delatione SS. Sacramenti, quæ fit per digniorem de Capitulo, abſente vel impedito Epiſcopo, in die Solemnitatis Corporis Chriſti, tranſiens per limites Parochiæ S. Fridiani, Priorem ipſius Parochiæ prætendere ſibi conſignari debere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferendum ab ipſo Priore per limites ſuæ Parochiæ: Quod cùm ſit contra ſolitum Loci, & Ritum univerſalis Eccleſiæ, ſupplicavit reſponderi, quid agendum?* Et Sacra Rituum Congregatio in Lucana ſub die 21. Aprilis 1635. reſpondit, *delationem SS. Sacramenti in caſu propoſito ſpectare ad digniorem Cathedralis per totam viam, etiamſi contingat, Proceſſionem tranſire limites alterius Parochiæ: & ita omninò ſervari mandavit*, ut refert Thomas Paſcuccius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par.* 2. *tit. de Parocho, pag.* 210. *vel* 129. *juxta edit. Roman. vel Venet.*

Non ſunt tamen in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti deferendæ Sanctorum Reliquiæ, ut ex Concilio Provinciali Mediolanenſi Quarto ait Gavantus *in Man. Epiſcopor. verb. Proceſſio, ſub num.* 35. eſſet enim Servum Domino comparem facere: & cultus Latriæ, qui ſoli Deo debetur, à rudibus Populis confunderetur cum Dulia: non eſſe autem deferendas, clarè patet ex eo, quòd ſuper Altare, in quo SS. Sacramentum eſt expoſitum, non eſſe ponendas Sanctorum Reliquias, præcepit 606

Cle-

Clemens Undecimus *in ejus particulari Bullario*, *par.* 2. *Conſtitut.* 9. *emanata anno* 1705. *ſub die* 20. *Januarii*, nec non & in Bullario Romano noviſſimæ editionis Luxemburgenſis, *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtit.* 9. §. 2. Quòd ſi non poſſunt dictæ Reliquiæ poni coram SS. Sacramento expoſito, nec poterunt deferri in ejus Proceſſione, quæ reſpicit Repoſitionem ad idem Altare, cùm unicus dicatur actus Expoſitio, Proceſſio, & Repoſitio, ita ut quod ſit vel non ſit in Eccleſia, idem faciendum vel omittendum in Proceſſione, quæ, ex ſuperiùs dictis Eccleſia vocatur. Hæc verò Proceſſio, quæ fit cum delatione Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, non debet tranſire per vias Hebræorum, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1593. *ſub die* 22. *Februarii*, referente Gavanto *in Manuali Epiſcopor. verb. Euchariſtia*, *ſub numer.* 12. & refert etiam Barboſa *de poteſt. Parochi*, *par.* 2. *cap.* 20. *ſub num.* 32. ac ex mea Collectione de Canonicis tradit La Croix *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *par.* 2. *tract.* 4. *ſub num.* 2055. *Decreto* 7. An autem Judæi mixtim inter Domos Chriſtianorum inhabitantes, cogi poſsint ad ornatum viarum, per quas tranſit hæc Proceſsio, nonnullas pro utraque parte rationes adducit Baruffaldus cæteroquin videndus *in Commentar. Rituale Roman. tit.* 80. *ſub num.* 23.

Cæterùm, ſi dum Proceſsio tranſit, in aliqua via, ratione lætitiæ, quia eſt Proceſsio Triumphalis, explodantur tormenta bellica, ſeu, ut vulgò nuncupantur *Mortaretti*, ſive *Maſculi*, poteſt Epiſcopus illa per Edictum prohibere, & hujuſmodi Edictum ſuſtinendum eſſe cenſuit Sacra Congregatio Immunitatis Eccleſiaſticæ *in Soanen. anno* 1698. *ſub die* 2. *Decembris*, *Libr.* 2. *Decretor. Vallemon. fol.* 190. ut habet Petrus Andreas Riccius *in Synopſi Decretor. dicta Sacra Congreg. verb. Proceſſio*. Hoc tamen non debet edicere, niſi ex rationabili cauſa, ad evitanda ſcilicet inconvenientia, quæ ex hujuſmodi exploſione oriri ſolet, præſertim ex 607

nimia

nimia eorum vicinitate, nam Proceſſio ſæpè interrumpitur, & omnibus ferè aufugientibus præ timore, ſolum relinquitur SS. Sacramentum: unde in tali caſu, vel alio ſimili, ne loco ædificationis oriatur ſcandalum, poteſt Epiſcopus, periculum evitaturus, dicta tormenta bellica prohibere, non autem ſi ſunt in debita diſtantia, vel ſint tormenta vulgò *Cannoni*, quæ ſuper mœnia Civitatis exploduntur. Cavendum etiam eſt, ne per vias Proceſſionis, Currus, Equi, Equitantes, & alia impedimenta pertranſeant. Quòd ſi quis equo vectus, vel in Quadriga ſedens, obvius occurrat SS. Sacramento in Proceſſione delato, protinùs ex ipſomet equo vel quadriga deſiliat, & utroque genuflexus, ei obſequium debitæ venerationis exhibeat, juxta Edictum, quod juſſu Clementis Undecimi promulgavit Eminentiſſimus Almæ Urbis Vicarius *anno* 1702. *ſub die* 9. *Junii*, apud Joannem Baptiſtam Braſchium *in Promptuario Synodali*, *cap.* 24. *ſub numer.* 7.

Ita igitur incedere debet Proceſſio uſque ad ſuum reditum in Eccleſiam. Hanc tamen Proceſſionem comitari poſſunt devoti Laici, deferentes intortitia in manibus, vel candelas accenſas: hoc enim fieri non prohibet Liber Cæremonialis, ut dubitantibus reſcripſit Sacra Rituum Congregatio *in Andrien. anno* 1603. *ſub die* 12. *Aprilis*, apud Auguſtinum Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Cæremoniale*, *Collect.* 78. *ſub numer.* 15. & iterum in eodem tractatu *verb. Epiſcopus quoad Proceſſiones*, *Collect.* 299. *ſub numer.* 9. & refert etiam P. Merati *tom.* 2. *par.* 2. *in Indice*, *ſub numer.* 15. Denique notandum eſt, quòd aſſocians hanc Proceſſionem SS. Sacramenti, gaudet Immunitate Eccleſiaſtica, ut declaravit, & reſpondit Sacra Congregatio Immunitatis *in Beneventana anno* 1636. *ſub die* 30. *Septembris*, *Libro* 3. *Decretor. Paul. pag.* 14. & poſtmodum reſolvit etiam *in Compſana anno* 1677. *ſub die* 6. *Julii*, *Libro* 2. *Decretor. Altov. pag.* 1414. apud Petrum Andream Riccium *in Synopſi*

608

Decre-

Decretor. ejuſd. Sacra Congregat. verb. Immunitas Localis, *ſub numer.* 4. & egomet retuli in mea Collectione de Epiſcopis & Abbatibus, *ſub numer. margin.* 992. *pagin.* 211. ex Thoma Paſcuccio *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par.* 1. *tit. de Immunitate Eccleſiaſtica*, *pag.* 483. *juxta edit. Roman.*

Digitized by Google

§. VIII.

De reditu Proceſſionis ad Eccleſiam in Feſto SS. Corporis Chriſti.

Cum hæc Proceſſio duos habeat terminos, 609
unum ſcilicet *à quo*, alterum verò *ad quem*
qui licèt diſtincti ſint; in hac tamen Pro-
ceſſione unus, & idem ſunt; hinc eſt, quòd à
qua Eccleſia inchoavit Proceſſio, ad ipſammet de-
bet proculdubio redire. Eſt enim actus unicus
Miſſa & Proceſſio, & ideo ubi celebrata eſt Miſ-
ſa, ibi etiam Proceſſio eſt terminanda, tam in
Cathedralibus, quàm in Collegiatis, aliiſque Ec-
cleſiis quibuſcunque: Licèt autem hoc ipſum per
ſe clarè pateat, nihilominus non defuerunt dubi-
tationes. Unde Sacra Ritunm Congregatio plu-
ries requiſita, pluribus etiam Reſolutionibus idem
declaravit, & confirmando ſtetit in deciſis. Se-
quentes ſignanter ad noſtram rem Deciſiones in-
veni, nempè: Prima fuit *in Tuſcanen. Praemi-
nentiarum*, in qua propoſito Dubio ad ſupradictam
materiam ſpectante, reſponſum fuit, à *Cathedrali
Preceſſionem SS. Sacramenti in ejus Feſto debere in-
choare, & ibidem finire*, ut reſpondendum cen-
ſuit Sacra Rituum Congregatio anno 1619. ſub
die 19. Auguſti, apud Paſcuccium *in Compend. ad
Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. part. 2. titul. de
Parocho, pag.* 199. *vel* 122. *juxta edit. Roman. vel
Venet.* Secunda verò Reſolutio eſt Rotalis, vide-
licet; *Proceſſio in Die SS. Corporis Chriſti incipi, &
terminari debet in Eccleſia Cathedrali, ſeu Majori:
& ſic in Colegiata, in qua incipit, & deſinit ipſa
Pro-*

Proceſsio, ut dixit atque firmavit *Rota in Burgen. Praeminentiarum* 8. *Februarii* 1677. coram Bourlemont, *deciſ. recentior. par.* 19. *tom.* 2. *deciſ.* 469. *ſub numer.* 64. & 66. Tertia denique emanata fuit in Nolana Proceſsionis inter Collegiatam Oppidi Summæ, & Parochum ejuſdem Oppidi: Cùm enim Proceſsio in die Feſtivitatis SS. Corporis Chriſti, ex negligentia anteceſſorum Canonicorum, inciperet in Eccleſia Parochiali S. Michaelis Archangeli poſita extra mænia dicti Oppidi, & terminaret in Eccleſiam Collegiatam S. Mariæ ad Nives intra mænia ejuſdem Oppidi poſita: Canonici, ad abolendum hujuſmodi abuſum, habuerunt recurſum ad Sacram Rituum Congregationem, in qua propoſito ſequenti Dubio, ſcilicet: *An Proceſsio SS. Corporis Chriſti incipere, & terminare debeat in Eccleſia Collegiata, ſeu potiùs in Eccleſia Parochiali?* Eadem Sacra Rituum Congregatio, ſub die 1. Septembris 1718. reſpondit: *Affirmativè quoad primam partem: negativè quoad ſecundam*: ut habet Urſaya, qui in hac Cauſa egregiè ſcripſit pro Capitulo, *Diſceptat. Eccleſiaſt. t.* 3. *par.* 1. *diſceptat.* 26. *ſub nu.* 45. & 46.

Ut autem loqui incipiamus de fine Proceſsionis, dum ipſa Proceſsio erit in fine, id eſt, propè eandem Eccleſiam, à qua diſceſsit, ante ejuſdem Eccleſiæ fores, iterum nobiliores Laici, vel alii nobilitate eiſdem æquales, haſtas Baldachini capient: & Epiſcopus ſub Baldachino ibit uſque ad cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris, juxta Eccleſiæ ſtructuram & ſituationem: Poſtquàm Epiſcopus pervenerit ad ſupremum Altaris gradum, Diaconus à dexteris, cum debita reverentia, & genuflexione, ac ſine oſculo, accipiet de manu ipſius Epiſcopi ſtantis SS. Sacramentum, & illud ſuper Altare collocabit. Interim Cantores in cantu pauſato & devoto cantabunt Verſiculum *Tantum ergo Sacramentum*, &c. Epiſcopus verò, depoſito velo, genuflectet ſuper pulvino in infimo gradu Alta- 610.

ris : mox ſurget, & imponet incenſum in altero ex duobus thuribulis, miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente, & ſine benedictione, & oſculo, ut ſupra, & iterum genuflexus, SS. Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit. Quo facto, duo Cantores cantabunt Verſiculum *Panem de Cælo præſtitiſti eis, Alleluja*, & Chorus Reſponſorium *Omne delectamentum in ſe habentem, Alleluja*. Notandum hoc loco, quòd licèt Cæremoniale Epiſcoporum nihil dicat de additione illius *Alleluja*, in tota tamen hac Octava addendum eſſe in Repoſitione, præcepit Clemens Undecimus in Bullario Romano noviſſimæ editionis *tom.* 8. *par.* 2. *Conſtitut.* 9. §. 21. *edita anno* 1705. *ſub die* 26. *Januarii*.

Cantatis à Cantoribus, & Choro *Panem de Cælo*, &c. *Omne delectamentum*, *&c.* addito utrobique *Alleluja*, Epiſcopus ſurgens, omiſſo Verſiculo *Dominus vobiſcum*, ſtatim ex Libro, quem Diaconi aſſiſtentes genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit Orationem *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* in cujus fine dicitur tantùm brevis concluſio *Qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum*, & non adhibetur longior, quia tantùm additur ad Miſſam & ad Horas, ait Bauldryus *in Man. Sacrar. Cæremoniar. par.* 4. *cap.* 16. *artic.* 3. *ſub numer.* 32. *pagin.* 274. ſed tamen cautè eſt legendus, ubi docet ante Orationem præmittendum eſſe Verſiculum *Dominus vobiſcum*, tum quia Cæremoniale Epiſcoporum illum reticet, tum quia omittendus eſt ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis confirmato à Clemente Undecimo *loco proximè citato*: excuſandus tamen eſt, non ſequendus, ſicuti & Gavantus hoc idem docens *tom.* 1. *par.* 4. *titul.* 12. *ſub numer.* 7. uterque enim opinionem forſan fundavit in Rituali Romano, cui tamen non eſt quoad hoc adhærendum, juxta ſequens Decretum Sacræ Rituum Congregationis *in Granaten. de anno* 1663. *ſub die* 16. *Junii*, in no- 611

novatum *in Salernitana anno* 1675. *ſub die* 28. *Septembris* : utrobique enim reſponſum fuit, quod *In Feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Ceremonialis Epiſcoporum lib. 2. capitul. 33. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla ſit mentio de Verſiculo* Dominus vobiſcum : *non verò Rituale Romanum, ubi dicitur addi* Dominus vobiſcum ; *& ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus*, ut refert Reverendiſſimus Pater, Sacræ ejuſdem Congregationis Conſultor, Cajetanus Maria Merati *in Addit. ad Gavant. tom. 1. par. 2. in Indice, ſub numer.* 399. Finita Oratione, Epiſcopus accedet ad Altare, & accepto Tabernaculo ſeu Oſtenſorio cum SS. Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum tenens, vertens ſe ad Populum, cum illo ſignum Crucis ſuper Populum ter faciet, nihil dicens : Alibi diximus, non eſſe dandam Benedictionem cum SS. Sacramento dum cantatur illa ſtropha *Sit & benedictio*, ſed in fine ejuſdem Hymni, & cantata Oratione : nunc addimus Decretum à Sacra Rituum Congregatione ad hoc ſpecialiter emanatum *in Sabinen. anno* 1639. *ſub die* 5. *Februarii*, ut refert Reverendiſſimus P. Merati in ſæpè laudatis, ſemperque laudandis Additionibus ad Gavantum *tom.* 1. *par.* 2. *in Indice, ſub numer.* 713. *pagin.* 1431. Data itaque Benedictione, iterum deponet SS. Sacramentum ſuper Altare, deponet velum, & genuflectet, ut ſupra. Tunc Presbyter aſſiſtens in cornu Epiſtolæ, ſtans versùs Populum, facta priùs debita reverentia cum genuflexione SS. Sacramento, publicabit Indulgentias, in forma conſueta, à Summis Pontificibus, & ab Epiſcopo conceſſas omnibus, qui Proceſſioni interfuerunt. Et advertatur, ut intortitia, & candelæ, quæ in Proceſſione delata fuerunt, non extinguantur, donec Epiſcopus cum SS. Sacramento Benedictionem, ut ſupra dictum eſt, dederit. Omnibus expeditis, Epiſcopus, facta aliquantulùm oratione ante SS. Sacramentum, poſt

debitam genuflexionem, atque accepta Mitra extra cancellos, diſcedet cum Canonicis in Sacriſtiam, ubi paramenta deponet, & ſolito more aſſociatus ab eis, ad Domum ſuam redibit. Hæc autem eſt Proceſſio, quæ fit in Cathedrali, præſente vel abſente Epiſcopo. Collegiatis verò, Celebrans finita Miſſa, & depoſitis Planeta & Manipulo, capiet Pluviale, & SS. Sacramentum thurificabit, illudque portabit ſub Baldachino: & omnia, ut ſupra fient, exceptis iis, quæ ad Epiſcopum propriè pertinent.

Terminata modo prædicto Proceſſione ſolemni in Cathedrali & in Collegiata Eccleſia, videndum nunc eſt, an poſſit illa transferri? Sanè, quamvis ſit Juriſdictionis Epiſcopalis edicere, & dirigere Proceſſiones cum ſolo conſilio Capituli, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio *anno* 1628. *ſub die* 29. *Martii*, ut refert Gavantus *in Man. Epiſcopor. verb. Proceſſio*, *ſub numer.* 11. *in additione*: eaſque etiam transferre, ut habet Monacellius *in Formular. Leg. Pract. par.* 4. *in Supplemen. ad I. Tom. pagin.* 9. *ſub numer.* 76. non tamen intelligitur de translatione Proceſſionis in Feſto SS. Corporis Chriſti: Cùm enim Epiſcopus Burgenſis vellet transferre poſt Octavam Feſtum SS. Sacramenti, ea motus ratione, ut ſcilicèt Proceſſio decentiùs celebraretur, licentiam denegavit eadem Sacra Congregatio Rituum *anno* 1605. *ſub die* 24. *Septembris*, teſte Auguſtino Barboſa *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Translatio SS. & Feſtorum*, *Collect.* 707. *ſub numer.* 6. Et revera cùm nullum ſit Feſtum iſto unquam dignius, ita ut ſi in eo alicubi occurrat ſive Patronus Loci, ſive Titularis Eccleſiæ, ſive etiam ejuſdem Eccleſiæ Dedicatio, transferendum ſit juxta Rubricas, nec hodie poſſit de illo Miſſa cantari, nullum profectò dari poteſt impedimentum non celebrandi ipſum propria die: Neque video, quæ major decentia dari valeat in translatione Proceſſionis: Epiſcopus enim tenetur pridie hujus Diei, 612

vel

vel etiam per aliquos dies ante, demandare illi, ad quem ſpectat, ut omnia decenter præparentur, & prævideantur, prout habetur in Cæremoniali Epiſcoporum *libr.* 2. *capit.* 33. §. 1. *pag. mihi* 404. unde ſicuti non poteſt Epiſcopus pervertere & immutare Rituum Proceſſionum præſcriptum à dicto Cæremoniali; ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Cajetana anno* 1658. *ſub die* 26. *Januarii*, apud Monacellium *loco proximè citato*, ſic nequit immutare Diem Proceſſionis SS. Corporis Chriſti. In minoribus tamen Eccleſiis Proceſſio celebranda eſt, ut præſcribit Rituale Romanum, ut benè ad illud quoad hoc remittit Gavantus *tom.* 1. *part.* 4. *titul.* 12. *ſub numer.* 3. Videri etiam poſſunt egregia Commentaria, quæ ad dictum Rituale elucubratus eſt Baruffaldus, vir clariſſimus, de Republica Litteraria optimè meritus, & in Sacris Ritibus benè verſatus.

Cæterùm jus privative faciendi hodie hanc Proceſſionem Domini Corporis (non loquimur de Cathedralibus) competit illi Eccleſiæ, quæ probat, ſe ab antiquo privativè quoad alias feciſſe; In materia enim Proceſſionum & Præeminentiarum, principem locum ſibi vindicat conſuetudo, cui omninò Jus defert, Felin. *in cap. ſtatuimus, de major. & obed. in princ.* Sperell. *deciſ.* 179. *ſub numer.* 1. Cardin. de Luca *de Præmin. diſcur.* 23. *ſub numer.* 3. *&* 12. & ex eis firmavit *Rota in Aquen. Proceſſionis* 26. *Junii* 1680. coram Urſino, *deciſ. recent. part.* 19. *tom.* 2. *deciſ.* 560. 4. *&* 5. ubi ſub numero 21. dictum etiam fuit, quòd dictum jus faciendi Proceſſionem in Die ipſo Solemnitatis cenſetur ſemper fuiſſe infixum Eccleſiæ inferiori habenti pro ſe conſuetudinem, quoties altera dignior non docet de ſtatu anteriori contrario: Conſuetudo autem, præſertim immemorabilis, dicitur magiſtra Probationis, & illam habens, dicitur habere totum id, quod Papa poteſt concedere per viam gratiæ, 613

 vel

vel juſtitiæ, ut dixit *Rota in Tranen. Præeminentiarum 19. Novembris 1717. §. Immemorabilis coram Anſaldo*. Eccleſia verò Parochialis habet Præeminentiam ſupra Eccleſiam Regularem in hac Proceſſione celebranda: unde cùm Epiſcopus Hiporegienſis Decretum ediderit, in quo præceperat, ut Proceſſio in Die Feſto SS. Sacramenti fieret in Eccleſia Archipresbyterali, cujuſdem Caſtri de ſua Diœceſi; non autem in Eccleſia Regulari Mendicantium: delata Cauſa in Sacram Rituum Congregationem, eadem Sacra Congregatio ſub die 3. Junii 1651. reſpondit, *non eſſe revocandum Decretum Epiſcopi; ad cap. 13. ſeſſ. 25. de Regular.* ut habet Thomas Paſcuccius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par. 2. tit. de Proceſſionibus, pagin. 265. vel 163. juxta edit. Roman. vel Venet.*

Sed & ſciant Parochi, quòd Regulares non poſſunt Proceſſionem facere in hoc Feſto SS. Corporis Chriſti extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam, ut reſpondit Sacra Rituum Congregatio *in Aretina anno* 1613. *ſub die 11. Novembris*, apud Auguſtinum Barboſam *in Summa Apoſtolicar. Deciſ. verb. Proceſsio, Collect.* 605. *ſub nu.* 25. & in Civitatibus non poſſe dictos Regulares eodem Die Feſto SS. Corporis Chriſti Proceſſionem facere, quia dumtaxat in Cathedrali faciendam reſolvit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium *anno* 1615. *ſub die 27. Junii*, teſte Bartholomæo Gavanto *in Man. Epiſcopor. verb. Regular. Jura ſub Epiſcopis, ſub num. 9. in additione*. In erectione autem novæ Parochiæ per diſmembrationem, reſervari debet Eccleſiæ Matrici debitus honor, ad formam præſcriptam *in cap. ad audientiam, de Eccleſ. ædific.* in ſignum recognitionis, putà, quòd Curatus novæ Parochiæ, & illius Succeſſores, unà cum Parochianis, ſemel in Anno Proceſſionaliter in Die SS. Corporis Chriſti accedat ad Eccleſiam Matricem: & hæc reſervatio fortè eſt aliarum magis propria, cùm accedere ad 614

ali-

aliquem locum ſit ſpecies ſubjectionis, ut dixit *Rota coram Seraphino*, apud Monacellium *in Formular. Leg. Pract. par. 1. tit. 2. formular. 3. ſub nu. 13. pag. 47.* Illud denique eſt notandum, quòd ſupplicante humiliter Sacræ Rituum Congregationi Patræ Juvenali Viſitatore Generali Congregationis Camaldulenſium Montis Coronæ, inter alia Dubia propoſita declarari: *An liceat non habentibus uſum Pluvialis, in Die SS. Corporis Chriſti peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento, & illud ſine Pluviali exponere?* eadem Sacra Rituum Congregatio anno 1701. ſub die 22. Januarii, ad quintum Dubium reſpondit: *Negativè quoad primam partem: & quoad ſecundam, non poſſe cogi, id eſt, in expoſitione SS. Sacramenti;* quam quidem Reſolutionem, unà cum aliis hac die emanatis, ſed ad noſtram rem non facientibus, ego Domi retineo in forma authentica, cum magno Sigillo, & cum ſubſcriptione de propria manu Illuſtriſsimi D. Secretarii.

§. IX.

De Proceſſione infra Octavam SS. Corporis Chriſti, & præſertim in Dominica infra eandem Octavam.

EXpoſitis, quæ ad Proceſſionem in Feſto SS. Corporis Chriſti ſpectabant, modò differendum eſt de Proceſſionibus fieri ſolitis, vel in Diebus infra hanc Octavam, vel in Dominica intermedia, vel etiam in Die Octava. Non eſt tamen hic ſermo de Sacris Ritibus & Cæremoniis in hujuſmodi Proceſſione ſervandis: cùm enim minores Eccleſiæ uti præſertim debeant Rituali Romano, nihil nobis reſtat quoad hoc dicendum, niſi etiam obſerventur quæ ad dictum Rituale confecit perutilia Commentaria eruditiſſimus Baruffaldus. Locuturi itaque ſumus de laudabili Locorum conſuetudine in celebrandis infra Octavam Proceſſionibus, de Privilegiis privativam quoad alias Eccleſias in eodem Loco concedentibus, de eorum viridi vel interrupta obſervantia, aut etiam moderatione, deque tandem prælatione temporis in concurrentia duarum Eccleſiarum. Ut autem incipiamus à commendabili Locorum more, in magnis Civitatibus, in quibus nonnullæ reperiuntur Parochiæ, ſolet qualibet die infra hanc Octavam in una ex illis fieri devota Proceſſio cum SS. Sacramento, & completo omnium turno, inchoatur à capite. Inter multas Urbes, quæ talem habent probatam conſuetudinem, certè eſt Bononia in Statu Eccleſiaſtico, 615

ubi

ubi de Anno in Annum mutatis Parochiis, quotidie infra Octavam fit celebris Proceſſio: & ex hac occaſione tota illa Civitas cæteroquin illuſtris renovari videtur: cùm enim per totam Parochiam, per quam Proceſſio eſt tranſitura, ſpatioſæ illæ & pulcherrimæ Porticus, ac Viarum Parietes, Parochianorum impenſis dealbentur, hinc eſt, quòd ex intervallo aliquot annorum tota hæc conſpicua Civitas remaneat dealbata, & conſequenter Advenarum præcipuè oculis mirum placeat in modum. In hujuſmodi tamen Proceſſionibus, in quibus attendendum eſt (ut diximus) Rituale Romanum, illud nihilominùs notandum eſt, quòd ſive fiant de manè, ſive de ſero, qui celebravit, vel peregit Veſperas, debet neceſſariò SS. Sacramentum deferre: ita enim reſolvit Sacra Rituum Congregatio *in Cauſa Compſana Præeminentiarum 23. Martii* 1709. ut ex Urſaya dixi in mea Collectione de Sacris Ritibus *ſub numer. margin.* 1308. *pag.* 436. *juxta editionem Paternam de Anno* 1730. Miniſtri verò Conſolationis Almæ Urbis non poſſunt facere Proceſſionem per Parochiam infra Octavam SS. Corporis Chriſti, & præſertim eo die, quo fit per Eccleſiam Parochialem, præterquam infra Eccleſiam dumtaxat, ut ad tertium Dubium ad inſtantiam Domini Dominici Sabbatini Parochi S. Nicolai in Carcere contra Archihoſpitale Conſolationis de Urbe ponente Eminentiſſimo Bichio, reſpondit Sacra Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ, *in Romana anno* 1695. *ſub die* 16. *Septembris*, accedente Sententia Auditoris Cameræ *de die* 23. *Decembris ejuſdem anni*, apud Thomam Paſcuccium *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par.* 1. *tit. de Hoſpitalibus*, *pag.* 202. *juxta edit. Venet.* Ex hac reſponſione videant Parochi quid faciendum ſit in ſimilibus, quando habeant vel intra fines ſuarum Parochiarum, vel in ipſis ſuis Eccleſiis Parochialibus Confraternitates, niſi ad majorem Proceſſionis pompam ſimul convenirent.

Quoad tamen Diem Dominicam infra Octavam SS. Corporis Chriſti, nonnullæ tractu temporis ortæ ſunt contentiones, modò circa prætenſam privativam ſeu excluſionem alterius Eccleſiæ, modò circa jam judicatam temporis prioritatem in anteriori Proceſſionis celebratione, modò etiam circa variam Privilegiorum interpretationem: unde variis quoque ad dictas pacandas lites opus fuit Reſolutionibus, quas hoc loco duximus exponendas. Sanè Ordini Prædicatorum ampliſſimum conceſſit Privilegium perpetuum Sanctus Pius Quintus faciendi Proceſſionem in Die Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, in omnibus Civitatibus & Locis, in quibus ab immemorabili conſuetudine Fratres dicti Ordinis talem Proceſſionem ſolemniter celebrare ſoliti fuerant: eiſdemque Fratribus conceſſit, ut ipſis dumtaxat eadem Die Dominica ſolemnem hujuſmodi Proceſſionem celebrare liceret: ita ut nulli ſuper eo impedire, ſeu eodem tempore, vel Die, eandem Proceſſionem facere poſſent & deberent, ut clarè patet *ex ejus Conſtitutione emanata anno* 1571. *ſub die* 21. *Junii*. Attamen brevi tempore Privilegium illud in ſuo robore permanſit, eoque non diù uſi ſunt dicti Fratres Prædicatores, nam Gregorius Decimus tertius, qui immediatè Sancto Pio Quinto ſucceſſit, prædictum Pianum Indultum moderatus eſt quoad privativam ſeu excluſionem alterius cujuſvis Eccleſiæ: ſiquidem univerſis & ſingulis Clero, & Clericis, ac Perſonis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quàm quorumvis Ordinum, Religionum, & Militiarum Regularibus conceſſit, ut Litteris Sancti Pii Quinti non obſtantibus, liceat ipſis, tam Die Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, quàm aliis totius Octavæ prædictæ Diebus, Proceſſiones ſuas celebrare: nec ſuper eo tam ab Ordinis Prædicatorum, quàm aliis quibuſcunque Perſonis quovis prætextu moleſtari poſſint, ut habetur *in Conſtitut.* 10. 616

ejuſd.

ejuſd. Pontific. quæ incipit. Cùm interdum, §. 2. *addita anno* 1573. *ſub die* 11. *Maii*, apud Cherubinum *in Bullar. Roman. tom.* 2. Nihilominus tractu temporis, dicta conceſſio Ordini Prædicatorum à Sancto Pio Quinto facta præfato anno 1571. 21. Junii, confirmata fuit, & extenſa ad omnes Domos fabricatas & fabricandas in omnibus Locis, cum tali tamen inhibitione aliis Presbyteris, ac Fratribus aliarum Religionum, ne dicto tempore & hora in dicta Die Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti Proceſſionem facere, aut cum eis concurrere auderent, ita ut Priores & Fratres in quibuſcunque Mundi partibus Proceſſiones dicto die per Vicos, & Plateas, ac Loca, ab eis electa, & ſemel tantùm eligenda, ſoli abſque ullo impedimento celebrare poſſint, prout conceſſit Clemens Octavus *in Conſtitut. quæ incipit*. Dum Felicis, *emanata anno* 1592. *ſub die* 8. *Martii*, apud Donatum *in Prax. Rer. Regular. tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 13. *quæſt.* 82. *ſub num.* 3. & habetur etiam *in Bullario Confraternit. Ordin. Prædicator. pag. mihi* 202. ac egomet retuli in mea Collectione de Regularibus, *tom.* 2. *ſub numer. margin.* 1171. *pag.* 23. Dicta tamen Clementina non eſt ex integro confirmatoria Conſtitutionis Pianæ, nam Sanctus Pius Quintus conceſſit Patribus Dominicanis privativam illis verbis; *ita ut nulli ſuper eo impedire, ſeu eodem tempore, vel die, eandem Proceſſionem facere poſſint vel debeant*. Clemens verò Octavus, ſublato *Die*, in quo ſtabat privativa, poſuit ejus loco *Hora*, in qua ſtat revera optio in electione ejuſdem horæ: nam, ut ſupra vidimus, dixit: *ne dicto tempore, & hora in dicta Die Dominica, &c.* Unde per eandem Clementinam non derogatur Gregorianæ, & conſequenter nec tolluntur jura aliis Religioſis competentia vigore Gregorianæ præfatæ: ſed ſit in ea limitatio & reſtrictio Conſtitutionis Pianæ, ut pluribus ad rem citatis ait Urſaya *Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.* 1. *par.* 2. *diſceptat.*
10.

10. *à num.* 14. *ad* 18. Itaque Patres Dominicani amiſerunt quidem privativam, ſed acquiſierunt horæ electionem, quæ in pluribus contentionibus diffinitivè fuit illis ſemper conceſſa.

Dicta tamen electio horæ eiſdem Patribus Dominicanas indulta in Proceſſionis celebratione Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Criſti facienda, non eſt ita privativè intelligenda, ut ſi Ordo Prædicatorum eligat de manè, non poſſit etiam de manè alius Regularium Ordo eandem Proceſſionem peragere, dummodò fiat diſtinctis horis: Hoc enim patet ex ſequenti repetitæ Cauſæ reſolutione Apoſtolicis Litteris roborata, videlicèt: Vertente Cauſa inter Patres Dominicanos ex una, & Patres Minores de Obſervantia Civitatis Quitenſis in Indiis ex altera parte, Sacra Rituum Congregatio, juribus hinc inde diſcuſſis, & poſt Cauſam pluries repropoſitam, ſtando in deritis. Iterum & ultimò reſcribendum cenſuit: *licere Patribus Franciſcanis facere Proceſſionem extra Clauſtra per loca ſolità, etiam de manè in Die Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horâ Patribus Dominicanis, à qua ſemel electa, non liceat ampliùs recedere: & ita decrevit, & ſervari mandavit*: Verum, quia dicti Patres Franciſcani dubitabant, ne executio & obſervantia Decreti hujuſmodi à dictis Patribus Dominicanis forſan impugnari poſſet, & in ſimili eventu idem Decretum ſuo fruſtraretur effectu, ideo ut contradictores ad exequendum Decretum omnibus Juris & facti remediis compellantur, merita Cauſæ hujuſmodi Epiſcopo Quitenſi commiſit Innocentius Duodecimus *in Conſtitut. quæ incipit*, Sua Nobis, *emanata anno* 1696. *ſub die* 25. *Februarii*, apud Matthæuccium in Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ *cap.* 40. *ſub numer.* 9. 617

Attamen Patres Dominicani alibi ſtare noluerunt Deciſioni aliàs factæ, ex quo orta eſt contentio inter eos & alios Regulares. Vigore igi- 618

tur

tur Conſtitutionis Gregorianæ ſuperiùs relatæ, Patres Reformati Oppidi Montis Murri de Diœceſi Tricaricenſi, anno 1712. Proceſſionem SS. Corporis Chriſti fecerunt Die Dominico infra ejus Octavam: Verùm Religioſi Ordinis Prædicatorum de eodem Oppido ſe oppoſuerunt, prætendentes adhuc privativam faciendi dictam Proceſſionem eodem Die Dominico, quaſi Litteræ Grægorianæ non darent quibuſcunque Regularibus facultatem; & Clementinæ reſtituerent Patribus Dominicanis privativam à Sancto Pio Quinto illis tunc temporis conceſſam. Quapropter habito recurſu ad Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium, propoſitoque ſequenti Dubio, videlicèt: *An liceat Patribus Reformatis Oppidi Montis Murri facere Proceſſionem Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti?* Sacra eadem Congregatio in Tricaricenſi Proceſſionis ſub die 18. Aprilis 1714. reſpondit: *Affirmativè, dummodò fiant Proceſſiones diſtinctis horis*: ut habet Urſaya, qui ſcripſit in hac Cauſa ad favorem dictorum Reformatorum, *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 1. par. 2. diſceptat. 10. ſub num. 2. 3. & 31.* Non acquieſcentibus autem Patribus Dominicanis, noviſque idcircò motivis Cauſa repropoſita per Eminentiſſimum Corſinum (nunc Clementem Papam Duodecimum) & dato eodem Dubio ſupra relato, eadem Sacra Congregatio in dicta Tricaricenſi Proceſſionis ſub die 4. Martii 1717. reſpondit: *In deciſis, juxta modum praſcribendum ab Eminentiſſimo Ponente*: qui ſub die 12. Martii 1718. illum præſcripſit ſequentibus verbis: *Mandavit fieri Proceſſionem per Clerum Sacularem in Die SS. Corporis Chriſti: Per Patres Dominicanos in Die Dominico infra Octavam de manè: Et per Patres Reformatos S. Franciſci in dicto Die Dominico infra Octavam de Sero*: Sic enim refert dictus Urſaya, Scriptor etiam in hac Cauſæ repropoſitione, *tom. 2. par. 1. diſceptat. 4. ſub num. 80. & 83.*

Quamvis autem in Sacra Rituum Congregatio- 619

ne

ne diſputatum ſit Dubium tenoris ſequentis, ſcilicet: *An liceat Patribus Dominicanis prohibere aliis Regularibus, ne in Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti peragant Proceſſionem?* & affirmativa emanaverit reſolutio *in Placentina Proceſſionis ſub die* 30. *Aprilis* 1701. Dicta tamen reſolutio Sacræ Congregationis, metiendo ipſius voluntatem à poteſtate, juxta regulam, de qua *Rota deciſ.* 92. *ſub num.* 12. *coram Friolo*, non poteſt intelligi, niſi de facultate prohibendi dictam Proceſſionem in eadem hora, in qua illam facere ſolent Patres Dominicani, non autem in tempore, & in hora diverſa, quia in hac parte adeſt clara Conſtitutio Gregoriana: Ultra quod cùm dicta Reſolutio Placentina emanaverit in caſu particulari, ex ejus particularibus circumſtantiis in illo concurrentibus, non poteſt allegari pro generali lege in omnibus caſibus, ut egregiè diſtinguendo materiam, & interpretando verum ſenſum Reſolutionum à Sacris Congregationibus emanatarum, obſervant adducti à Paſqualigo *Quæſt. moral. centur.* 1. *quæſt.* 61. *ſub num.* 4. 9. & 14. & ita etiam dixit *Rota in Hiſpalen. juris votandi* 4. *Februarii* 1697. §. *Diſtinguentes*, *coram Caprara*, atque ex eis ſic ratiocinatur. Urſaya *tom.* 1. *par.* 2. *diſcept.* 10. *ſub numer.* 20. Et revera, emanata dicta Placentina Reſolutione citato anno 1701. ſub die 30. Aprilis, cùm Patres Dominicani anno immediatè ſequenti 1702. prætenderent privativam etiam quoad Proceſſionem S. Antonii de Padua, quando occurrit in Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti (ut in Tabula vigeſima prima ordinis ſeu calendarii perpetui, apud Gavantum) Sacra eadem Rituum Congregatio *in Aliphana Proceſſionis anno* 1702. *ſub die* 18. *Martii* reſpondit, quòd Patres Dominicani non valent prohibere Patribus Conventualibus Proceſſionem S. Antonii Patavini, quatenus dicto Die Dominico occurreret, dummodò fiat diverſa hora, & data prælatione temporis Patribus Dominicanis de manè, vel de veſpe-

veſpere ut refert Monacelli *in Formular. Leg. Pract. par. 4. quæ Opus Poſthumum inſcribitur, in ſupplemen. ad I. Tomum, pag. 9. ſub num. 80.*

Quòd ſi Patres Dominicani, ſtante Conſtitutione Gregoriana, non poſſunt prohibere aliis Regularibus, ne faciant Proceſſiones in Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti, multo minùs valebunt prohibere Parochis, ne eodem Die Dominico celebrent Proceſſiones, nihil refragantibus Conſtitutionibus Sancti Pii Quinti & Clementis Octavi ſupra relatis, nam ex eis non poſſunt impediri Parochorum Proceſſiones in ſæpè dicto Die Dominico, ut reſolvit Sacra Rituum Congregatio in Materanen. anno 1632. ſub die 15. Maii, ut ex Auguſtino Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi, cap. 12. ſub num. 14.* refert Thomas Paſcuccius *in Compend. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignatel. par. 2. tit. de Proceſſionibus, pag. 273. vel 168. juxta edit. Roman. vel Venet.* Et revera, de Jure ad Parochos ſpectat facere quaſcunque Proceſſiones intra limites ſuarum Parochialium, & conſequenter poſſunt etiam facere in dicto Die Dominico: Privilegia ſiquidem, ſi quæ ſunt quoad hoc apud alios, non comprehendunt Parochos, nec tollunt eorum Jura: idcircò qui attentat impedire eorum Proceſſiones, attentat ipſos privare proprio Jure, facit contra juſtitiam, & incurrit Excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ, & in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 11. de reformat.* ut egomet dixi in Collectione de Parochis, *ſub numer. margin. 584. pag. 121. juxta tertiam editionem Paternam de Anno 1737.* Præterquàm quòd Conſtitutio Gregoriana, quæ quoad privativam derogavit Indulto Piano Patribus Dominicanis conceſſo, primò indulget Clero & Clericis & Perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus, ut videre eſt ſupra: ergo multo magis concedit Parochis facere Proceſſionem in ſæpè memorato Dominico Die infra dictam Octavam. 620

Sicuti autem Regulares non poſſunt prohibere 621

Parochis, ſic neque Parochi poſſunt prohibere Regularibus, ne ſuas faciant Proceſſiones in prædicto Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ut omiſſis antiquis Reſolutionibus, noviſſimè firmatum eſt in ſequenti Declaratione; quam favorabilem reportarunt Patres Carmelitæ Civitatis Faventiæ contra Parochum S. Gargaritæ de eadem Civitate. Cùm etenim de Menſe Junio 1722. Pater Adeodatus à S. Thereſia Prior Conventus dictorum Carmelitarum ſuam facere vellet ſolitam Proceſsionem Die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti tunc occurrente in die ſeptima ejuſdem Junii, & quidem abſque licentia Parochi dictæ Sanctæ Margaritæ, per cujus fines ſolita eſt Proceſsio tranſire, ad illam impediendam Parochus dictam licentiam prætendens tanquam aliquando petitam; recurſum habuit ad ſuum Epiſcopum Faventinum, à quo tamen, in executionem Conſtitutionis Gregorianæ ſuperiùs relatæ, permiſſum fuit Carmelitis eandem Proceſsionem facere, abſque ulla licentia dicti Parochi. Quia verò, prædictis non attentis, auſus fuit idem Parochus dictam Proceſsione jam incæptam impedire, obſtans violenter itineri Proceſsionis: hinc humillimè ex parte Carmelitarum præfatorum habitus fuit recurſus ad Sacram Epiſcoporum & Regularium Congregationem, in qua Partibus acerrimè informantibus, ac propoſita per Eminentiſsimum Cardinalem Corſinum (nunc Clementem Duodecimum) hujuſmodi Cauſa, ſub die 15. Januarii 1722. reſcriptum fuit: *Licere Patribus Carmelitis, abſque licentia Parochi, facere Proceſsionem*, cum addito, *& ampliùs Cauſa non proponatur*: ut habet Dominicus Urſaya, doctiſsimus Almæ Urbis Advocatus, qui in hac eadem Cauſa optimè ſcripſit ad favorem Carmelitarum, *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 5. par. 2. diſceptat. 8. à num. 1. ad 8. & ſub num. 35.*

Ubi denique ſolitum eſt in Die Octava SS. 622
Corporis Chriſti fieri Proceſsionem ad reponendum

dum SS. Sacramentum, quod per totam Octavam expoſitum fuit ad Veſperas, videnda ſunt, quæ ſuperiùs diximus, cùm de Officio hujus Diei Octavæ locuti ſumus. Addi tamen ad rem cenſemus, quòd cùm hæc Proceſsio non debeat eſſe tantæ ſolemnitatis, quantæ fuit in Die Feſto, nec per viam longiorem ſit incedendum, ſed per breviorem, ut ex ibi dictis clarè patet: ſequitur exinde, quòd non eſt iſta Proceſsio publica & generalis: & conſequenter non tenentur eidem intereſſe Regulares etiam forſan vocati, licèt ipſe Epiſcopus in ſua Cathedrali Veſperas peregerit, & Oſtenſorium deferat cum SS. Sacramento. Ex eadem ratione non accedunt Confraternitates Laicorum, non Parochi Civitatis, non Canonici Collegiatarum, ſed tantùm Clerus ipſius Cathedralis. Verùm quidem eſt, quòd ubicunque fiat hæc Proceſsio, ſive in eadem Cathedrali, ſive in Collegiata, ſive in alia quacunque Eccleſia, Sanctiſsimum Eucharistiæ Sacramentum deferendum eſt ab eo, qui cantavit Veſperas, & debet eſſe unus ex dignioribus Eccleſiæ, ut ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, me citato, refert La Croix *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 6. par. 2. tract. 4. ſub num.* 2055. *Decreto* 10. Quòd ſi ad dictam Proceſsionem in Die Octava ſit ſolita accedere Confraternitas SS. Sacramenti, hæc laudabilis conſuetudo eſt omninò ſervanda, cùm ſit ejus munus aſſociare in hujuſmodi Proceſſionibus SS. Sacramentum. Romæ verò Archi-Confraternitas SS. Sacramenti in Eccleſia S. Laurentii erecta, non tenetur pro hac Proceſſione poſt Veſperas fieri ſolita, ſubminiſtrare Canonicis & Beneficiatis intortitia, ut ponente Eminentiſſimo de Abdua, ad octavum Dubium reſpondit Sacra Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ *anno* 1712. *ſub die* 24. *Maii*, apud Urſayam *Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom.* 1. *par.* 1. *diſceptat.* 16. *ſub num.* 268. ubi ſub numero 57. & 58. defenſor Archi-Confraternitatis ait, quòd duæ fiunt

in dicta Eccleſia Proceſſiones dicta Die Octava ; una de manè , & eſt propria Archi-Confraternitatis , & nulla eſt difficultas , quòd fieri debeat ejus ſumptibus : altera verò poſt Veſperas , & eſt propria Capituli , cui etiam incumbunt expenſæ , nec eadem Archi-Confraternitas obliganda eſt ad expenſas duarum Proceſſionum una eademque die celebrandarum.

Et hæc ſatis cenſeo de Proceſſione SS. Sacra- 621
menti ; ſive in ejus Feſtivitate , ſive infra Octavam , ſive in Dominica , ſive etiam in Die Octava tam in Cathedralibus , quàm in Collegiatis , aut in aliis quibuſcunque Eccleſiis , à Clero Sæculari , vel etiam Regulari , facienda . Si quid forſan minùs ritè & rectè dixi , parcat Lector Eccleſiaſticus : Quod in me fuit , totum feci , ut benè dicerem : nihil enim prætermiſi , nam & ad hoc celebriores perlegi Auctores ad rem pertractantes . Accipe quæſo libenter , tu qui legis , & Deum Optimum Maximum pro me roga.

L.D.M.D.A.P. ac S.I.L.

VA1 1521506

Digitized by Google

in dicta Eccleſia Proceſſiones dicta Die Octava ; una de manè , & eſt propria Archi-Confraternitatis , & nulla eſt difficultas , quòd fieri debeat ejus ſumptibus : altera verò poſt Veſperas , & eſt propria Capituli , cui etiam incumbunt expenſæ , nec eadem Archi-Confraternitas obliganda eſt ad expenſas duarum Proceſſionum una eademque die celebrandarum.

Et hæc ſatis cenſeo de Proceſſione SS. Sacra- 621
menti ; ſive in ejus Feſtivitate , ſive infra Octavam , ſive in Dominica , ſive etiam in Die Octava tam in Cathedralibus , quàm in Collegiatis , aut in aliis quibuſcunque Eccleſiis , à Clero Sæculari , vel etiam Regulari , facienda . Si quid forſan minùs ritè & rectè dixi , parcat Lector Eccleſiaſticus : Quod in me fuit , totum feci , ut benè dicerem : nihil enim prætermiſi , nam & ad hoc celebriores perlegi Auctores ad rem pertractantes . Accipe quæſo libenter , tu qui legis , & Deum Optimum Maximum pro me roga.

L. D. M. D. A. P. ac S. I. L.

VA1 152/506

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google